



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, 1712**

Tractatus V. De Probabilitate subjectivâ, & utriusque certitudine,  
necessitate, sufficientiâ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)



# TRACTATUS QUINTUS

DE PROBABILITATE SVBJECTIVA;  
& objectivâ, & utriusque certitudine, necessita-  
te, & sufficientiâ.

## DISPUTATIO XVIII.

*De certitudine ad sine peccato, aut honestè formaliter  
operandum necessariâ.*

### SUMMARIUM.

*Quaestiones agitandæ, n. 1.*

N. 1.



PPULIMUS, spirante pro-  
pitiâ Divini Flaminis au-  
râ, ad ultimum Probabili-  
tatis Tractatum. Faxit Op-  
timus Deus, ne in ipso por-  
tu naufragium subeamus:  
multiplex equidem se se no-  
bis offert gravissima difficultas. Prima, an  
ut quis sine peccato, aut honestè operetur,  
necessarium sit iudicium certum de non  
peccato, aut honestate operationis? Secunda,  
quæ, & qualis esse debeat hæc certitudo?  
Tertia, an talis certitudo conveniat ipsi opi-  
nioni certò probabili, aut probabiliori; an  
verò necessarium sit præter iudicium direc-  
tum probabile, aliud reflexum evidens de  
non peccato, aut honestate operationis?  
Quarta, an satis sit conscientia speculative,  
aut practice dubia? Quinta, an ita neces-  
sarium sit iudicium directum probabile, aut  
probabilius, absolutum de veritate rei, ad  
sine peccato, aut honestè operandum, ut sa-  
tis non sit iudicium certum de objectivâ  
probabilitate, aut probabilioritate opinio-  
nis directæ, suspenso omni iudicio directo  
probabili, aut probabiliori, incertè vero?

Tom. III.

### SECTIO I.

*Radix difficultatis, & mens ferè omnium  
Doctorem.*

#### §. I.

*Radix difficultatis.*

### SUMMARIUM.

*Syllogismus, cui præsens Tractatus insudat, n. 2.  
Communis responsio Probabilistarum est, quòd  
iudicium probabile non sit regula immediata  
recte operationis, n. 3.*

*Explicatur, n. 4.*

*Dicunt Probabilistæ Reflexisse operationem re-  
gulari immediatè ab hoc iudicio reflexo, Li-  
cet sequi omnem certò probabilem pra-  
cticè, Ibid.*

*Hoc dicunt, quia necessarium est iudicium cer-  
tum; nulla autem opinio, eisi probabilior, est  
certa, n. 5.*

*Ostendo, quòd eodem modo discurre potest in sen-  
tentiâ Probabilistarum, n. 6.*

UT ad primam difficultatem accedam, N. 2;  
ecce radix illius. Ultimum conscientia  
dictamen, à quo operatio regulatur, debet  
esse



esse certum de non peccato, aut de honestate actus, ut unanimiter sentiunt omnes TT. & nos pluries innuimus: sed opinio probabilis non est certa, imò est incerta, ut docuimus: ergo nulla opinio probabilis esse potest ultimum dictamen conscientie. Huic syllogismo clarè solvendo præfens Tractatus insudat.

N. 3. Communissima responsio Doctorum nobiscum tuentium licitum opinionis probabilis usum est, iudicium probabile de non peccato, aut de honestate operationis, nec esse, nec esse posse regulam immediatam formalem, & proximam sufficientem ad rectè operandum, quia tale iudicium eo ipso quod est tantum probabile de non peccato, aut de honestate operationis, non est certum, si autem non est certum, eo ipso non potest esse regula: ergo regula immediata formalis proxima operationis esse debet aliud iudicium moraliter certum reflexum de licito usu opinionis probabilis.

N. 4. Explico. Demus opinionem asserentem licere die festo piscuram, esse probabilem. Volitio pingendi die festo, inquiunt Reflexistæ, non regulatur immediatè ab ipsa opinione, seu ab hoc iudicio probabili, *Licet die festo piscura*; cum enim hoc iudicium sit tantum probabile, eo ipso non est certum, quod liceat die festo pingere; ergo non potest esse regula volitionis honestæ, de pingendo die festo: regulatur itaque ea volitio, inquiunt, ab hoc iudicio reflexo, *Licet sequi hanc opinionem certò practicè probabilem*: quod iudicium dicunt esse certum, quia deducitur ex duplici præmissa certà, nempe ex his: *Licet sequi omnem opinionem certò probabilem practicè: sed hac opinio, licet pingere die festo, est certò probabilis practicè: ergo licet hanc sequi*. Ecce hoc ultimum iudicium per modum consequentis reflectens supra licitum usum talis opinionis practicè probabilis, est (aiunt) regula immediata formalis, & proxima certificans de non peccato, imò de honestate volitionis pingendi die festo.

N. 5. Si autem quæretur cur Reflexistæ ita discurrant, & appellent ad hoc dictamen reflectens supra licitum cuiusque opinionis certò probabilis practicè usum; ratio est; quia cum iuxta omnes certum sit non licere operari cum conscientia practicè dubiâ peccati, adeoque ad rectam operationem necessarium sit iudicium certum de non peccato, aut de honestate operationis, hinc est, quod cum conscientia probabilis non sit conscientia certa, nec excludat dubium, (hoc enim inquiunt, falso tamen) à solâ certitudine excluditur hinc est (aiunt) quod conscientia probabilis satis non est ad fine peccato, aut

ad honestè operandum: ergo necessarium prorsus est aliud iudicium certum reflexum de licentiâ sequendi conscientiam probabilem: quod iudicium reflexum de licito usu opinionis probabilis est ipsa conscientia certificans de non peccato operantem, & est immediatè dirigens ipsam volitionem picturam. Ita discurrunt ferè omnes Probabilistæ, & ideo vocantur Reflexistæ.

Immo eodem modo discurrì potest in sententiâ Probabilioristarum. Vel enim ad fine peccato operandum necesse est iudicium certum de non peccato, vel non? Si non; ergo idem dicent Probabilistæ. Si est; ergo vel hac certitudo convenit ipsi iudicio probabiliori; hoc autem idem dicent Probabilistæ de quolibet iudicio directò certò probabili practicè: vel aliunde ea certitudo petenda est, nempe à iudicio reflexo supra licitum, imò necessarium usum opinionis probabilioris.

## §. II.

## Mens Doctorum.

## SUMMARIUM.

Divido Doctores in duas classes, n. 7.

Prima eorum, qui dicunt opinionem probabilem fieri certam per iudicium reflexum moraliter certum de licito usu opinionis probabilis, n. 8.

Doctores hoc sentientes, ibid.

Secunda eorum, qui negant requiri iudicium certum de honestate actus, sed satis esse probabile, n. 9.

DD. ibid.

Puto omnes DD. convenire in hoc, quod requiratur iudicium certum, etsi disconveniant in eius certitudinis origine, n. 10.

Ostendo convenire omnes in necessitate aliquæ certitudinis de non peccato, n. 11.

Ostendo ipsos Probabilistas non Reflexistas petere hanc certitudinem, & hanc inesse iudicio probabili, n. 12.

DD. hoc tuentes, ibid.

Id ipsum dicunt Probabilioristæ de iudicio probabiliori, etsi negent necessitatem iudicii reflexi, n. 13.

Melius dividi possunt DD. in eos, qui certitudinem derivant a iudicio reflexo, & in eos, qui ipsi iudicio probabili intrinsecam asserunt, ib.

Nam supponitur, ut certum, quod ad rectè agendum necessaria sit certitudo. TT. hoc tuentes, n. 14.

Explicatâ communissimâ circa præfentem difficultatem Doctorum mente, stando quoque communi Doctorum placito, dividam Authores in duplicem classem, quidquid modo sit, an hæc divisio bona sit.

Prima est (inquiunt) eorum, qui volunt, quod opinio minus probabilis fiat tuta ob quod iudicium



judicium reflexum moraliter certum de licito ejus usu. Ita P. Moya *tom. 1. q. 6. §. 6. & tom. 2. q. 6. & q. 8. n. 1.* addens esse adeo communem, ut aliqui putent esse de fide, P. Suar. 1. *2. d. 12. sect. 3. n. 2.* dicens esse omnium, P. Arraga *1. 2. d. 13. sect. 2. P. Oviedo 1. 2. tr. 5. contr. 3. pu. 2. n. 1. 1. P. Card. tom. 1. d. 15. cap. 4. art. 3. P. Teril. de Consc. ubi refert sexaginta Doctores ex P. Fabri affirmantes, quod ut voluntas sit recta, praequiratur judicium practice certum de honestate objecti, & actionis; & de Reg. mor. qu. 2. a. n. 17. hoc iterum probat, immo totum licitum minus probabilis usum fundat in eo judicio reflexo: M. Mart. de Prado *cap. 1. de Consc. qu. 3. a. n. 8. M. Merc. 1. p. art. 1. pag. 26.* qui ait omnes Doctores Antiquos, & Modernos convenire, quod ut quis recte operetur, debeat ita certo credere, se recte operari, ut non habeat formidinem de opposito; & licet P. Vasqu. & P. Sanch. citentur pro opposita, attamen si bene considerentur, non dissentiant a ceteris, ait M. Merc.*

N. 9. Secunda sententia est (inquiunt) eorum, qui negant requiri necessario judicium certum de honestate actus, sed satis esse judicium probabile de licentia operationis. Citant M. Ledesm. M. Tapiam, M. Medin. Pasqual. P. Vasqu. *1. 2. d. 62. cap. 5. & 9. P. Sanch. lib. 1. P. Eliz. Sum. cap. 9. n. 16. P. Salas 1. 2. tom. 1. tr. 8. d. 1. Torrec. in sect. 4. quibus addo P. Eliz. lib. 3. qu. 2. & segg. Torrecil. tr. 8. a. n. 17.*

N. 10. Ego tamen puto Doctorem mentem, per datam divisionem in eos, qui asserunt certitudinem haberi ex judicio reflexo, & in eos, qui eam ex judicio reflexo non asserunt, puto; inquam, confundi. Equidem mihi constat, quod omnes DD. sive Probabilistae, sive Anti-Probabilistae sint, requirant ad sine peccato operandum judicium certum de non peccato, quamvis ferè omnes Probabilistae, imò aliqui Anti-Probabilistae, nempe M. Mart. de Prado, & P. Scild. eam certitudinem sumant a judicio reflexo certo de usu licito opinionis minus tutae minus probabilis, aut probabilioris; putat enim Probabilistae Reflexistae certum, quod liceat usus minus tutae minus probabilis; quod ipsum Probabilioristae Reflexistae putant certum non tantum quod liceat, sed quod necessarius sit usus probabilioris, si minus tuta sit. Reliqui vero Probabilistae, imò Probabilioristae non Reflexistae negant talis judicij reflexi necessitatem, & turunt certitudinem ab ipsa opinione directa probabilis, aut probabiliori, cui inesse dicunt.

N. 11. Quod autem ita sit, seu quod omnes requirant aliquam de non peccato certitudinem, constat oculis ipsis. Et quidem Probabilistae Tom III.

vel sunt Reflexistae, & hi ad sine peccato operandum recurrunt, & ut necessarium exigunt judicium certum reflexum de licito usu minus probabilis, a quo judicio reflexo certo de non peccato in sequenda minus tuta minus probabili dirigi volunt proximè, & immediatè operationem. Ita expressè P. Suar. *tom. 5. in 3. p. d. 40. sect. 5. a. n. 13. usque ad 19. & tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 5. a. n. 5. & alibi, P. Moya tom. 1. qu. 6. §. 6. & tom. 2. qu. 6. n. 35. & qu. 8. n. 31. P. Card. tom. 1. 2. 3. & 4. P. Fabri, qui plurimos citat, P. Teril. qu. 13. de Consc. cum plurimis; reverà tamen qui à P. Fabio, & P. Teril. citantur, unicè docent, quod ad sine peccato operandum necessaria sit certitudo de non peccato; & plerique nullam mentionem faciunt de dictamine reflexo; adeoque illi iidem æquè citari possunt à Probabilistis non Reflexistis. Omnes ergo necessariè putant judicium practicum moraliter certum, ut quis recte operetur, undecumque deinde ea certitudo derivetur, sive à judicio reflexo, sive infinita sit ipsi opinioni certo probabili, aut probabiliori. Adhaerent novissimè Probabilistis Reflexistis Alexius Mynez, P. Perea, & Raphael à S. Joan. Generalis Discalc. SS. Trin.*

Vel sunt Probabilistae non Reflexistae; hi N. autem licet necessarium negent judicium reflexum, ut habeatur certitudo de non peccato, non tamen negant; quod requiratur certitudo, quin ad operandum sine peccato certitudinem de non peccato necessariam volunt, eamque cuique judicio directo certo probabili practice inesse dicunt. Ita P. Vasqu. *1. 2. d. 62. cap. 5. ubi n. 26.* dubitationem, & hesitationem à formidine distinguit, & quavis dicat omni opinioni inesse formidinem, ut repetit n. 43. negat tamen inesse dubitationem, & ideo n. 44. ait, axioma (Tutior pars est eligenda) intelligi tantum de dubijs, non de opinionibus: ergo juxta P. Vasqu. nulli opinioni certo probabili practice inest dubitatio: ergo omnis opinio certo probabilis practice est juxta P. Vasqu. certa certitudine excludente omne prudens dubium de peccato formali. Idem sentit P. Sanch. *lib. 1. Sum. cap. 9. n. 16. P. Salas l. c. M. Medina, M. Tapia lib. 1. qu. 8. M. Alvarez 1. 2. qu. 19. d. 89. n. 13. ad 4. ubi ait: Sufficit, ut homo se applicet ad operandum per cognitionem certam practice, qualis est illa, quae habetur per opinionem practice probabilem: Torrec. tr. 8. in damnatas ab Innoc. XI. ubi a. n. 17. ad 23. ait: Cuilibet opinioni inest certitudo honestatis formalis, etsi non objectivae. Alios plures in huc sensum infra dabo *sect. 8. N.**

Vel sunt Anti-Probabilistae; hi autem etsi 13.

A ij exclu-



excludant certitudinem reflexam tamquam non necessariam, (loquor de plerisque) attamen ipsi iudicio directo probabiliori dant

P. Thyrf. certitudinem non peccati. Ita P. D. Thyrf. P. Muniesl. Palanco *qu. 33. n. 6.* ubi ait, quod ad formaliter honeste operandum necessaria sit aliqua certitudo de honestate objectivâ operis eliciendi; M. Merc. *l. c. Phil. pag. 14.* citans Arist. D. Thom. Caietan. & alios, M. Mart. de Prado *cap. 1. de Conf. qu. 3. n. 8.* P. Scild. *tr. 1. cap. 3. n. 19. assert. 2.* ubi ait: Con-

scientia permittens probabilis, quæ habet adiunctam formidinem de peccato formali admittendo, sufficit ad hoc, ut eam sequens, & juxta illam operans non peccet formaliter, dummodo sit incommodum sequi tutiorem, & accedat iudicium reflexum certo sine formidine dictans, quod liceat sine peccato sequi conscientiam probabilem; non sufficit tamen sine illo iudicio reflexo certo. Hæc P. Scild. Probabiliorista, qui non tantum requirit certitudinem, sed hanc sumit à iudicio reflexo, adeoque præter iudicium probabilius directum, recurrit, & tamquam necessarium exigit iudicium reflexum certum de licito usu probabilioris, nam per probabilem venit, juxta illum, probabilior. Ergo à primo ad ultimum certum est, juxta omnes DD. aliquam requiri certitudinem: ergo qui eos dividunt in eos, qui requirunt certitudinem, & in eos, qui non requirunt, malè dividunt; sed dividendi sunt in eos, qui eam certitudinem à iudicio reflexo sumendam docent; & in eos, qui sine iudicio reflexo inesse dicunt ipsi opinioni certo probabili, aut probabiliori practicæ.

N. Hinc est, quod supponitur tamquam certum à Theologis, quod ad rectè operandum necessarium sit iudicium practicum moraliter certum, undecumque deinde ea certitudo oriatur; & ideo P. Moya *tom. 2. qu. 8. & tom. 1. tr. 1. qu. 6. §. 6. n. 36.* dixit: Sententia asserens ad rectè operandum necessarium esse iudicium practicum moraliter certum, est omnino tenenda; P. Suar. *1. 2. d. 12. sect. 3. n. 2.* ut voluntas sit recta, necessarium est iudicium practicè certum de honestate objecti, & actionis; P. Teril. *qu. 1. de Conf. n. 8.* nulla fides potest esse bona, seu sufficiens ad excludendum peccatum, quæ non reddat operantem saltem moraliter certum se non peccare; P. Elparza *lib. 3. qu. 22. ad 5.* quod ultimum dictamen conscientie semper sit evidens; P. Haunoldus *lib. 2. cap. 3. contr. 1. n. 238.* quod regula proxima actus moralis debeat esse evidens, & infallibilis; P. Faber *dial. 1. de opinion. prob. & alibi,* quod iudicium practicum de non peccato, aut honestate debeat esse certum, quia non licet ope-

rari cum formidine rationali de peccato; P. Arriaga *1. 2. d. 13. sect. 2. n. 25.* ut quis licite operetur, debet esse moraliter certus se non peccare, nec satis, quod probabiliter putet se non peccare; si enim probabile tantum est se non peccare, poterit falli, & reverà peccare; C. Pallav. *1. 2. d. 9. qu. 4. art. 1. n. 5.* quod conscientie iudicium debeat esse evidens. Idem aiunt Herincx *tom. 2. n. 4 & 31.* Maltr. in *2. d. 5. n. 41.* Caram. in *Dialect. n. 399.* Bordon. Mynez, & alij omnes.

## SECTION II.

Advertenda.

§. I.

Aliqua.

## SUMMARIUM.

Tam Reflexista statuentes necessitatem iudicii reflexi, quam Non-Reflexista eam negantes, exigunt certitudinem de non peccato, n. 15. Præfens difficultas, an ad operandum satis sit opinio probabilis, locum habere potest contra Tutoristas, aut Probabilioristas, an satis sit tutior, an satis probabilior, n. 16.

Ostendo, n. 17.

Argumentum manet integrum contra Probabilioristas, & Tutoristas, ibid.

Quæro contra eosdem, an certitudo in se ipsi probabiliori, & tutiori, an iudicio reflexo de licito usu probabilioris minus inta, aut tutioris minus probabilis? n. 18.

Hæc quaestio, undenam certitudo de non peccato derivetur, est communis, tam Probabilistis, quam Anti-Probabilistis, n. 19.

Demonstro, ibid.

Minus probabilis de non peccato materiali, & de honestate materiali est certa de non peccato formali, & de honestate formali, ibid.

Quaestio semper est de certo probabili, an satis sit? n. 20.

Quid sit certitudo formalis intellectualis? n. 21.

S. Thom. ibid.

Unde oriatur essentialis determinatio actus certi ad verum? Ibid.

Formalis certitudo adhesionis convenienti fidei oriatur à voluntatis imperio, ibid.

Egregia D. Thom. quoad hoc doctrina, ibid.

Sicut ut actus fidei sit certus, satis aliqua species certitudinis, ita ut conscientia sit certa, n. 22.

Fides habet certitudinem adhesionis affectivæ, non autem speculative ab evidentia, ibid.

Conscientia est certa certitudine veritatis practicae, non veritatis speculative, ibid.

Sicut formido imprudens non obest Fidei Divine, ita nec conscientia certo probabili, ibid.

Quid veritas formalis speculativa, quid practica? n. 23.

Quid



Quid certitudo formalis speculativa, quid practica? Ibid.

Conscientia esse potest speculative falsa, & practice vera, Ibid.

Conscientia esse potest speculative non certa, & practice certa, Ibid.

Judicium invincibiliter erroneum est speculative falsum, & practice verum, & certum de non peccato, n. 24.

Hoc docet Scotus, n. 25.

Immo docet ad judicium invincibiliter falsum sequi posse actum honestum, Ibid.

Caetanus veritatem speculativam, & practicam acutè exponit, n. 26.

A diversis terminis sumitur, Ibid.

Sicut actus potest esse speculative falsus, & practice verus, ita potest esse certus de veritate practica, non autem de speculativa, Ibid.

neccesitet ad sequendam semper probabiliorē, ut faciunt Probabilioristæ, sive necessest ad sequendam semper tutiorem, etsi minus probabilem, ut Tutoristæ, ut deinde animadversum vidi à P. de la Fuente *disf.* 4. P. de la n. 55. Quapropter miror Tutoristas, & Probabilioristas petere à nobis, unde opinio minus probabilis sumat suam certitudinem de non peccato, aut de honestate formali, cum hoc ipsum ego petam ab ipsis, unde probabilior, aut tutior sumat suam certitudinem de non peccato, aut de honestate formali. Vel enim probabilior, & tutior, est per se ipsam formaliter certa; & tunc hoc ipsum ego dico de minus probabili minus tutam: vel est certa per syllogismum reflexum, quatenus certum est licere sequi probabiliorē minus tutam, aut tutiorem minus probabilem? & tunc hoc ipsum dicent omnes Probabilioristæ derivantes certitudinem in opinione minus probabili ex syllogismo reflexo; volunt enim certum esse licere sequi minus probabilem, ita ut probabile non sit, quod non liceat eam sequi, & necessarium sit sequi tutiorem, aut probabiliorē.

Explico. Arguit Anti-Probabilista contra nos: Ad rectè operandum necessarium est 17. judicium certum de recta operatione: sed opinio probabilis non est judicium certum: ergo opinio probabilis non est satis ad rectam operationem. Retorquero in Probabilioristas, & Tutoristas. Ad rectè operandum necessarium est judicium certum de recta operatione: sed neque probabilior minus tutam, neque tutior minus probabilis est judicium certum: ergo nec tutior, nec probabilior satis est ad rectam operationem. Ecce integrum argumentum, sive quis sit Tutorista, sive Probabiliorista, sive Probabilista. Quo jure igitur tantum contra nos exardecunt Anti-Probabilistæ negantes licitum usum opinionis certò practice minus probabilis; ex eo quia minus probabilis non est certa de non peccato, & de honestate operationis, cum nec probabilior, nec tutior sit de ipsa certa? Igitur sive sis Probabiliorista, sive Tutorista, teneris huic argumento respondere, & dicere vel non esse necessariam certitudinem de non peccato, & de honestate operationis ad rectam operationem, quod tamen nemo dicit; vel admissio ut necessario ad rectam operationem judicio certo de non peccato, & de honestate operationis, assignare debes undenam hauriat eam certitudinem conscientia operans.

Sic enim Probabiliorista, aut Tutorista N. dicat ipsam opinionem probabiliorē, aut 18. tutiorem esse se ipsa formaliter certam; hoc

Antij. idem

N. 15.

P. Bard. P. Oved. M. Merc.

N. 16.

Primum est, quod, etsi primà facie videantur inter se Doctores contrarij, reverà tamen in hoc omnes veniunt, quod ut quis sine peccato, & honestè operetur, habere necessario debeat judicium certum de non peccato, & de honestate operationis; quo judicio certo si careat, illicitè operabitur. Cur autem teneamur habere hoc judicium certum, dicam paulo post. Quare P. Bardi, & P. Oved. l. c. & M. Merc. l. c. dicunt quod AA. citati pro secundà opinione non differant à citatis pro primà. Verumtamen etsi omnes DD. tam pro primà, quàm pro secundà citati coveniant in necessitate judicij certi de licitè operatione, adhuc tamen toto cælo differunt, nisi crasse hallucinor; nam omnes negantes necessitatem judicij reflexi, sive sint Probabilistæ, sive Probabilioristæ, dicunt omnem opinionem practice probabilem esse se ipsa formaliter certam, adeoque se solà satis esse sine alio judicio reflexo ad licitè operandum, ut infra ostendam: Doctores autem tuentes necessitatem judicij reflexi, sive sint Probabilistæ, sive Probabilioristæ, negant opinionem practice probabilem esse certam, & ideo necessario requirunt aliud ultimum judicium practicum certum exclusivum formidinis; quod judicium est reflexum, quia reflectit supra licitum usum opinionis probabilis; & est certum, quia supponunt, ut sibi certum, quod ille usus licet.

Secundum est, quod præsens difficultas, an ad licitè operandum satis sit opinio probabilis, non est peculiaris, nec restringenda ad solam opinionem tuentem licitū usum cujusque opinionis certò practice probabilis, immò est communis etiam sententiæ neganti licitum usum opinionis certò practice probabilis; sive deinde ea sententia negans

Tom. III.



idem dicam de minus probabili, quod sit se  
ipla formaliter certa de non peccato, & de  
honestate operationis. Si autem dicat, quod  
præter opinionem probabiliorem; aut tutio-  
rem requiratur aliud iudicium certum, quod  
sit consequens deductum ex his præmissis,  
quas dicunt certas; nempe, *Licet sequi, im-  
mò necesse est sequi opinionem probabiliorem, aut  
tutiorē: sed opinio docens licere die festo pictu-  
ram* (quidquid sit de veritate exempli; in  
his enim non requiritur veritas) *est probabi-  
lior, & tutior: ergo licet, immò necesse est hanc  
sequi.* Si; inquam, hoc dicant, nempe, quod  
illud ultimum iudicium de licentia, immò  
de necessitate sequendi hanc, quia est tu-  
tior, aut probabilior, sit certum, quatenus  
utramque præmissam supponunt certam;  
& illud ipsum iudicium certum reflectens  
supra licentiam, immò necessitatem sequen-  
di tutiorem, aut probabiliorem esse, quod  
dirigit ad volitionem honestam picturæ die  
festi, & quod certificat operantem de non  
peccato, & de honestate; hoc ipsum dice-  
re poterunt, immò dicunt plerique Proba-  
bilistæ, nempe hoc iudicium, *Licet sequi  
hanc opinionem minus probabilem præctice de pi-  
cturæ die festo*, hoc, inquam, esse regulam im-  
mediatam volitionis honestæ, & illud ipsum  
iudicium esse certum, quatenus deductum  
ex duplici præmissa illis certâ, nempe ex his,  
*Licet sequi opinionem minus, certo tamen pro-  
babilem præctice: sed opinio docens licere die festo  
picturam est talis: ergo licet hanc sequi.*

N.  
19.

Vides igitur, quod à nemine notatum  
vidi, difficultatem præsentem, undenam  
certitudo de non peccato, aut de honestate  
operationis habeatur, esse communem om-  
ni sententiæ, sive obliganti ad tutius, etsi  
minus probabile, sive ad probabilius, etsi  
minus tutum; sive deobliganti ab utroque,  
& admittenti licitum usum cuiusvis opi-  
nionis minus probabilis. Quæro enim, an  
hoc iudicium reflexum supra tutiorem, aut  
probabiliorem, sit certum? Si affirmant; præ-  
terquamquod falsum dicent, ut probavi d.  
10. & 11. hoc idem Probabilista dicet de  
hoc iudicio reflexo supra licitum usum opi-  
nionis minus probabilis, *Licet sequi omnem  
opinionem, certo tamen præctice probabilem, esse  
certum.* Rursus quæro, an illud iudicium,  
*Necesse est sequi tutiorem, aut probabiliorem,*  
adeoque hanc opinionem, sit regula formalis  
immediata, & proxima dirigens ad rectam  
operationem? Si affirmant; hoc ipsum di-  
cet Probabilista de hoc iudicio reflexo, *Li-  
cet sequi omnem minus; dummodo tamen certo  
probabilem præctice; atque adeo hanc opinio-*

*nem, quod sit regula immediata, & proxi-  
ma dirigens voluntatem ad rectam operatio-  
nem.* Si autem negent, quod illud iudicium  
reflexum sit necessarium, sed ipsam opinio-  
nem probabiliorem, aut tutiorem esse regu-  
lam immediatam dirigentem voluntatem ad  
recte operandum, hoc ipsum ego dicam, im-  
mò, ut ostendam, quilibet, sive Probabilisti-  
sta de probabili, sive Tutorista de tutiori,  
sive Probabilista de probabili dicere debet  
ipsam opinionem minus probabilem esse regu-  
lam immediatam dirigentem voluntatem  
ad rectam operationem. Quod si quis inhet,  
quomodo in minus probabili de non pecca-  
to detur certitudo de non peccato; instabo  
& ego, quomodo in magis probabili de non  
peccato detur certitudo de non peccato;  
non enim per hoc quod sit probabilius non  
esse peccatum ita operari, ideo certum est  
non esse peccatum. Addo quod minus pro-  
babilis est minus probabilis de non peccato  
materiali, & de honestate materiali; est ta-  
men certa de non peccato formali, & de  
honestate formali. Patet igitur integram  
quoad omnia tam juxta Probabilistas, quam  
juxta Anti-Probabilistas manere difficultatē.

Tertium est, quæstionem sepe esse N.  
de opinione certo probabili præctice; de hac  
enim quæritur, an se solâ satis sit ad lic-  
tè operandum; atque adeo si opinio sit  
vel dubiè probabilis, quatenus suspensio  
omne iudicium de ejus probabilitate; vel  
probabiliter probabilis, quatenus formo iu-  
diciū purè probabile de ejus probabilita-  
te; sive deinde sit probabilius probabilis,  
quam non probabilis; sive sit eque pro-  
babiliter probabilis, ac non probabilis; sive  
sit probabilius non probabilis, quam proba-  
bilis; nulla ex his opinionibus, ne quidem  
accedente altero iudicio reflexo, satis erit ad  
licitè operandum. Porro, quod nec dubiè  
probabilis, ut omnes sentiunt, nec probabi-  
liter probabilis, ut ferè omnes supponunt,  
satis sit, paulo post ostendam.

Quartum est, quid sit certitudo formalis, N.  
& intrinseca actibus intellectus, (que sola 21.  
nomen certitudinis meretur, nam certitudo  
objectiva, quâ objectum, ut loquitur S. Th. 2. 2.  
2. 2. qu. 4. art. 4. non potest aliter se habere,  
est potius necessitas objecti, quam certitu-  
do) certitudo, inquam, formalis intellectu-  
lis, juxta S. Thom. in 3. dist. 23. qu. 2. art.  
2. non est nisi determinatio intellectus ad  
unum ex contradictoriis, illudque verum;  
quod idem tradit 1. p. qu. 1. art. 5. corp. & C.  
Gaiet. ib. vel, ut alij loquuntur, est indefe-  
ctibilitas actus intellectus à vero. Quod si  
quæritur, undenam oriatur ea essentialis  
conne-



connexio cum vero, aut ea indefectibilitas à vero: dico quòd S. Thom. Caiet. & alij volunt oriri à lumine; & ideo S. Thom. ait scientiam habere certitudinem ex lumine naturali essentialiter connexo cum vero, & fidem à lumine supernaturali. Porro omiffis pluribus certitudinis speciebus non tantum intellectus, sed etiam voluntatis, de quibus passim Theologi, præcipue in materia de Fide, placet breviter referre, quia ad rem nostram facit, quod habet S. Thom. qui vult formalem certitudinem adhesionis, quæ nostræ fidei tribui solet, derivari ab imperio voluntatis in intellectu; & ideo S. D. negat actibus Fidei Theologicæ certitudinem adhesionis purè intellectualem, ita in questionibus de Veritate *qu. 14.* quæ est de Fide, *art. 1. in corp.* ait, intellectum per actum scientiæ quietari, quasi per visionem veris, non ita per actum fidei, sed adhuc suspirare inquisitionem de his quæ credit, quamvis firmissimè eis assentiat, quatenus captivatur terminis alienis, nempe à voluntatis imperio, & non propriis, nempe ab evidentiâ rei; inde est quod in credendo potest insurgere motus de contrario ejus, quod firmissimè credit, quamvis non in sciente. Idem repetit *ib. qu. 10. art. 12. ad 6.*

Ex quâ doctrinâ deduco 1. quòd sicut, ut actus Fidei Theologicæ sit certus, non est necesse, ut sit certus omni certitudinis genere, sed satis, ut aliquâ certitudine sit certus, nempe certitudine adhesionis affectivæ, etsi non sit certus certitudine adhesionis speculativæ derivatæ ab evidentiâ; ita multo magis, ut conscientia, seu opinio certò probabilis practicè sit certa, necesse non est, ut sit certa certitudine veritatis speculativæ, sed satis certitudine veritatis practicæ. Deduco 2. quòd sicut non obest Fidei Theologicæ certissimæ imprudens formido, ut ait S. Th. ita neque certitudini, quam do opinionioni certò probabilis practicè, non obstat formido. Quintum est, quòd cum certitudo formalis, ut dixi *num. 2. 1.* sit essentialis connexio actus intellectualis cum veritate, ita ut repugnet actum esse certum, & non esse affirmatum suæ veritati; veritas autem formalis, ut sæpe dixi *d. 4. & 5.* alia sit speculativa, quæ non est nisi conformitas actus speculantis objectum (sive objectum sit quid practicabile, sive non) cum eodem objecto ut est in re, quæ veritas formalis speculativa dici etiam solet veritas logica: alia verò sit veritas formalis practica, quæ non est nisi conformitas actus intellectus cum objecto, ut est prudenter in mente, seu ut proponitur conforme cum primis regulis morum; ita ut ille actus con-

scientiæ sit speculativè verus, qui repræsentat objectum ut est in re; ille actus conscientiæ sit practicè verus, qui se, & objectum ad quod dirigit, exercere conformat regulis morum. Ita alia est certitudo formalis speculativa, quæ non est nisi connexio actus cum veritate speculativa, seu connexio essentialis talis actus speculativè veri cum objecto ut est in re: alia est certitudo formalis practica, quæ non est nisi essentialis connexio talis actus practicè veri, & objecti per eum directi cum veritate practica, seu cum regulis morum. Hæc omnia patent ex *d. 4. & 5.* ubi dixi quid sit veritas speculativa, & practica, & ibi ostendi quomodo conscientia esse possit speculativè falsa, & practicè vera, quatenus talis actus conscientiæ potest non esse conformis objecto ut est in re, & adhuc esse conformis regulis morum, ut constat in judicio invincibiliter erroneo; ita facile constat quomodo actus conscientiæ esse possit speculativè non certus, & tamen esse practicè certus, ut contingit judicio certo probabili, aut probabiliori.

Si enim dictamen certò speculativè falsum potest esse practicè verum, ut contingit in judicio invincibiliter erroneo, atque adeo potest, ut Fides docet, esse saltem regula negativa morum; immò si dictamen certò carens, immò excludens omnem speculativam certitudinem, potest habere certitudinem practicam, ut eidem judicio invincibiliter erroneo accidit, multo magis dictamen probabiliter speculativè verum, & probabiliter certum certitudine speculativâ, poterit esse practicè verum, & practicè certum, seu habere certitudinem practicam, quod bene tenendum.

Hæc omnia vidit subtilissimus Scotus in *N. 4. dist. 9. qu. un.* ubi ostendit veritatem practicae stare posse cum falsitate speculativâ, seu cum falsitate à parte rei; & quòd certa probabilitas satis sit, ut actus sit practicè verus, etsi speculativè, seu ut est in se, sit falsus; & ideo rectè Scotus ait, quòd qui præmissò diligenti examine communicat, nullam in se culpam lethalem agnoscens, adhuc honestè operatur, etsi culpa lateat. In quo casu habetur tunc certitudo de veritate practica, seu de bonâ operatione, etsi adsit falsitas speculativa, ut scitè notat Mastrius in *2. disp. 5. n. 108.* ubi etiam advertit, quòd in presenti per judicium speculativè rectum veniat illud, quod est conforme objecto virtutis, seu bonitati objectivæ ut est à parte rei, & non tantum ut habet esse in intellectu; & quòd per practicè rectum veniat judicium, quod est conforme objecto, ut est prudenter

in



in mente, five objectum ita sit, aut non sit à parte rei, ut est in mentes; & hæc dicitur veritas practica.

N. Idem vidit acutissimus Caiet. 2. 2. qu. 60. art. 4. qui bene utramque veritatem explicuit; & ego ex eodem explico utramque certitudinem speculativam, & practicam. Ait enim: Intellectus practicus in moralibus dupliciter concurret, ut cognoscens, & ut dirigens, & quod non eodem modo verus est ut cognoscens, & ut dirigens, sed diverso modo; nam ut cognoscens, verus est per conformitatem ad rem cognitam, sicut intellectus speculativus; ab eo enim, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa; sed ut dirigens, verus est per conformitatem ad appetitum rectum, ut dicitur in 6. Ethicorum. Hæc Caietanus In quibus verbis habeo 1. intellectui practico in moralibus, seu conscientie convenire posse veritatem tum speculativam, tum practicam: 2. à diversis terminis sumi veritatem speculativam, & practicam; nempe speculativam à conformitate objecti ut est in le; practicam à conformitate objecti ut est in mente cum regulis morum; id est à conformitate actus dirigentis, & operis directi cum appetitu recto, seu regulis morum: 3. ut intellectus practicus sit verus, satis esse conformitatem cum regulis morum, seu appetitu recto: 4. sicut intellectui speculativo in moralibus convenire potest duplex veritas, alia speculativa, alia practica, immò potest ea carere; ita etiam convenire potest duplex certitudo, nempe speculativa, & practica; ita tamen ut certitudo speculativa non sit de necessitate intellectus practici, ut patet in iudicio invincibiliter erroneo dictante hoc esse præceptum; certitudo autem practica essentialis sit intellectui practico, seu conscientie. Quare Caram. bene, me iudice, tom. 4. Theol. Mor. Fund. in qu. Proximali distinguit inter veritatem, & veracitatem; & quod communiter Doctores vocant veritatem speculativam, vocat ille absolute veritatem, quæ sumitur à conformitate cum objecto ut est in re: & quod communiter dicitur veritas practica, vocat veracitatem, quæ est ipsum esse, quod objectum habet in nostra mente, & opinione, independentem ab eo quod habet à parte rei; seu quatenus illud conformatur principiis morum. Rursus veritatem speculativam vocat veritatem quoad se; & veracitatem vocat veritatem quoad nos, l.c. n. 19. & fortè in hoc sensu Academicus Genuensis, in quem P. Muniessa stylum exercet, intelligit veracitatem.

Acad.  
P. Mun.

§. II.

Alia.

# SUMMARIUM.

Quid certitudo veritatis speculativæ, quid veritatis practicæ? n. 27.

Quid certitudo moralis, quid evidentia moralis? n. 28.

Hæc excludit omnem etiam imprudentem summam, non illa, ib.

Utramque confundit P. Eliz. ib.

Certitudo moralis, ait rectè Mastrius, etsi non sit vera certitudo, in ordine ad mores perinde est, ac si esset vera, ib.

Certitudo moralis sape sumitur à communi prudentum iudicio; immò in aliquibus materiis non nisi ab illo, n. 29.

Minus requiritur, ut excludatur dubium, quam ut formido, n. 30.

Assensus etsi imprudens excludit omne dubium, etsi imprudenter, ib.

Formido prudens, & imprudens à quo assensu excludatur? ib.

Non omne, quod excludit prudentem falsi formidinem, excludit falsitatem, ib.

Actus verus, sed imprudens, excludit falsitatem, non vero prudentem falsi formidinem. Actus falsus, sed prudens excludit prudentem falsi formidinem, non vero falsitatem, ib.

Sola veritas excludit falsitatem; & sola saltem certitudo moralis prudentem falsi formidinem, ib.

Certitudo moralis alia est perfecta, quæ omnem prudentem falsi formidinem excludit; alia imperfecta, quæ non excludit omnem prudentem falsi formidinem, n. 31.

Card. de Lugo ait, quod sit certum certitudinem morali imperfectam, quod hæc Hostia sit consecrata, ib.

Et ideo non satis, ut credam fide Divinam, etsi sit satis, ut teneam eam Hostiam adorare, ib.

Certitudo moralis perfecta videtur accedere evidentie moralis; sicut certitudo moralis imperfecta accedit probabilitati, n. 32.

Per me certitudo moralis, etsi imperfecta, excludit omnem prudentem formidinem oppositum, n. 33. & 34.

Similiter juxta me non tantum teneor adorare Hostiam expositam, sed etiam credere fide Divinam esse ibi Christum D. n. 35. & 36.

Si objectum non sit, ut affirmat actus fidei, talis actus erit tantum putative fidei Divina, etsi revera meritorius, ib. & 37. & 38.

Magna probabilitas pro una parte, & nulla pro alia facit certitudinem moralem. Exemplifico, n. 38.

Certitudo moralis, etsi ratione boni communis altera-



asseratur certitudo, cui non possit subesse falsum, revera tamen omni potest subesse falsum, ait recte Paserinus, n. 39.

Cur? ibid.

Bene tenendum contra Probabilioristas, ib.

Non omne iudicium probabile, nisi sit practicum, & nisi sit certo probabile, est prudens, n. 40.

Omne tamen iudicium certo probabile practice est prudens, ib.

Prudentia proprie est virtus intellectus practici, ibid.

Satis ut actus prudentia sint practice veri, n. 40.

Cur prudentia numeretur inter virtutes morales, ib.

Verum practicum est obiectum prudentia, ib.

Est certum dari assensus prudentes speculative falsos, ib.

Falsum quod ait P. Elizalde, idem esse iudicare prudenter, ac verè, ib.

N. 27. Sextum est, quod cum ego dicturus sim omnem opinionem certo probabilem esse se ipsa formaliter certam, explicandum mihi prius est duplex genus certitudinis conformiter ad ante dicta. Alia est certitudo veritatis speculative; hanc autem certitudinem opinio practica certo probabilis non habet; immo est incerta quoad veritatem speculative, nam est tantum probabiliter, seu incerto speculative vera; immo potest revera esse speculative falsa, etsi appareat probabilius vera speculative. Alia est certitudo veritatis practica; hæc autem certitudo est, ut probabo, essentialis cuilibet opinioni certo probabili practice; dicam enim omnem opinionem practicam certo probabilem esse certam certitudine essentialis cum peccato exclusionis, & cum non peccato connexionis; quam essentialem cum non peccato connexionem, & cum peccato oppositionem voco certitudinem veritatis practice, aut certitudinem indubitationis de peccato.

N. 28. Septimum est, aliud esse certitudinem moralem, aliud evidentiam moralem, ut late dixi d. 9. nam pura certitudo moralis excludit quidem omnem prudentem, non tamen omnem imprudentem formidinem de re, de qua sum certus. At evidentia moralis excludit omnem etiam imprudentem; & ideo l. c. P. Eliz. confundit evidentiam moralem cum certitudine morali; & nostra mysteria certo moraliter vera, asseruit esse evidenter moraliter vera. Quare attentè semper videndum, unde certitudo oriatur; si oritur ab evidentia, tunc est potius evidentia, quam certitudo, & tunc excludit non tantum omnem falsitatem, sed & omnem imprudentem falsitatis formidinem: si oritur non ab evidentia, sed ab infallibili connexionem actus cum obiecto, ut accidit in actu Fidei Divinae supernaturalis, tunc excludit per se omnem falsitatem, & omnem prudentem, non tamen omnem imprudentem falsitatis formidinem: si autem oritur ab argumentis adeo probabilibus, quæ humano loquendi modo faciunt certitudinem moralem, tunc certitudo moralis excludit quidem omnem prudentem, non tamen omnem imprudentem falsi formidinem, immo non excludit falsitatem; & ideo plura purè moraliter certa reperia sæpe sunt falsa, quamvis prius nullà prudenti falsi formidine tangeremur. Hinc rectè Maffius in 2. d. 5. qu. 2. num. 99. dixit, quod certitudo moralis, etiam non sit vera, & physica certitudo, in ordine tamen ad mores perinde accipitur, ac si esset vera certitudo; & ait certitudinem moralem esse tantam probabilitatem, quanta sufficere solet in rebus humanis ad tollendam sollicitudinem.

Similiter P. Card. tom. 1. d. 12. asserit, quod N. certitudo in re morali oriatur etiam ex com. 20. munissimo prudentum iudicio; quod enim P. Card. ferè omnes prudentes magnum, aut parvum asserunt, magnum, aut parvum est; & ideo in aliquibus materiis commune Doctorum iudicium facit certitudinem moralem; imò tom. 1. d. 2. n. 118. & 129. ait, quod plures rationes probabiles unitæ facere possint evidentiam moralem, melius dixisset certitudinem moralem, ut verum est; & ideo M. Soto in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. §. quo ergo pag. mihi 108. dixit: Certitudo moralis est, quæ de bonis conjecturis ad arbitrium sapientum colligitur; ejusmodi autem conjecturæ ex diversis qualitatibus pensandæ sunt.

Sed antequam ad alia descendam, duo N. ponderanda sunt. Vnum est, quod quidquid excludit omnem formidinem, siue prudentem, siue imprudentem, illud idem excludit omne dubium, siue prudens, siue imprudens; non e contra, omne quod excludit omne dubium prudens, & imprudens, excludit omnem formidinem prudentem, & imprudentem. Patet; nam longè minus requiritur, ut excludatur dubium, quam ut excludatur formido; dubium enim strictè sumptum, ut dicit suspensionem omnis actus circa obiectum dubium, excluditur per omnem assensum circa idem obiectum, adeo ut assensus temerarius satis sit, ut excludat omne dubium strictè sumptum; ita tamen, ut si assensus sit temerarius, dubium imprudenter excludatur; si assensus sit certo probabilis, excludatur prudenter. At ut excludatur formido, non satis est quilibet assensus; nam formido



formido prudens non excluditur nisi per iudicium certo prudens; formido imprudens non excluditur nisi per iudicium evidens. Similiter non omne, quod satis est, ut excludat prudentem falsi formidinem, satis est, ut excludat falsitatem. Patet; nam iudicium certo moraliter verum excludit prudentem falsitatis formidinem, nec tamen excludit falsitatem; potest enim illud iudicium certo moraliter verum esse in re falsum: ergo non omne quod excludit prudentem falsitatis formidinem, excludit falsitatem. Sola igitur veritas excludit falsitatem. Sola saltem certitudo moralis excludit prudentem formidinem falsitatis. Sola evidentia saltem moralis excludit omnem imprudentem falsitatis formidinem. Vnde si detur actus verus, sed temerarius, ille excludit falsitatem, non tamen prudentem falsitatis formidinem: si detur actus falsus, sed ex motivo certo prudēti, ille excludit prudentem falsitatis formidinem, non tamen falsitatem: si detur actus verus, certus, & evidens, ille excludit omnem falsitatem, & omnem prudentem, & imprudentem falsi formidinem.

N. Alterum est ex C. de Lugo d. 1. de Fide  
31. n. 316. & 317. & hoc etiam trahit Caram.  
C. de in Dialecticis n. 734. & 752. qui dividunt cer-  
Lugo titudinem moralem in perfectam, quæ ex-  
Caram. cludit omnem prudentem formidinem de  
falsitate objecti; & hæc certitudine morali  
certum est, quod Celsar extiterit, & alia, quæ  
in Historiis nullo contradicente ab omnibus  
creduntur: aliam imperfectam, quæ exclu-  
dit quidem omnem prudentem dubitationem  
de objecti veritate, aut iudicium probabile  
de opposito, non tamen omnem prudentem  
formidinem; & hæc dicitur certitudo  
moralis humana; & hoc genere certitudinis  
moralis ait C. de Lugo certum moraliter  
esse, quod hæc Hostia sit consecrata, hic  
homo baptizatus, & ordinatus. At quia hæc  
certitudo est imperfecta, excludens tantum  
omne prudens dubium, & iudicium opposi-  
tum, non tamen omnem prudentem formi-  
dinem, ideo, inquit, non est satis, ut credam  
Fide Divinā, quia non excludit prudentem  
formidinem oppositi, etsi hæc ipsa certitudo  
moralis imperfecta satis sit, ut obliget ado-  
rare hanc numero Hostiam, ut homo non  
iteret Baptismum. Idem ait M. Baro 4. p.  
M. Bar. Manuduct. pag. mihi 94. & 95. quod ad ve-  
ritatem practicam satis sit probabilitas; &  
ideo Hostia exposita est absolute, & non sub  
conditione adoranda, etsi certum non sit eam  
esse consecratam; & alia trahit exempla.

N. Verum etsi placeat divisio certitudinis  
32. moralis in perfectam, seu exactam, & in im-

perfectam, seu minus exactam: illa est, cui vix imprudenter credibile est posse subesse falsum, & valde accedit ad evidentiam moralem; hæc, cui aqualiter credibile est posse subesse falsum, quam utramque bene explicat P. de la Fuente *disput. 4. cap. 6.* & ideo quia suprema proximè accedit evidentie morali, sæpe cum hac confunditur; unde passim invenire est apud DD. quod uni existentiam Romæ dicant esse moraliter evidentem; alij, & melius, esse tantum moraliter certam, nempe suprema moralis certitudinis gradu, quatenus etsi difficillimum sit, est tamen possibile imprudenter formidare de non existentia Romæ: & contra infimam certitudinem moralem, quia proximè accedit probabilioritati, sæpe cum hac confundunt.

Attamen non placet 1. quod dicit, nempe certitudinem moralem imperfectam excludere quidem omnem prudens dubium, & iudicium de opposito, non tamen omnem prudentem formidinem. Contra enim est; tum quia, ut dixi n. 30. ut omne dubium excludatur, satis est quilibet assensus, etsi temerarius; nam dubium strictè, quodcumque illud sit, est suspensio omnis assensus; ergo posito quolibet assensu, tollitur omne dubium etiam prudens; unde qui temperari assentitur objecto, formidat quidem prudenter de illo, non tamen dubitat prudenter de illo; nisi dubium confundatur cum formidine, quod tamen, ubi propriè, & formaliter loquimur, permittendum non est; hic autem loquimur propriè de certitudine, dubio, & formidine; alias sicut imprudens formido stat cum fide revelationis, cum hac etiam statet imprudens dubium, quod dici non debet: ergo falsum est, quod certitudo moralis imperfecta excludat quidem omnem prudens dubium, & iudicium de opposito, non tamen prudentem formidinem; dico enim, quod excludat etiam omnem prudentem formidinem. Tum quia, si certitudo moralis imperfecta non excluderet omnem prudentem formidinem, idem quod est motivum prudentis formidinis, esse posset motivum prudentis iudicii; cur non? adeoque suspensum possem illud iudicium moraliter certum, & prudens oppositum concipere; quod nemo dicet; alias de Hostia exposita, & de homine inter Catholicos nato concipere possem prudens iudicium de non consecratione, & sic non adorare eam Hostiam; & de non Baptismo, & sic eum rebaptizare: ergo omnis certitudo moralis, dummodo talis sit, etsi in infimo gradu, excludit omnem prudentem oppositi formidinem.

Non



N. 34. Non placet 2. quod ait, quod quia certum moraliter imperfecte est Hostiam expositam esse consecratam, teneor quidem eam adorare, non tamen teneor credere Fide Divinam esse consecratam. Contra enim est 1. quia hoc nititur supposito falso, quod cum certitudine morali imperfecta stet prudens formido oppositi; hoc autem est falsum; quilibet enim certitudo moralis, etsi infima, excludit prudentem oppositi formidinem, & non tantum omne prudens dubium, & iudicium oppositum; hoc enim utrumque excluditur etiam à iudicio moraliter non certo.

N. 35. Contra 2. quia si non teneor credere Fide Divinam Hostiam esse consecratam, quomodo mortuos, dum juxta Ritualis Romani formam Viaticum sumendum porrigitur, interrogat Sacerdos, an credant ea in Hostia esse verum Christi D. corpus, & sanguinem? Mortuus autem respondet, *Credo*, non utique Fide humanam, quid enim ea prodesset? ergo Fide Divinam.

N. 36. Contra 3. quia si autoritas Parochi proponens rustico mysterium, ut à Deo revelatum, obligat rusticum, cui per Parochi auctoritatem mysterij existentia sit moraliter imperfecte certa, ut credat Fide Divinam mysterium; cur certitudo moralis imperfecta de consecratione non satis erit, ut obliget Catholicum, ut Fide Divinam credat eam Hostiam esse consecratam? Quod autem falsum esse possit, quod sit consecrata, actus autem Fidei Divinæ non possit esse falsus, nullam peculiarem habet difficultatem, quam quæ est communis etiam rustico, & cuilibet falso invincibiliter supponenti existentiam alicujus mysterij. Ut autem tunc dicitur, quod si objectum non existat, tunc actus fidei circa illud est putative tantum Divinus, non autem est revera Fides Divina, quin revera est actus fidei humanæ falsus, meritorius tamen ex imperio supernaturali; ita si Hostia non sit consecrata, actus ille fidei erit revera humanus, & falsus, etsi putetur Divinus.

N. 37. Contra 4. quia si certitudo moralis imperfecta de consecratione Hostiæ expositæ satis est, ut obliget eam adorare, cur non etiam ut obliget credere eam esse consecratam? & ut actus ille adorationis non est revera circa Christum D. si Hostia non sit consecrata, sed est putative tantum circa illum, ita actus ille fidei erit putative Fides Divina.

N. 38. Contra 5. quia, ut scitè P. de la Fuente n. 58. sicut in aliis materiis, in quibus certitudo moralis exigitur, non desideratur certitudo moralis exacta, cui difficillimum sit

imprudenter formidare de opposito, sed satis minus exacta, cui non ita difficile sit imprudens formido oppositi, seu magna probabilitas unius partis, & nulla partis oppositæ; & ideo homo inter Catholicos natus est moraliter certus de suo Baptismo; Sacerdos de suo Ordine; Fideles de existentia Christi D. in Hostia elevata; Judex de veritate delicti probati per duos testes omni exceptione majores; nec homini nisi accedat probabilitas pro non Baptismo, Sacerdoti pro non Ordine, Fideli pro non consecratione, etsi de eo imprudenter formidet, licet Baptismum, & Ordinem repetere, & negare adorationem Hostiæ expositæ: ita non video, cur ut credam, satis non sit certitudo moralis imperfecta, seu magna probabilitas pro consecratione, cum nulla pro non consecratione? talis enim probabilitas unius partis cum nulla pro alia parte reputatur more civili, & humano certitudo moralis. Nec ob hoc incurrimus in damnatam, quod *assensus supernaturalis fidei stet cum notitia tantum probabilis*, sed est moraliter certa, cum pro parte opposita nulla detur probabilitas.

Octavum est, ut rectè advertit M. Passerinus tom. 1. in 2. 2. q. 186. n. 271. quod licet certitudo moralis fictione juris sepe habeatur tamquam certitudo, cui non possit subesse falsum, revera tamen si ea comparata sit ex probabilibus, & fallibilibus principiis, eo ipso est fallibilis, etsi ex connaturali agendi modo, & ex vi boni communis aliqua talis certitudo habeatur, ac si esset infallibilis; atque adeo omni certitudini morali posse subesse falsum est prorsus certum apud DD. Hinc est, quod Probabilioristæ certitudinem moralem ad rectè operandum sufficientem refundentes in ipsum iudicium opinativum probabilius decipi videntur, dum suo iudicio probabiliori dant semper certitudinem moralem. Ratio est; tum quia motiva ejus iudicii sunt purè probabilia, ergo & iudicium; tum quia etsi multiplicata maius pondus habeant, attramen non semper talia sunt, ut à iudicio tollant prudentem oppositi formidinem: tum quia videtur repugnare, quod ex medio purè fallibili habeatur iudicium infallibile, immò si iudicium est infallibile, eo ipso medium pervenit ad certitudinem moralem: tum quia motiva stantia pro iudicio opposito non possunt semper rejici ut purus scrupulus, cum sæpe gravia sint; adeoque adhæsi intellectus ad objectum probabilius, si sit sine omni formidine, erit potius ex pertinaciâ voluntatis, ait Probabiliorista Passerinus, qui n. 272. concludit, quod ad rectè operandum necessaria saltem

N. 39. M. Pass.

M. Pass.



saltem sit tanta certitudo opinativa, quæ excludat omnem practicam dubitationem, five ea dicatur certitudo moralis, five non; quod est de voce.

N. Nonum est conscientiam esse actum prudentialem, ut dixi d. 4. esto autem non omne iudicium probabile sit prudens, ut *ibidem* dixi; nam iudicium probabile purè speculativum non est prudens, prudentia strictè sumptâ, hæc enim non est actus intellectus speculativi, sed practici, ut constat ex S. Thom. 1. 2. *qu. 57. art. 5. & 2. 2. qu. 60. art. 4.* & Caiet. fuse *ib.* immò esto nec omne iudicium practice probabile sit prudens, nisi sit certò probabile, ut dicam *sect. 3.* attamen omne iudicium certò probabile practice est prudens, ut docui d. 10. & 11. ubi etiam ostendi omne iudicium certò prudens esse æquè impossibile cum peccato formali, ac iudicium prudentius: & ideo passim offendes apud DD. quòd opinio certò probabilis practice est, quæ nititur motivo prudenti, aut motivo, quod movere potest virum prudentem: adeo verum est, quòd omnis opinio formalis certò probabilis practice sit iudicium prudens.

N. Porro, quid sit prudentia, sæpe dixi cum Arist. 5. *Ethic. cap. 5.* quòd sit Recta ratio agendorum; quâ definitione sæpe utitur S. Tho. Thom. 2. 2. *qu. 47. 49. 50. 51.* & sæpe ostendi satis esse, ut actus prudentie, etsi hæc sit virtus intellectus, sint veri veritate sibi proportionatâ, nempe practice veri, quia, ut dixi n. 26. ex S. Thom. & Caiet. prudentia non est virtus intellectus purè speculativi, cujus veritas consistit in cognoscendo, seu in cognitione objecti ut est in se; sed intellectus practici, cujus veritas consistit in dirigente ad actum conformem appetitui recto, seu regulis morum; & quia objectum prudentiæ, & ejus materia sunt actiones humanæ morales rectificandæ; & ob hoc prudentia numeratur inter virtutes morales, cum ejus objectum sit formaliter morale, seu verum practicum, ut rectè M. Tapia *rom. 2. lib. 4. qu. 1. art. 3. & 4. & 7.* qui subdit prudentie convenire certitudinem moralem, quæ tollit dubium practicum, etsi aliquando prudentiæ possit subesse falsum, ut contigit Jacob in accessu ad Liam ..... unde illud iudicium, quod fuit speculative falsum, erat moraliter, & practice verum, & certum, & sufficiens regulare actionem rectam virtutis castitatis. Hæc M. Tapia. Et ideo est certò certius dari assensus prudentes speculative falsos, talis enim est omnis error invincibilis, & omne iudicium putatum certò moraliter verum, in re tamen falsum. Quare la-

tissimè d. 4. 5. & 6. impugnavi dicentes idem esse judicare prudenter, ac judicare verè: si enim sermo sit de veritate speculativâ, olet Janfenismus; si de veritate practicâ, verum dicit, at non dicit, immò dicit oppositum. Vide quæ dixi d. 6. ubi probavi, quòd dictamen invincibiliter erroneum sit practice verum per conformitatem cum regulis morum; immò est regula morum, cui conformari tenemur; si autem tenemur conformari, utique est prudens, nullus enim obligatur nisi ad prudenter agendum. Porro si error speculativus potest esse practice verus, & habere certitudinem practicam, ut contingit dictamini invincibiliter erroneis est enim essentialiter connexum cum non peccato, & impossibile cum peccato; multò magis dictamen certò probabile practice poterit esse practice verum, & certum veritate practicâ, seu essentialiter connexum cum non peccato, & repugnans peccato.

### SECTIO III.

An necessaria saltem sit certitudo Probabilitatis ad licitum opinionis probabilis usum?

#### §. I.

De opinione dubiè, aut probabiliter tantum probabilis.

### SUMMARIUM.

Status questionis, n. 42.

Utraque questio locum habet in sententiâ etiam Probabilioristarum. Explico, n. 43.

Questio est de certitudine cadente supra probabilitatem, non supra veritatem, n. 44.

Non licet sequi opinionem dubiè probabilem, n. 45.

Eo ipso quòd S. Thom. dicat non licere sequi opinionem, si ex opinionum varietate incido in dubium, eo ipso vult debere esse certò probabilem, *ib.*

Rationes. Quia dubia probabilitas est probabilitas simul, & non probabilitas, immò est suspensio omnis assensus de probabilitate, a n. 46. ad 49.

Non licet sequi opinionem probabiliter tantum probabilem, n. 50.

DD. hoc negantes, *ib.*

Plerique male citantur à Torrecillâ, *ib.*

Maiori jure citari potest P. Cardenas, n. 51. & 52.

Impugnatur, *ib.*

Cur ego proposuerim statum questionis sub his terminis, An liceat sequi probabiliter probabilem? potius quam sub his, An satis sit opinio probabiliter probabilis? n. 55.

CNT



Car non liceat sequi probabiliter tantum probabilem? n. 56.

DD. tuentes non esse licitum sequi probabiliter tantum probabilem, n. 57.

Plerique supponunt, ib.

Citantur DD. à n. 57. ad 61.

P. Suar. ait, quod probabilitas non habens probabilitatem oppositam faciat certitudinem moralem, n. 59.

Cui est probabilis emissio voti, non autem non emissio voti, tenetur ad votum, ib.

Calumnia est, Probabilitas iudicare satis esse probabiliter probabilem, n. 60.

N. 42. **U**o sub hac sectione comprehendimus, Primum, an liceat sequi opinionem dubie probabilem; alterum, an liceat sequi opinionem probabiliter probabilem. Quod si neutrum liceat, eo ipso nullam opinionem probabilem, nisi ejus probabilitas sit moraliter certa, sequi licebit.

N. 43. **V**trumque autem dubium habere locum non tantum in sententiâ Probabilitarum, sed etiam Probabilioristarum, & Tutoristarum, certum mihi est, ut deinde ponderatum vidi in P. de la Fuente in Theol. Reform. diff. 4. n. 55. & 56. Quæro enim, an satis sit dubia probabilitas opinionis probabilioris? Rursus quæro, an satis sit, ut probabilitas opinionis probabilioris sit merè probabilis, an potius ejusdem opinionis probabilioris probabilitas debeat esse certa moraliter? Idem dico de sententiâ Tutoristarum; quamvis enim certum per eos sit, quod sit sequendum strictius, attamen sæpe concurrunt duo præcepta incompatibilia, & ignoratur quodnam præponderet; & licet dicatur, præponderare strictius, adhuc tamen inter DD. controversatur quodnam ex illis sit strictius, & uni unum, alij aliud strictius dicitur. Tunc autem ecce eadem difficultas, an ut obliget satis sit dubie strictius, an probabilis strictius; an necessaria sit certitudo moralis de maiori obligatione hujus potius, quam illius præcepti, ut teneat operari? Ergo utraque difficultas locum habet in omni sententiâ.

N. 44. **N**è verò facile dimoveamur ab utroque præsentis quæsitio cadente supra opinionis probabilitatem, non supra opinionis veritatem, sciendum est, quod dubium esse potest tum circa veritatem, tum circa probabilitatem opinionis. Circa veritatem est, quando utraque opinio cognoscitur ut certò probabilis, dubitatur tamen, quæ ex illis sit vera: circa probabilitatem est, quovis dubitatur, an ea opinio sit, aut non sit certò probabilis; etenim, ut paulò post dicam Tom. III.

contra P. Eliz. non tantum veritas opinionis, sed & ipsius opinionis probabilitas potest esse dubia, & incerta; sæpe enim dubitamus, an aliqua opinio sit probabilis, aut asserimus eam opinionem non esse certò probabilem, sed ad summum esse probabiliter tantum probabilem; adeoque simul esse probabiliter improbabilem.

Prima conclusio: Non licet sequi opinionem dubie probabilitatis, seu dubie probabilem. Est omnium cum S. Thom. cujus loca exponens M. Medina 1.2. qu. 19. art. 6. concl. 1. dixit, quod S. Thom. unice contendat eum, qui ob varietatem opinionum dubitat de opinionis probabilitate, non posse eam licetè sequi; secus, qui iudicat certò esse probabilem. Idem ait Maitr. in 2. d. 5. n. 116. solvens D. Thom. textum, quo Antiprobabilitate utuntur contra nos, dicens, quod merito S. Thom. dixerit talem peccare, dum tali dubitatione existente eligit opinionem; & ratio est; quia in exercitio partis probabilis intervenire debet iudicium omnino certum, quòd licitum sit sibi ita operari. Et post pauca subdit ex textu D. Thomæ ad summum deduci licitum non esse sequi opinionem, quam quis non certò putat esse probabilem.

Ratio conclusionis est evidens; quia opinio dubie probabilis est opinio probabilis simul, & non probabilis: sed non licet sequi opinionem probabilem simul & non probabilem: ergo non licet sequi opinionem dubie probabilem.

Confirmo 1. Dubia probabilitas est probabilitas simul, & non probabilitas opinionis: sed probabilitas, & non probabilitas opinionis est quid illicitum: ergo dubia probabilitas est quid illicitum. Minor patet; nam includit non probabilitatem, sub qua non licet operari.

Confirmo 2. quia dubium strictè summum, ut distinguitur ab opinione, est suspensio omnis assensus: ergo dubium de probabilitate est suspensio omnis assensus circa probabilitatem: sed sine omni assensu operari non licet: ergo non licet sequi dubie probabilem.

Confirmo 3. Tunc probabilitas est dubia, quando dubitatur, an ratio sit gravis: sed cum dubio de gravitate rationis non licet operari: ergo cum dubiâ probabilitate non licet.

Secunda conclusio: Non licet sequi opinionem probabiliter probabilem.

Hæc conclusio à paucis discutitur, esto à plerisque supponatur, quos mox dabo. Est tamen, inquit P. de la Fuente l. c. n. 48. contra B. P. Arriag.



- P. Arriag. tom. 1. in 1.2. d. 27. n. 9. Pasqual. *decis.* 28. P. Tambur. lib. 1. in *Decal. cap.* 3. §. 3. n. 9. quibus addo Torrecil. tr. 8. in 3. *dam.* ab Innoc. n. 15. asserentem satis esse opinionem probabiliter probabilem, & citat ex P. Moya pro se plures, sed immerito, nam P. Valqu. nil prorsus habet; P. Baldellus docet omnino oppositum; P. Salas, ut ait P. de la Fuente num. 49. & 50. excludit opinionem probabiliter probabilem sub nomine probabilitatis dubiæ; quod adeo verum est, ut P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 9. n. 18. pro sua sententiâ negante, licet sequi probabilitatem dubiam, citet, & probet ex P. Salas, & M. Medina ex iisdem locis, ubi non de probabilitate dubiâ strictè, seu sine omni assensu opinativo, sed de probabiliter probabili expressè disserunt. Est etiam contra Hozes in 3. *dam.* ab Innoc. n. 10. dicentem, quod esset onus intolerabile, si requireretur certitudo probabilitatis, cum ad dictamen prudens satis sit probabilitas probabilitatis. Sine jure autem M. Hozes citat P. Moyam in *Opusculo singulari pro Jesuitis*, (si tamen Tomus ille habet pro sui Authore P. Moyam) quasi P. Moya ibi doceat satis esse opinionem probabiliter probabilem; sine jure, inquam, non tantum quia eo in *Opusculo tract. de Opin. prob.* nihil de hoc habet, sed etiam quia etsi hoc ibi, aut alibi eo in *Opusculo* diceret, non tamen hoc docet. Quidquid enim integro eo Tomo tradit, ut sepe se declarat, præcipue in *Dedicatoriâ ad Lectorem circa finem* ait, nulli opinioni se eo in libro Apologetico subscribere; ergo etsi hoc eo in libro diceret, non tamen docet. Quare mihi certum est, quod omnes DD. quos Torrec. ex P. Moyâ citat pro sententiâ dicente, satis esse opinionem probabiliter probabilem, nil tale doceant, sed ad summum unice docent, non requiri judicium certum de veritate; non autem non requiri judicium certum de opinionis probabilitate, aut saltem judicium directum certum certitudine excludente prudens dubium, & formidinem peccati. Hinc P. Teril. qu. 20. de Reg. mor. n. 3. postquam dixit omnes ferè Authores convenire in negando, quod liceat sequi probabiliter probabilem, loquens de sententiâ affirmante subdit: *Pauculi aliqui, & quidem valde pauculi, nec tanti nominis Authores expressè dixerunt opinionem tantum probabiliter probabilem sufficere.*
- N. 51. Maiori, & fortè non irrationabili jure pro eadem sententiâ affirmante satis esse opinionem probabiliter probabilem, citari potest P. Cardenas tom. 4. *dis.* 4. ubi postquam impugnavit Lumbier, & Filgueiram exponentes,

quod opinio tenuis probabilitatis idem sit, ac opinio probabiliter probabilis, eam expositionem prorsus rejicit; & cap. 3. 4. 5. 6. ostendit aliud esse opinionem probabiliter probabilem, aliud tenuis probabilitatis; nam tenuiter probabilis est illa, ait, de cuius probabilitate dubitatur, seu dubiæ probabilitatis; talis autem non est opinio probabiliter probabilis.

Neque ut P. Card. liberetur à sententiâ affirmante satis esse probabiliter probabilem, sufficit dicere, quod idem P. Card. expressè neget, quod ut quis sine peccato, & honeste operetur, satis sit opinio ne quidem certo probabilis, multò minùs satis erit probabiliter probabilis; non tantum quatenus P. Card. est Reflexivista negans satis esse judicium directum certò probabile de non peccato, quin judicat necessarium esse judicium certum reflexum de non peccato in operando juxta minùs, certò tamen probabile; sed etiam quia idem P. Card. l. c. n. 46. ait, quod ut quis rectè operetur, non satis sit judicium, quo quis probabiliter censeat se non peccaturum, sed ulterius requiri, quod ultimum judicium, quo quis judicat se non peccaturum ponendo talem actionem, debeat esse certum; nam judicium probabile, quo quis probabiliter judicat eam opinionem esse probabilem, non est ultimum judicium, quo quis judicat de rectitudine operationis à se eliciendæ. Hoc totum mihi satis non est, ut eum liberem ab opinione affirmante satis esse probabiliter probabilem ad sine peccato operandum.

Ratio mihi est; quia etsi detur, quod aliud N. sit opinio tenuiter probabilis, aliud opinio 53 probabiliter probabilis: rursum quod opinio tenuiter probabilis idem sit, ac dubiæ probabilitatis; idem autem non sit opinio probabiliter probabilis, ac opinio dubiè probabilis; immò etsi detur, quod judicium probabile, quo quis judicat eam opinionem esse probabilem, non sit ultimum judicium, quo quis judicat de rectitudine operationis eliciendæ, adhuc his omnibus concessis semper sequitur, quod hæc propositio vera erit, *Licet sequi opinionem probabiliter probabilem, est deinde requiratur aliud judicium reflexum certum, à quo reguletur operatio eliciendæ; sed hoc est nimis laxum; ergo.* Sequela probatur ex principiis còmunibus ipsi P. Card. aliisque Probabilistis Reflexivis; nam hæc propositio, *Licet sequi minùs tutam, certò tamen probabilem, est prorsus vera, & certæ est juxta eosdem judicii directi certò probabile de licentiâ non sit ultimum dictamen regulans operationem; quin per illos necessarium est aliud*



aliud iudicium reflexum certū de licito usu minus tutā, & minus, certō tamen probabilis, a quo operatio elicienda immediatē regulatur: ergo a pari licet iudicium probabile, quo quis iudicat opinionem esse probabilem, non sit ultimum iudicium regulans operationem eliciendam, semper verum erit dicere, quod licebit sequi probabiliter probabilem, ut de facto dixere Torrec. & Hozes, qui sunt Probabilistæ Reflexivæ: ergo tota reflexio, qua utitur P. Carden. non liberabit eum ab hac laxā sequela, quod licitum erit sequi probabiliter probabilem; qualecumque deinde sit ultimum iudicium conscientie regulans immediatē operationem: an ipsum iudicium directum probabile reflectens supra probabilitatem opinionis; an aliud reflexum certum supra licitum usum opinionis probabiliter probabilis.

Confirmo 1. quia tota differentia inter has duas propositiones, *Licet sequi certō probabilem*, *Licet sequi probabiliter probabilem*, esse potest, quod formari possit iudicium certum reflexum de licito usu certō probabilis, a quo immediatē reguletur operatio; formari autem non possit iudicium certum reflexum de licito usu opinionis probabiliter probabilis; sed hoc est falsum: 1. quia, cur, si licet sequi probabiliter probabilem, formari non possit iudicium reflexum certum de licito usu probabiliter probabilis? sicut quia licet sequi certō probabilem, formari potest iudicium reflexum certum de licito usu certō probabilis. Secundō, quia vel formari potest iudicium certum reflexum de licito usu probabiliter probabilis, vel non? Si non; cur P. Carden. dicit, quod dictamen reflectens supra iudicium probabile, quo iudicavi opinionem esse probabilem, sit ultimum regulativum operationis? Si potest; ergo semper erit verum dicere, *Licet sequi probabiliter probabilem*, etsi præterea necessarium sit dictamen reflexum. Tertiō, quia aliud est, an satis sit ad fine peccato, aut honestē operandum opinio probabiliter probabilis; aliud, an liceat sequi opinionem probabiliter probabilem. Sicut aliud est, an ad fine peccato, aut honestē operandum satis sit opinio certō probabilis; aliud, an liceat sequi certō probabilem. Potest autem unum stare sine alio; potest enim non satis esse ad fine peccato operandum opinio probabiliter probabilis; & adhuc licitum esse sequi opinionem probabiliter probabilem; ut de facto Probabilistæ Reflexivæ dicunt de certo probabili, cujus usum licitum docent, & tamen negant satis esse ad fine peccato, aut honestē operandum opinionem.

Tom. III.

nionem certō probabilem: & propter hoc, præter iudicium directum certō probabile, volunt necessarium esse iudicium certum reflexum de licito usu certō probabilis, a quo actio proximē regulatur.

Hinc ego tum conclusiones, tum statum questionis propotui potius sub his terminis, an liceat sequi opinionem probabiliter probabilem, quam an satis sit ad fine peccato operandum opinio probabiliter probabilis. Nam negari posset, quod opinio probabiliter probabilis satis sit ad fine peccato operandum, quatenus præter iudicium probabile de probabilitate opinionis requiritur aliud reflexum certum de licito usu opinionis iudicatur probabiliter probabilis; & simul affirmari, quod licitum sit sequi opinionem probabiliter probabilem; ergo si P. Card. semel admittit licitum sequi probabiliter probabilem, quamvis neget eam satis esse ad fine peccato operandum; & neget, quod iudicium probabile de probabilitate opinionis sit ultimum dictamen regulans operationem eliciendam, eo ipso admittit rem nimis laxam, & communi ferē omnium sensu negatam.

Confirmo 2. quia si semel admittatur licitum sequi opinionem probabiliter probabilem, ita ut necessarium non sit sequi certō, sive magis, sive minus probabilem, aperitur aditus dicendi, quod licitum erit sequi opinionem minus probabiliter probabilem, quo nil laxius: ergo nullatenus concedi potest licitum sequi opinionem probabiliter probabilem.

Pro sententiā negante licitum sequi opinionem probabiliter probabilem, sed necessario debere esse certō probabilem, stant ferē omnes, ut ait P. Terillus *qu. 21. de Consc. prob. n. 1.* ubi postquam dixit paucos in hac materiā expressē distinxisse inter opinionem certō, & inter probabiliter tantum probabilem, subdit, quod uno, aut altero excepto, omnes absolute teneant, quod probabilitas debeat esse certa, ut operantem excuset; & citat P. Bardi *d. 4. cap. 10. C. de Lugo d. 10. de Fide sect. 1.* P. Fabri in Dia- logo de Opin. prob. & n. 2. addit: Ego cum istis questionem hanc ad probabilitatem practicam, eamque certam, & indubitatam restringo. Idem repetit P. Teril. *qu. 20. de Reg. mor. num. 3.* quod ut liceat sequi minus, aut magis, aut æquē probabilem, etsi minus tutam, debeat opinio minus tuta minus probabilis esse certō probabilis. P. Faber *Dial. 1. de Opin. prob.* ait, ut plurimum conscientiam probabilem dici, quæ opinione verē ac certō probabili niti-

Bij

tur



P. Gob. tur. P. Gobat in Quinario Tractatu, n. 3.  
C. de ait cum C. de Lugo, quod utus opinionis  
Lugo probabilis restringitur ad opinionem, cujus  
P. Beat. probabilitas est certa. P. Beatus qu. 5. n. 14.

ait: Opinio, quæ non est certò probabilis, non est tuta in praxi; & subdit hanc statui posse regulam in moralibus, eam solam opinionem probabilem, de cujus probabilitate dubitari non potest, esse tutam in praxi. P.

P. Bald. Baldellus lib. 4. de Consc. d. 10. n. 5. ait: Si quis non sit certus quasi reflexe, quod opinio ex quâ operatur sit probabilis, sed timeat, quod non sit probabilis, certum est quod non potest ex tali conscientia operari, cum hoc sit manifestè contra dictamen prudentiæ; & non possit eam formidinem non refundere etiam in ipsam operationem; atque ita hæc formido reflexa de opinionis improbabilitate omnino constituitur in conscientia dubia, non autem in conscientia probabili, ex quâ licet operari. Omitto alios ex Societ. DD. quos plenâ manu citatis fideliter eorum locis, & verbis allegat P. Poll.

P. Poll. lenter in 3. dama. ab Innoc. XI. qui deinde  
P. Terill. n. 118. concludit: Quid ego plures recenseam, quando gravissimi testes Terillus, &  
P. Fabr. Honoratus Fabri Dial. 9. de Opin. probab. edito Lugd. qui argumentum hoc omne diligentissimè excusserunt, clarè testantur in hanc sententiam convenire ferè omnes Societ. TT. ? Hæc P. Pollenter, & meritò.

Ego enim scio me sæpe legisse in P. Suar. P. Valqu. Valqu. P. Dicast. P. Sanch. P. Palao, C. de  
P. Dica. Lugo, P. Moya, & alijs quorum tamen loca non notavi, eo quia animus mihi tunc  
P. Sanch. non erat hoc ex professo tractare, sed potiùs  
P. Palao ut indubitatum supponere illicitum opinionis  
P. Moy. probabiliter tantum probabilis usum; scio, inquam, me sæpe advertisse, quod dicti DD. concedant quidem licitum sequi minùs probabilem, addunt tamen, si sit verè, certò, aut clarè probabilis.

N. Verum ut nostra conclusio non tantum  
58. intrinsecè per rationes, sed etiam extrinsecè fiat moraliter certa, citandi mihi sunt alij ex omni ordine Doctores. P. Moya tom. 1. qu. 6. §. 6. n. 35. postquam dedit aliquos sentientes, necessarium non esse ad sine peccato operandum iudicium moraliter certum, (intellige de opinionis probabilitate, & actionis honestate) ait oppositam sententiam omnino tenendam, & in eâ convenire omnes; & citat Patrem Bardi dicentem, quod DD. qui

tenisse videntur satis esse opinionem probabiliter probabilem, non voluerint excludere nisi iudicium moraliter certum speculativè de honestate objecti, quod verum est, non autem certitudinem practicam de probabilitate opinionis, & honestate actionis ab eâ dictatæ: etenim verum est quod ait P. Vasqu. 1. 2. d. 61. cap. 2. ex Almaino: Non potest adesse prudentiæ dictamen, ubi est maxima (seu prudens) formido pro parte opposita.

P. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. de Voto cap. 5. tractans de obligatione voti dubij, an emissum sit, ait n. 5. Illa probabilitas facit certitudinem moralem, quando non est alia similis in contrarium, quia in rebus humanis non est maior certitudo exigenda, cum vix aliquid per infallibilem evidentiam cognoscamus. Nec oportet distinguere de iudicio magis, vel minus firmo, seu cum maiori, vel minori formidine; nam si iudicium est reverà probabile in favorem voti, illud sufficit, ut votum integrè servandum sit, etiam si sit minimum, seu cum quacumque formidine, si iudicium in contrarium non est probabile. Hæc P. Suar. qui declarat, tum quod quoties una pars ita est probabilis, ut opposita non sit probabilis, tunc ea pars est certò saltem probabilis, & facit certitudinem moralem, quæ maior in rebus humanis non est exigenda: tum quod nemo operari possit, nisi habeat certam probabilitatem; & ideo qui ita habet iudicium probabile de voti emissionne, ut non emissio voti non sit probabilis, tenetur votum implere; contra qui non potest formare iudicium probabile de emissionne voti, non tenetur illud implere, ut ait n. 7. Idem docet 1. 2. d. 12. sect. 3. n. 2. ubi ait, quod ut voluntas sit recta, necesse est, ut sequatur iudicium conscientiæ practicæ certum de honestate objecti, & actionis. Nemo autem negare potest, quod hoc supponat saltem iudicium certum de probabilitate.

P. de la Fuente in Theolog. Reform. diff. 4. per totam, qui solus (quem viderim) in terminis fusè, & solidè hanc quæstionem discutit, & quàm certa esse debeat opinionis probabilitas, ut eam liceat sequi in praxi, & quandonam certa sit, ejusque certitudinis signa luculenter tradit; quod ipsum antea præstiterat P. Terillus qu. 5. & 6. de Consc. immò ibi. qu. 5. n. 7. scribit, quod P. Eliz. lib. 1. qu. 5. §. 2. solemnem intulerit Probabilistis calumniam, dum dixit hos docere satis esse opinionem probabiliter probabilem, nam quasi omnes expressè dicunt debere esse certò probabilem, & ideo toti sunt in tradendis infallibilibus signis probabilitatis.

Ex exteris veniunt in hoc ipsum M. Medina 1. 2. qu. 19. art. 6. dicens ex Divi Thom. 61. textu deduci licitum non esse sequi opinionem, nisi sit certò probabilis. Idem ait S. Th. Maltrius



Maſtrius in 2. d. 5. n. 116. & 126. Caram. in  
Dialexi lib. 4. Theol. n. 399. pag. mihi 146.  
dicens omnem illum peccare mortaliter, qui  
vel elicit actum, de cuius honeſtate dubitat,  
vel habet tantum probabiliter, imò proba-  
bilitatem, ſed ſolam certitudinem honeſ-  
tatis excuſare à peccato. Hoc ipſum re-  
perit in Epist. de Poſſeſſ. reg. pag. 344. He-  
nrich tom. 2. d. 4. n. 31. Filgucira in Lucerna  
in 3. damm. Lumbier tom. 3. Summæ à num.  
1737. M. Ferre apud Palanc. qu. 29. n. 271.  
Raphael à S. Joan. in Reg. mor. part. 2. qu.  
4. Perca paſſim, & alij ſine numero. His ad-  
di poſſunt omnes Probabilioritæ, præſer-  
tim P. D. Thyrius, Palanco, P. Munies. qui  
dicunt, quod ut licitus ſit uſus probabili-  
oris minus tutæ, debeat opinio eſſe clarè, &  
evidenter, & notoriè probabilior.

## §. II.

## Rationes concluſionis.

## SUMMARIUM.

Quia probabiliter tantum probabilis non eſt ſim-  
pliciter probabilis, & eius probabilitas eſt in-  
certa, n. 62. & 63.  
Distinguenda opinio dubiè, à probabiliter proba-  
bili, n. 64. & 65.  
Opinio probabiliter tantum probabilis eſt cuius  
probabilitas, & non probabilitas eſt probabi-  
lis, n. 66.  
Eſt incerta eius probabilitas, n. 67.  
Obiectio, cur liceat ſequi incertò veram, non in-  
certò probabilem? n. 68.  
Quid veritas moraliter certa, & quid certò  
probabilis? Quid opinio certò probabilis, &  
quid probabiliter probabilis? n. 69.  
Et quia probabilitas excludit neceſſariò incerti-  
tudinem, n. 70.  
Opinio probabiliter probabilis eſt aequè connexa  
cum peccato, ac non peccato, n. 72.  
Et eſt indiſſerens ad probabilitatem, n. 73.  
Et quia licebit ſequi probabilius non probabilem,  
n. 74.  
Et quia ibitur in infinitum in probabilitatibus,  
niſi probabilitas ſit certa, ibid.  
Et quia probabiliter tantum probabilis eſt ſemi-  
probabilis, n. 75.  
Evidens mihi eſt non licere uſum opinionis pro-  
babiliter tantum probabilis, n. 76.  
P. de la Fuente dividit certitudinem moralem in  
exactam, & non exactam, n. 77.  
Et ait, in plerisque materijs, in quibus certitu-  
do moralis exigitur, non exigi exactam, n.  
78.  
Quoties una pars eſt tantum probabilis, & alia  
non eſt probabilis, ea in communi riſe conſe-  
tur Tom. III.

moraliter certa, ibid.

Exempla, ibid.

Signa quibus dignoſcitur, quæ opinio ſit certò pro-  
babilis, n. 79. & 80.

Eam ſolam ſequi licet, cuius probabilitas eſt mo-  
raliter certa, n. 81.

Probatur 1. à P. de la Fuente n. 48. Pro-  
babilitas tantum probabilis non eſt ſim-  
pliciter, & abſolutè probabilitas, ſed tan-  
tum ſecundum quid, & cum addito; quo  
modo opinio probabiliter tantum vera non  
eſt abſolutè vera; & probabiliter falſa non  
eſt abſolutè falſa; & probabiliter certa non  
eſt abſolutè certa: ſed probabilitas, quæ non  
eſt ſimpliciter probabilitas, ſed tantum ſe-  
cundum quid, non eſt ſatis ad ſine peccato  
operandum; quis enim dicet probabilitatem  
ſecundum quid ſatis eſſe ad conſcientiam?  
Ergo probabilitas tantum probabilis non eſt  
ſatis ad non peccandum: ergo illicitus eſt  
uſus opinionis probabiliter tantum proba-  
bilis. Confirmat 1. num. 49. quia ultimum  
conſcientiæ iudicium debet eſſe moraliter  
certum: ſed nulla dantur principia, ex qui-  
bus deduci poteſt dictamen certum de licito  
uſu opinionis probabiliter tantum probabi-  
lis; ergo ejus uſus non licet. Confirmat 2. n.  
51. quia quoties opinio negativa eſt certò  
probabilis, affirmativa autem eſt incertò  
probabilis, non poſſum prudenter aſſentiri  
affirmativæ: ſed omnis probabiliter tantum  
probabilis eſt incertò probabilis: ergo nulli  
opinionem probabiliter tantum probabili poſ-  
ſum prudenter aſſentiri.

Probatur 2. à Lumbier; quia operans ex N.  
probabiliter tantum probabili non eſt tutus, 63.  
immo formidat de peccato, & amplectitur Lunb.  
periculum cognoscens illud; ergo operatur  
cum dictamine practice dubio de peccato.  
Confirmari poteſt; quia ne quis peccet, ne-  
ceſſe eſt, ut formet iudicium certum de non  
peccato: ſed ſequens probabiliter tantum  
probabilem, non poteſt illud formare; im-  
mo format tantum probabile de non pecca-  
to; ergo peccat.

Ego tamen etſi plurimum deferam dictis N.  
rationibus, attamen, ut rem melius con-  
cludam, advertere oportet diſcrimen inter  
opinionem dubiè probabilem, & probabili-  
ter probabilem; nam Adverſarij, præſertim  
P. Carden. diſtinguit inter opinionem dubiè  
probabilem, & probabiliter probabilem,  
ejuſque uſum licitum eſſe negat; huius affir-  
mat: ergo omnia argumenta, quibus opinio  
probabiliter tantum probabilis confunditur  
cum opinione dubiè probabili, nil probant.  
Diſcrimen autem eſt, quod dubium finitè

Bij impo-



importat suspensionem omnis assensus; non ita probabilitas formalis, quæ est essentialiter assensus: ergo ex hoc, quod illicitum sit sequi opinionem dubiè probabilem, non sequitur quod illicitum etiam sit sequi probabiliter tantum probabilem.

N. 65. Præterea convenientius est trahere argumenta contra licitum usum opinionis probabiliter tantum probabilis, quibus ille usus in omni sententiâ impugnetur; est enim res adeo laxa, ut ejus laxitas independentè ab omni sententiâ ostendi debeat. Alias si argumentis particulari sententiæ alligatis impugnetur, poterit, qui eam sententiam non sequitur, sed oppositam, licitè sequi opinionem probabiliter tantum probabilem. Sive ergo quis Reflexiva sit, & putet necessarium semper recurrere ad dictamen reflexum, ut certitudo habeatur; sive quis Reflexiva non sit, & putet necessarium non esse ad dictamen reflexum recurrere, ut certitudo habeatur, evertere debet licitum usum opinionis probabiliter tantum probabilis: ergo argumentum, quo illicitus esse illius usus probatur, quia haberi non potest dictamen reflexum de licito ejus usu, parum probat: tum quia non Reflexiva dicit hoc dictamen non esse necessarium: tum quia Reflexiva dicit, quod sicut haberi potest dictamen reflexum certum de licito usu certò probabilis, à quo reguletur immediatè operatio; ita etiam haberi poterit dictamen reflexum certum de licito usu opinionis probabiliter tantum probabilis, à quo operatio proxime reguletur. Debet igitur prius illicitus usus opinionis probabiliter tantum probabilis probari directè; qui si non probetur, frustra probatur reflexè illicitus, eò quia repugnat dictamen certum de ejus licentiâ.

N. 66. Probo itaque 1. quia opinio probabiliter tantum probabilis est opinio, cujus probabilitas, & non probabilitas est simul, & semel probabilis: sed opinio, cujus probabilitas, & non probabilitas est simul probabilis, sive æquè, sive magis, sive minus, est in praxi illicita: ergo opinio probabiliter tantum probabilis est in praxi illicita. Maior patet à pari: Vt enim opinio certò probabilis est illa, cujus non probabilitas non est probabilis; ita opinio probabiliter probabilis est illa, cujus probabilitas, & non probabilitas est probabilis. Minor probatur; quia opinio non probabilis non est licita in praxi: sed opinio, cujus probabilitas, & non probabilitas est simul probabilis, est opinio ita probabilis, ut simul sit non probabilis: ergo opinio, cujus probabilitas, & non probabilitas est simul probabilis, non est licita in praxi.

Probo 2. quia quoties una opinio ita est certò probabilis, ut ejus opposita non sit certò, immo sit incertò probabilis, non licet hanc sequi; quia incertum est, an assensus præstitus huic opinioni sit prudens: sed quoties aliqua opinio est probabiliter tantum probabilis, eo ipso est incertò probabilis, nam ejus probabilitas est incerta; ut enim veritas tantum probabilis est incerta, ita probabilitas tantum probabilis est incerta: ergo quoties aliqua opinio est probabiliter tantum probabilis, non licet eam sequi. Confirmo: Si est probabile tantum opinionem esse probabilem, est incertum, an sit probabilis; nam si probabilitas est tantum probabilis, eo ipso est simul probabilis non probabilitas: & si est tantum probabile, quod opinio sit probabilis, plerumque est simul probabile, quod non sit probabilis: quomodo autem sequi prudenter possum opinionem, de qua simul judico esse probabile, quod sit probabilis, & esse probabile, quod non sit probabilis?

Dices: Qui sequitur opinionem certò probabilem, nititur veritati incertæ, & tamen prudenter operatur: ergo est probabilis opinio sit incerta, qui illi nititur, poterit prudenter eam sequi. Concedo antecedens, & nego consequentiam; quia licet veritas certò probabilis sit incerta, tamen assensus est prudens, quia nititur certæ probabilitati veritatis incertæ. At in nostro casu assensus non est prudens, quia nititur probabili probabilitati, seu probabilitati, & non probabilitati. Ut enim dixi, vel opinionis probabilitas gravibus adeo rationibus probatur, ut ejusdem non probabilitas non probetur, nec sit probabilis; & tunc ea probabilitas est moraliter certa: vel opinionis probabilitas ita probatur, ut ejusdem non probabilitas simul probetur, aut probari possit? & tunc ea probabilitas est tantum probabilis; atque adeo etiam non probabilitas est probabilis. Quis autem dicit, me licitè sequi opinionem, cujus probabilitas, & non probabilitas, sive æquè, sive magis, sive minus sunt probabiles.

Exemplo veritatis res patefecit. Veritas N. 69. alia est moraliter certa, & est illa, cujus falsitas non est probabilis; alia est moraliter certò tantum probabilis, & est illa, cujus falsitas est etiam certò probabilis, sive magis, sive minus, sive æquè. Ut autem, dum assentior veritati moraliter certæ, sum certus de veritate; dum autem assentior veritati moraliter certò tantum probabili, sum certus tantum de probabilitate, non autem de veritate: ita accidit in casu nostro: alia est opinio



opinio certò probabilis, & est illa, cujus non probabilitas non est probabilis; alia est opinio probabiliter tantum probabilis, & est illa, cujus non probabilitas est etiam probabilis. Vt autem, dum assentior opinioni certò probabilis, tum certus de probabilitate; ita dum assentior opinioni probabiliter tantum probabilis, non tum certus de probabilitate, quin sum incertus; ergo assentior probabilitati, quæ simul est non probabilitas. Vt enim veritas certò probabilis potest in re esse falsitas, etsi sit certò prudenter veritas; ita dum assentior probabilitati probabiliter tantum probabilis, assentior probabilitati, quæ potest in re esse non probabilitas; & quæ simul est certò prudenter non probabilitas; nam ea probabilitas est tantum probabilis; ergo ea probabilitas apparet probabilitas, & apparet non probabilitas; si enim apparet probabilitas per argumenta gravia, eo ipso erit moraliter certa; quia quoties unum tantum contradietorium est per argumenta gravia probabile, & aliud nō est tale, illud est moraliter certum: ergo si probabilitas apparet per argumenta gravia probabilis, non probabilitas autem non apparet probabilis, eo ipso ea probabilitas erit moraliter certa.

Probo 3. quia probabilitas includit necessariò incertitudinem, & formidinem, ita ut si probabilitas sit circa veritatem, eo ipso sum incertus de veritate; si circa probabilitatem practicam, eo ipso incertus sum de probabilitate practicâ, seu prudentiali; quomodo autem operatio posita sub opinione, cujus non tantum veritas, seu honestas in re, sed etiam probabilitas practicâ, seu prudentialis est incerta, possit esse licita? & quomodo assensus ei opinioni præstitus æquè probabilis de prudentiâ, ac de non prudentiâ, possit esse prudens? Intellego quidem quomodo operatio posita sub opinione certò probabilis sit licita, & quomodo assensus præstitus ei opinioni sit prudens: quia etsi veritas ejus opinionis certò probabilis sit incerta, & licet formidinem de veritate speculativâ ejus opinionis, an sit conformis in re suo objecto; attamen quia ea opinio est certò probabilis, adeoque ex gravi fundamento conformis, meo videri, iplis regulis morum, ideo est certò prudens; & quia posita sub eodem judicio certò probabilis, ideo est licita. At non intellego, quomodo operatio posita sub judicio probabilis tantum de probabilitate opinionis possit esse licita; & quomodo judicium illud probabile tantum de probabilitate possit esse prudens: equidem tantum est discrimen inter operantem, & opinantem ex judicio certò probabilis de ver-

ritate opinionis, ac inter operantem, & opinantem ex judicio probabilis de probabilitate veritatis opinionis, quantum inter certò probabile, & probabiliter tantum probabile: sed certò probabilis practicè excludit omnem formidinem de imprudenti assensu, & operatione; probabiliter tantum probabile non excludit, immo includit formidinem de imprudenti assensu, & operatione: ergo sicut certum est, quod qui sequitur verum, & honestum certò probabile, operatur prudenter; ita æquè certum est, quod sequens verum, & honestum probabiliter tantum probabile, operetur imprudenter.

Confirmo 1. Vel admittens licitum sequi N. opinionem probabiliter tantum probabilem 71. est Reflexiva; tunc autem det nobis principia certa, quibus formetur ultimum dictamen conscientie certum de licito usu opinionis probabiliter tantum probabilis, & regulativum operationis ponendæ: vel non est Reflexiva? tunc autem probet, quomodo sit tuta in praxi operatio posita sub assensu incerto prudenti, immò æquè probabiliter prudenti, ac non prudenti; nam si probabilitas est tantum probabilis ex gravi fundamento, etiam non probabilitas est talis.

Confirmo 2. Nulla opinio ita tantum probabilis, ut sit æquè prudenter connexa, ac non connexa cum peccato, est licita in praxi: sed omnis incertò probabilis est talis, nam si non datur certitudo de non peccato, non excluditur prudens formido peccati: ergo nulla opinio incertò probabilis est licita in praxi.

Probo 4. quia opinio probabiliter probabilis est in differens ad probabilitatem, & non probabilitatem; & ad hoc ut sit, & ut non sit prudens assensus; quo modo opinio probabiliter vera est indifferens, ut sit vera, vel falsa; ergo non est licita in praxi.

Confirmo 1. quia si semel admittatur, quod licet sequi probabiliter probabilem, licitum etiam erit inter probabiliter probabiles sequi nō tantum eam, quæ est probabilius probabilis, sed & eam, quæ est probabilius non probabilis. Vt enim inter certò probabiliter veras, aliquæ sunt æquè probabiliter veræ, ac falsæ; aliæ magis probabiliter veræ, quam falsæ; aliæ magis probabiliter falsæ, quam veræ, & quamlibet ex his, dummodo sit certò probabilis, sequi licet; ita inter probabiliter probabiles, aliquæ sunt æquè probabiliter probabiles, ac non probabiles; aliæ probabilius probabiles, quam non probabiles; aliæ probabilius non probabiles, quam probabiles: ergo quamlibet sequi licebit, adeoque opinionem probabilius non probabilem.



bilem. Immo, cum hæc ipsa reflexa probabilitas supra probabilitatem subiecta sit alteri iudicio reflexo probabili, sequi licebit quamlibet opinionem probabilem, cuius probabilitas sit minus probabilis; & cuius hæc minor probabilitas sit etiam ipsa minus probabilis, & sic in infinitum; quod præter insignem laxitatem est impossibile: ergo pro certa regulâ probabilitatis, infra quam descendere non licet, statui debet ipsa certitudo probabilitatis. Etenim si statuatur probabilitas, cum hæc reflexa probabilitas possit in infinitum minui, nulla fixa probabilitas pro regulâ assignari poterit.

N. 75. Confirmo 2. Opinio certò probabilis de veritate non est necessariò vera, immò si opposita sit etiam certò probabilis, est semivera, ut ita loquar: ergo opinio probabiliter probabilis non est probabilis, sed semiprobabilis; nam ejus non probabilitas est etiam probabilis; quomodo autem licet sequar opinionem semiprobabilem?

N. 76. Hæ sunt rationes, quæ mihi se obtulerunt, & adeo claræ mihi videntur, ut evidens mihi sit, non licere sequi ullam opinionem, cuius solida probabilitas non sit absolutè, & respectivè moraliter certa. Dixi autem, toties opinionis probabilitatem esse moraliter certam, quoties ea probabilitas nititur argumentis absolutè, & respectivè gravibus; & præterea quoties ejusdem opinionis non probabilitas non est probabilis; si enim non probabilitas sit probabilis, eo ipso probabilitas non erit moraliter certa.

N. 77. Egregiè autem P. de la Fuente l.c. cap. 6. per totum, differens de signis, quibus dignosci possit moralis certitudo probabilitatis, duplicem distinguit certitudinem moralem: unam exactam, quæ semper conjungitur cum veritate sui objecti, aut ex vi sui motivi ita convincit speculativè intellectum, ut reddat omnino securum de suo objecto; talis est certitudo moralis de existentia Romæ, Indiarum, Cæsaris, & similium; hæc autem adeo vera videntur, ut sit prorsus incredibile, quòd sint falsa. Aliam non ita exactam, quæ non est nisi talis, ac tanta probabilitas, ut quia uni contradictorio deest, alteri autem adest, ideo hoc dicitur civili, & humano loquendi modo moraliter infallibile, & certum. Quare quoties una pars ita est probabilis, ut altera probabilis non sit, ea dicitur moraliter certa, atque adeo illud dicitur moraliter certum, & indubitatum, quod probabilibus argumentis ita verum ostenditur, ut ejus oppositum non sit probabile.

Hæc P. de la Fuente; quæ quamvis veram putem, attamen certitudinem moralem ex-

actam dicerem potius evidentiam moralem, quia ea certitudo moralis exacta excludit non tantum prudentem, sed etiam imprudentem formidinem oppositi; excludere autem imprudentem convenit evidentie morali, non autem puræ certitudini morali. Certitudinem autem moralem minus exactam puto dicendam esse absolute certitudinem moralem.

Post hæc P. de la Fuente à n. 58. ait, certum esse, quòd in plerisque materijs, in quibus exigitur moralis certitudo, non est necessaria ea exacta moralis certitudo, quæ semper uniatur cum veritate sui objecti, & ex vi sui motivi speculativè convincat intellectum, sed sufficit altera minus exacta, seu tam magna probabilitas unius extremi, ut ejus oppositum non sit probabile. Patet: Sic homo inter Catholicos natus est certus de suo Baptismo, Fideles de existentia Christi D. in Hostia exposita, Filij de suorum parentum veritate. Nec homini licet sub conditione rebaptizari; nec Fidei negare Hostie adorationem, nec Filio detrectare obsequia parentibus; nisi specialis ratio dubitandi illis accedat, quamvis non sit prorsus certum eum hominem esse baptizatum, eumque à talibus parentibus genitum. Cur autem, nisi quia quoties una pars est adeo probabilis, ut alia non sit probabilis, illa communi hominum modo habetur moraliter certa: ergo certum est, quòd in plerisque materijs, in quibus ad prudenter operandum exigitur certitudo moralis, non exigitur ea exacta, quæ semper uniatur cum suo objecto, sed sufficit talis certitudo moralis constans ex argumentis probabilibus pro una parte, ut altera non sit probabilis: ergo quoties datur argumentum probabile pro una parte, & nullum pro alia, toties datur pro illa certitudo moralis sufficiens ad prudenter operandum.

Si ergo in plerisque materijs, in quibus ad prudenter operandum requiritur certitudo moralis, sufficit magna probabilitas pro una, & nulla pro opposita; ita ad prudentem opinionis probabilis electionem requiritur certitudo moralis de probabilitate opinionis. Datur autem ea moralis certitudo de probabilitate, quoties probabilitas opinionis ita est probabilis, ut ejusdem opinionis non probabilitas non sit probabilis: contra si ipsa probabilitas sit opinativè dubia, seu dantur opiniones probabiles de probabilitate, & non probabilitate opinionis, tunc ea probabilitas non erit moraliter certa, sed incerta, & insufficiens ad prudentem opinionem, & operationem.

Quare



N. Quare omnis ea opinio, cujus veritas hinc inde controvertitur, unis negantibus, alijs affirmantibus esse veram, ejus tamen probabilitas non controvertitur, aut à negantibus illam esse veram, adhuc asseritur esse probabilis, ut plerumque facit S. Bonav. in 4. dist. 17. art. 2. qu. 3. & dist. 21. art. 2. qu. 1. & dist. 21. art. 2. qu. 3. & alibi apud Mastr. in 2. d. 5. n. 62. immo P. D. Thyrsus tom. 1. Select. d. 4. n. 18. opinionem oppositam proprie vocat probabilissimam, aut à nullo eximia doctrinae, & probitatis viro notatur ut improbabilis; aut est communis inter classici DD. censenda est certo probabilis. De signis, quibus certa probabilitas à dubia discernitur, latè tractat P. Terillus qu. 5. & 6. de Consc. omnino videndus, & brevius P. de la Fuente à n. 66. qui hoc ipsum discutit de novis opinionibus.

N. Tertia conclusio: Solam opinionem saltem certo moraliter probabilem sequi licet. Patet; quia nec licet sequi dubiè probabilem, nec probabiliter probabilem: ergo ut aliquam opinionem licitè sequar, debet saltem esse certo moraliter probabilis.

§. III.

Objectiones.

SUMMARIUM.

Quia difficulter distingui potest inter certo probabilem, & probabiliter probabilem, n. 82.  
Potest. Quid dubia probabilitas, & quid probabilis probabilitas? n. 83.  
An idem sit opinio probabiliter probabilis, ac tenuiter probabilis? n. 84.  
Cur non liceat probabiliter probabilis? n. 85.  
Probabiliter probabile non importat absolutam probabilitatem, quin etiam non probabilitatem, ibid. & n. 86. 87. 88.  
Omnis opinio probabiliter probabilis est probabiliter non probabilis, ibid. à n. 85. ad 88.  
Petens consilium format judicium certum de probabilitate consilij, n. 89.  
Si ex certo probabili opinione resultet alia incerto probabilis, hac non licet, n. 90. & 91.  
An opinio probabiliter probabilis generet dubium circa operationem? Mens P. Carden. à n. 92. ad 99.  
Non satis ut dubium quocumque assensu deponatur, sed necesse, ut assensu prudenti, n. 100. & 101.  
Cum probabilitate probabilitatis opinionis stat probabilitas non probabilitatis opinionis, & ideo non licet, n. 102.  
Quid dubitare, quid probabiliter opinari? n. 103.

Quid dubitare, quid formidare? n. 104.  
Non potest formari dictamen reflexum de licito nisi probabiliter probabilis, n. 105.  
Cur judicium incertum de veritate sit prudens, non ita incertum de probabilitate? n. 106.  
P. Elizald. ait repugnare, ut probabilia probabiliter cognoscantur, n. 107.

Objicies ex P. Carden. tom. 4. dist. 4. n. 14. N. difficulter distingui posse opinionem 82. certo probabilem à probabiliter probabili, P. Card. & ideo se numquam eà distinctione usum; sed se tantum distinxisse opinionem in verè probabilem, seu quam ferè omnes judicant probabilem; & in dubiè probabilem, seu de cujus probabilitate inter sapientes dubitatur.

Sed contra primò; quia dedi certa signa, N. quibus certo probabilis à probabiliter probabili distingui possit. Contra 2. quia sicut P. Card. P. Carden. distinguere potest inter verè, & dubiè probabilem, ita ego inter certo probabilem, & probabiliter probabilem. Contra 3. quia facit quæstionem de nomine, & quam vocat verè probabilem, ego voco certo probabilem: quam vocat dubiè probabilem, esto vocari possit incerto probabilis, non tamen probabiliter probabilis; incertum enim tam convenit dubio, quam probabilitati; cum hoc tamen discrimine, quod dubia probabilitas strictè sumpta, est quando omittitur omnis assensus; opinativa autem, seu probabilis probabilitas, est quando datur assensus ex unâ parte, ita tamen, ut pro non probabilitate detur æquale, aut ferè æquale fundamentum.

Objicies 2. Non est idem opinio tenuiter probabilis, ac probabiliter probabilis; tum 84. quia tenuis probabilitas implicat contradictionem terminorum inter se; tum quia probabilis probabilitas importat utrorumque terminorum veram, & absolutam probabilitatem; tenuis autem probabilitas eam negat; & sicut non est idem homo tenuiter prudens, ac absolute prudens; ita non est idem tenuis probabilitas, ac probabilis, seu absoluta probabilitas; sed idem esset tenuis probabilitas, ac probabilis probabilitas, si non licet sequi probabiliter probabilem; ideo enim hanc sequi non licet; quia si opinio A est probabiliter probabilis, est etiam probabiliter non probabilis, adeoque ejus probabilitas est tenuis.

Sed contra, quidquid sit, an opinio probabiliter probabilis idem sit, ac tenuiter probabilis; hoc mihi certum est, quod non licet sequi probabiliter probabilem, ob dictam rationem, quod si opinio est probabiliter



liter probabilis, est etiam probabiliter non probabilis. Quomodo autem prudenter sequar aliquam opinionem, quæ est æquè probabilis, ac non probabilis; immò sepe est magis non probabilis, quàm probabilis, seu maius habet fundamentum pro sui improbabilitate, quàm pro sui probabilitate? Quapropter licet verum sit, quòd tò *probabile* importet absolutam probabilitatem; neutiquam tamen verum est, quòd tò *probabiliter* *probabile* in utroque importet absolutam probabilitatem; & hoc est æquivocum Patris Carden. quia tò *probabiliter* reflectit non tantum supra probabilitatem, sed etiam supra non probabilitatem ejusdem opinionis, ita ut si probabilitas opinionis est probabilis, sit etiam probabilis non probabilitas; quomodo autem eligi potest opinio, cujus tam probabilitas, quàm non probabilitas, est probabilis, immò sæpe est probabilior non probabilitas, quàm probabilitas?

N. 86. P. Card. Objicies 3. ex eodem n. 18. 19. & 20. quia sicut quoties una opinio est probabilis, plerumque ejus opposita est etiam probabilis, ita quoties una opinio est probabiliter probabilis, etiam contradictoria erit probabiliter probabilis; quid autem tunc faciendum erit? an eligere tunc tutiorem? hoc autem erit onus intolerabile, & summè difficile discernere inter certò, & inter probabiliter probabiles; præsertim cum DD. non dicant, an hæc, vel illa opinio sit certò, an sit tantum probabiliter probabilis. An minùs tutam? tunc autem, cum ea opinio minùs tuta sit tantum tenuiter probabilis, incidemus in 3. damn. ab Innoc.

N. 87. P. Card. Sed contra; quia iterum P. Carden. æquivocatur, & ejus paritas est evidenter contra illum: ut enim quoties una opinio est probabilis, ejus opposita est etiam probabilis; ita quoties probabilitas est probabilis, toties non probabilitas erit etiam probabilis. Immo quoties una opinio est probabiliter probabilis, ejus contradictoria erit etiam probabiliter non probabilis; non autem, ut P. Card. æquivocatur, ejus contradictoria erit probabiliter probabilis; nam contradictoria opinionis probabiliter probabilis non est alia probabiliter probabilis, sed est eadem ipsa opinio probabiliter non probabilis.

N. 88. Explico, & sumo duplicem opinionem probabilem: ecce tunc probabilitas cadit supra veritatem unius, & altera probabilitas cadit supra veritatem alterius contradictorii; adeoque si hæc opinio, *Pictura die festo licet*, est probabilis, erit etiam probabilis contradictoria, *Pictura die festo non licet*. Summo modo opinionem probabiliter probabi-

lem: ecce tunc probabilitas reflexa non cadit supra veritatem opinionis, sed supra probabilitatem directam opinionis; contradictorium autem probabilitatis directæ est non probabilitas directæ ejusdem opinionis: ergo una probabilitas reflexa cadit supra probabilitatem directam, alia supra non probabilitatem directam ejusdem opinionis: ergo si aliqua opinio est tantum probabiliter probabilis, eo ipso eadem opinio est probabiliter non probabilis. Confirmo: Quoties veritas unius opinionis est tantum probabilis, eo ipso plerumque ejus falsitas est etiam probabilis: ergo quoties probabilitas alicujus opinionis est tantum probabilis, eo ipso non probabilitas ejusdem opinionis est etiam probabilis.

Objicies 4. num. 24. Petens consilium à N. Theologo format tantum judicium probabile, non autem certum de probabilitate opinionis, nam nititur auctoritati Theologi; ergo ea opinio est ei tantum probabilis, & tamen eam licet sequitur. Nego antecedens; dico enim, quòd format judicium certum moraliter de probabilitate opinionis, etsi illud judicium nitatur auctoritati Theologi; tum quia præsumit, quòd non sit daturus consilium, nisi juxta opinionem inter TT. certò probabilem; tum quia sæpe in pluribus infima certitudo moralis conditur ex unius tantum testimonio, suppositis aliis circumstantiis probatis, & sapientiæ, & ex ignorantia fundamenti in oppositum: ita judicium certum, quòd homo sit baptizatus, & ordinatus, unice nititur testimonio Parochi, & Episcopi, & eorum probatis; nemo enim præsumendus est malus, nisi positivè probetur; & judicium certum, quòd Petrus sit filius Pauli, nititur testimonio matris, ejusque castitati præsumpta, quia non probatur adultera. Vide quæ dixi n. 77. ad 79.

Objicies 5. n. 25. Plures opiniones probabiliter tantum inferuntur ex opinionibus certò probabilibus: sed illæ non sunt certò probabiles, & tamen licet in praxi, ut experientia docet; nam sicut ex præmissis evidentibus, cum bonitas consequentia est tantum probabilis, non resultat conclusio evidens, sed solum probabilis; ita ex opinione certò probabili cum bonitate consequentia tantum probabili, resultare non potest conclusio certò probabilis, sed tantum probabiliter probabilis.

Sed contra; quia si aliquando ex opinionibus certò probabilibus non resultant opinionibus certò probabiles, eo ipso hæc licet non erunt in praxi, & in culpa critica præ-



premissa, cujus probabilitas non erit certa, nec ejus probabilis connexio certa erit. At, regulariter loquendo, ex utraque præmissa certo moraliter probabiliter resultat conclusio certo moraliter probabilis. Addo, quod certitudo moralis de opinionis probabilitate non sumitur à bonitate illationis, sed ex eo, quod ea opinio judicetur ab Authoribus, etiam ejus veritatem negantibus, certo probabilis, & quod nullus ejus probabilitatem in dubium vocet, sed tantum ejus veritatem.

N. 92. Obijcies 6. n. 27. quia falsum est, quod opinio probabiliter probabilis generet dubium practicum circa operationem: 1. quia habet rationem prudentem, ob quam dubium deponatur; ut enim ægrotus dubitans, an teneatur ad Sacrum, audito Medici consilio, quod est sibi tantum probabile, deponit dubium practicum de auditione Sacri; ita practice dubitans de opinionis probabilitate, & inveniens rationem verè probabilem pro securitate opinionis habet principium, quo deponat dubium, & format judicium probabile de opinionis probabilitate: 2. quia dici non potest dubium practicum non posse prudenter deponi nisi per rationem certò, non autem per probabiliter tantum probabilem; hoc enim esset conscientiam scrupulis illaqueare, quatenus non tantum volumus eligendas non esse opiniones nisi certò probabiles, sed etiam, quod in rationibus probabilibus, quibus homines in dubijs occurrentibus suas actiones gubernant, non satis sit ratio probabiliter probabilis, sed necessaria sit certo probabilis: hoc enim modo ægrotus inquirere tenebitur, quanta sit peritia Medici, ut sciat, an ratio probabilis Medici consilio nixa sit probabiliter, an certo probabilis: 3. quia si opinio probabiliter probabilis trahit secum dubium, etiam certò probabilis hoc trahet; nam vel omnis probabilitas affert secum dubium, vel sola probabilitas reflexa? si omnis; ergo etiam certò probabilis: si sola reflexa, contra est; quia id esset, quia tò certo affert dubitationem in certo probabili; sed hoc est falsum, nam tò certo potest etiam cadere supra dubium; certò enim dubito, an crines Adami fuerint rubri: ergo si tò probabile, aut probabiliter, affert secum dubitationem, certò probabilis affert certò dubitationem: sicut quia opinio probabilis est ex se semper incerta, ideo certo probabilis affert etiam in suo conceptu, esse certum, quod sit incerta: 4. quia, juxta nos, dubium non componitur cum assensu probabili, nam dubitare est suspendere omnem assensum: ergo implicat, ut intel-

lectus assentiat probabiliter, & dubitet: ergo habens judicium probabile reflexum de opinionis probabilitate non dubitat de ejus probabilitate: 5. quia aliud est formidare, aliud dubitare: ergo etsi habens judicium probabile reflexum de probabilitate opinionis formidet, non tamen dubitat de probabilitate opinionis: 6. ait cap. 6. n. 41. quia habens judicium probabile de probabilitate opinionis, tantum abest, ut habeat dubium practicum de illà, quin habet judicium reflexum certum, nam habet judicium prudens de probabilitate, quo deponit dubium de eà; ergo non dubitat practice de probabilitate, quia habet tertium aliud reflexum, & certum, quod rectè operetur, qui ex judicio probabili, & prudenti operatur.

N. 98. Respondeo negando anteced. etsi enim assensus probabilis de probabilitate opinionis non sit dubium de eadem probabilitate, cum dubium sit suspensio omnis assensus attamen dat locum prudenti formidini de operatione posità sub judicio probabili de probabilitate opinionis; nam opinio purè probabilis de probabilitate est simul, siue æquè, siue magis, siue minùs probabilis de non probabilitate; ergo est insufficiens ad deponendum dubium, aut formidinem de prudenti operatione; immò essentialiter imbibit dubium opinativum, & prudentem formidinem de non prudenti operatione; quatenus si ejus opinionis probabilitas est probabilis, etiam non probabilitas, seu imprudentia in eam sequendo est simul probabilis.

N. 99. Ad 1. probationem nego antecedens; nulla enim ratio, nisi sit certò probabilis, est prudens; immò de rationem probabilem esse prudentem; attamen cum in nostro casu non tantum adfit ratio prudens pro probabilitate, sed etiam adfit ratio prudens pro nò probabilitate, eo ipso fit, ut ea ratio non sit satis ad prudenter operandum. Ad paritatem ægroti dico, quod consilium Medici sit illi moraliter certum; immò, nisi tale sit, non poterit ei niti, præsertim cum lex de sacro sit certa. Dixi enim, quod certitudo moralis in pluribus materijs constat ex magnà probabilitate unius partis, & nullà probabilitate oppositæ.

N. 100. Ad 2. dico, quod licet dubium practicum per omnem etiam imprudentem assensum deponatur; (ut enim dixi, dubium strictè importat suspensionem omnis assensus, ergo per quemlibet etsi imprudentem deponitur) attamen, ut prudenter operer, non est satis, ut dubium practicum deponatur quolibet assensu,



assensu, sed deponendum est per prudentem assensum; ergo non nisi per rationem certò probabilem de probabilitate; alias operari liceret cum hoc utroque iudicio simul existente, Est probabile, quòd sit probabilis opinio, *Licet pingere*; est probabile, quòd non sit probabilis eadem opinio, *Licet pingere*: ergo licet pingere; quod nemo dicet; immò liceret operari sub iudicio de maiori non probabilitate opinionis. Ad instantiam dico,

P. Card. quòd si P. Carden. vult, ut omne ultimum conscientiae dictamen sit certum, nec timet conscientias scrupulis illaqueandas, quamvis vix dici possit qualiter idiotæ iudicium illud certum reflexum formare possint, quomodo timet illaqueandas scrupulis conscientias per hoc, quòd dicamus opinionem, ejusque rationem debere esse certò probabilem, saltem tali certitudine, quæ non oriatur ex evidentiâ, sed ex magnâ soliditate opinionis, & rationis, & ex nullâ soliditate rationis stantis pro non probabilitate?

N. Totum æquivocum P. Carden. est, quòd 101. rectè dicat dubium deponi per quemlibet assensum, & ex eo, quòd idem non sit opinio dubiè probabilis, ac probabiliter probabilis, infert, quòd quia cum habeo iudicium probabile de probabilitate opinionis, non habeam dubium, consequenter licitum erit

P. de la Fuente. operari; hoc autem est falsum, ut bene P. de la Fuente n. 43. ut enim operer, non satis est, ut non habeam dubium practicum, sed debeo illud deposuisse per iudicium prudens; alias qui deponeret illud per iudicium imprudens, licitè operaretur: sed iudicium probabile de probabilitate opinionis, cum stet simul cum iudicio probabili de non probabilitate opinionis, non est prudens circa honestatem operationis: ergo.

N. Ad 3. nego antecedens; nam per certitudinem probabilitatis opinionis excluditur 102. omnis non probabilitas ejusdem opinionis; econtra per probabilitatem probabilitatis opinionis non excluditur, immò stat probabilitas non probabilitatis opinionis: ut enim cum probabilitate veritatis stat maior, aut minor, aut æqualis probabilitas falsitatis; ita cum probabilitate probabilitatis stare potest æqualis, aut maior, aut minor probabilitas non probabilitatis. Si autem semel admittatur ut licitum, sequi opinionem probabiliter probabilem, evidenter infertur, quòd licet sequi opinionem ita probabiliter probabilem, ut longè probabilius sit non esse probabilem: quo modo quia licet sequi omnem certò probabilem de veritate, licet sequi omnem certò probabiliorem de falsitate. Itaque omnis opinio quatenus probabilis affert

secum incertitudinem de veritate; quatenus probabiliter probabilis affert secum incertitudinem tum de probabilitate, tum de veritate quatenus certò probabilis affert secum certitudinem de probabilitate, & incertitudinem de veritate. Ut operer, necessaria saltem est certitudo de probabilitate constata ex magnâ probabilitate opinionis, & ex nullâ probabilitate pro non probabilitate ejusdem opinionis.

Ad 4. fateor aliud esse dubitare, aliud probabiliter opinari; & ideo aliud esse opinio- nem dubiè probabilem, aliud probabiliter probabilem; ex hoc tamen non infertur, quòd quia opinio probabiliter probabilis differt a dubiè probabili, quòd, est illicitum sit sequi dubiè probabilem, ideo sequi licebit probabiliter probabilem; non, inquam, infertur, quia neutrum sequi licet: non dubiè probabilem, quia si dubium stricte sumatur, tunc suspenditur omnis assensus de probabilitate opinionis: non probabiliter probabilem, quia licet tunc deatur assensus opinativus probabilis de probabilitate, attamen est componibilis cum assensu opinativo probabili de non probabilitate ejusdem opinionis; quo modo assensus certus de probabilitate veritatis est componibilis cum assensu certo de probabilitate falsitatis opinionis: sed assensus opinativus probabilis de probabilitate opinionis, componibilis cum assensu opinativo probabili, aut probabiliori de non probabilitate, non est satis ad prudenter operandum; qualiter enim operetur prudenter, qui simul probabiliter opinatur, quòd non operetur prudenter? Ergo non licet sequi probabiliter probabilem.

Ad 5. fateor, quòd aliud sit formidare, N. aliud dubitare; fateor etiam, quòd opinans 104. probabiliter opinionem esse probabilem non dubitet de probabilitate opinionis, nam dubium stricte dicit suspensionem omnis assensus; adhuc tamen non licet sequi probabiliter probabilem, quia assensus opinativus de probabilitate stare potest cum assensu opinativo de non probabilitate opinionis; adeoque assensus opinativus de probabilitate formidat prudenter de non probabilitate opinionis: Vel enim assensus probabilis de probabilitate opinionis est prudens; & sic etiam assensus probabilis de non probabilitate ejusdem opinionis erit prudens; quomodo autem licet prudenter operer sub iudicio prudenti de non probabilitate opinionis, quòd coexistit cum iudicio prudenti de ejus probabilitate? nec enim ea duo iudicia sunt contradictoria, cum utrumque sit affirmativum, unum de probabilitate, aliud de non pro-



probabilitate ejusdem opinionis: vel assensus probabilis de probabilitate opinionis est imprudens? quomodo autem licet operer sub iudicio imprudenti?

N. 105. Ad 6. quidquid sit, an iudicium probabile de probabilitate generet dubium practicum de eadem; hoc enim in rigore negavi; nam dubium de probabilitate, strictè loquendo, est suspensio omnis assensus de eadem: adhuc dico iudicium probabile de probabilitate opinionis non esse iatis, quia cum eo fiat iudiciū probabile de non probabilitate. Quod autem dicit, quod formari possit iudicium certum reflexum de licito usu opinionis probabiliter probabilis; hoc nego. Prius enim directè probandum est, quod liceat sequi opinionem probabiliter probabilem; eo modo, quo prius directè probatur, quod liceat sequi certò probabilem; & deinde ex argumentis hoc probantibus formatur iudicium certum reflexum de licito usu certò probabilis, quò Probabilistæ Reflexivæ dirigi dicunt operationem. Assumere autem, quod formari possit iudicium certum reflexum de licito usu probabiliter probabilis, quò dirigi dicatur operatio, est assumere ut certum, quod a me negatur non tantum esse verum, sed esse probabile; nego enim esse verum, immò nego esse probabile, quod liceat sequi probabiliter probabilem.

N. 106. Dices: Iudicium certò probabile est incertum de veritate, nec tamen est imprudens de veritate; alias non liceret sequi opinionem certò probabilem de veritate: ergo nec iudicium incertum de probabilitate erit imprudens de probabilitate. Nego consequentiam; ideo enim iudicium incertum de veritate non est imprudens de eadem, quia supponit iudicium certum de probabilitate veritatis: at iudicium incertum de probabilitate nullum supponit iudicium certum de probabilitate, immò stat cum iudicio de non probabilitate opinionis; si enim opinio est probabiliter probabilis, est etiam probabiliter non probabilis; ergo si quia est probabiliter probabilis, licet eam sequi, ut vult P. Card. Carden. quia etiam est probabiliter non probabilis, non licebit, ut ego volo. Quòd si neget probabiliter probabilem esse simul probabiliter non probabilem, eo ipso non erit probabiliter, sed certò moraliter probabilis. Dixi enim, quòd in præfenti magna probabilitas pro uno contradictorio, & nulla pro alio est certitudo moralis: ergo si opinionis probabilitas ita est probabilis, ut non probabilitas non sit probabilis, eo ipso probabilitas est moraliter certa.

N. 107. Non immoror in refutando P. Eliz. qui in Tom. III.

Append. de Naturâ opin. quest. 4. pag. 254. ait, repugnare ut probabilia probabiliter tantum cognoscantur. At hoc est certò falsum; tum quia scibilia probabiliter tantum cognosci possunt; ergo & probabilia: tum quia sepe adest ratio, una pro probabilitate, alia pro non probabilitate ejusdem opinionis. Lege P. Teril. qu. 32. de Reg. mor.

## §. IV.

An aliquando satis sit opinio tenuiter, aut probabiliter probabilis?

## S U M M A R I U M.

Doctores tuentes licere in casu gravissima necessitatis sequi opinionem alias non probabilem, aut tenuiter probabilem, n. 108.

Notandum eo ipso opinionem perdere tenuem, & sortiri gravem probabilitatem ratione necessitatis, n. 109. 110. 111.

An tenuis probabilitas idem sit, ac dubia? num. 110.

Retentâ tenui nunquam licet, mutatâ in gravem licet, ib.

Plura illicita sunt ex novâ circumstantiâ licita, ibid.

Si timeatur Eucharistiam ab Hereticis concultandam, licet viro, & femine eam tangere, & non jejunis sumere. DD. ib.

Non opponitur decreto, nam damnata non loquitur de tenui probabilitate, stante summâ necessitate, & loquitur generatim, n. 112.

Quoties necessitas dat tale pondus rationi, ut tenuis fiat certò probabilis, licet, ib.

EX dictis infer, quòd non ideo in casu N. urgentissime necessitatis illicitum erit 108. sequi opinionem tenuis probabilitatis; licet enim, si nulla alia adfit, & adfit gravissima necessitas, ut optime P. Sanch. lib. 1. Sum. P. Sanch. cap. 9. & lib. 2. de Matrim. d. 36. n. 8. ubi ait, quòd id quod non iudicatur alias probabile, redditur probabile per urgentem necessitatem, & periculum impendens. Idem tradit M. Hozes in 27. damn. ab Alex. VII. num. 18. M. Hoz. Torrec. ibid. Filgu. in Lucernâ ad 3. damnatam, C. de Lugo de Sacram. d. 8. n. 140. M. C. de Sotus de Secreto, membro 3. M. Mart. de Prado in tract. 7. de Partibus Sac. Poenit. qu. 3. M. Sot. dub. 2. n. 15. pag. mibi 675. ubi postquam retulit sententiam tam negantem posse absolvi, qui nullum peccatum explicitè dicit, etsi aliqua signa doloris det; quam affirmantem absolvi debere, ait hanc in praxi sequendam, & ut possimus in tantâ necessitate, sufficit, quævis probabilitas speculariva. Idem M. Id. asserit M. Ildeph. Baptista de Consc. d. 28. Bapt. dub.



*dub. 6. concl. 3. n. 579.* ait enim: Aliquando talis potest se offerri occasio prompta operandi, ut ..... ne salus corporis, & anime periclitetur, sufficiat illa parva probabilitas. Idem Caram. in *Dialecti n. 398.* & M. Tapia *tom. 1. lib. 1. q. 8. art. 11. n. 4.* ubi ait: Imminente necessitate, aliqua judicantur prudenter fieri, quæ extra necessitatem non licerent; & *art. 13. n. 5.* ait, quod, occurrente magno inconvenienti, præferenda est opinio, quæ illud vitat, etsi extra illud non judicaretur probabilis; & citat Sotum *l. c. qu. 2. concl. 2.* Navar. P. Sanch. *lib. 2. de Matrim. d. 36. n. 8.* & *lib. 1. Sum. cap. 9. n. 35.* ita, inquit, potest quis habens aliqualem persuasionem, quod Judex non legitime interroget, occultare delictum viri dignissimi.

N. Adverte autem, quod eo ipso opinio tenuiter probabilis mutat suam probabilitatem, adeoque semper verum est, quod reventâ tenui, numquam licet, etsi mutatâ liceat, ut dixi *d. 3. sect. 3.* Vide P. Card. *tom. 1. disp. 9. cap. 8. n. 133.* & *tom. 3. d. 74. cap. 2. n. 20.* sed præcipue *tom. 4. d. 4. cap. 7.* ubi hoc ex professo agit, & trahit plures casus, in quibus ob summam necessitatem tenuis probabilitas sufficit; ea enim necessitas dat pondus rationi ex se levi, ex. gr. si non adfit alia materia, licet baptizare infantem cum lixivio; in quo casu ipsa necessitas facit licitum, quod eâ seclusâ non licet.

N. Dices: Tenuis probabilitas idem est, ac dubia probabilitas de se sufficiens ad deponendum dubium: ergo cum per nos non liceat operari cum dubio practico, numquam sequi licebit opinionem tenuis probabilitatis.

N. Respondeo, quod tenuis probabilitas, seclusâ summâ necessitate, asserat dubium practicum; si autem ea adfit, eo ipso reddit eam certò probabilem; plura enim sunt ex se illicita, quæ additâ vel unâ circumstantiâ fiunt licita: ex. gr. illicitum est non jejuno sumere Eucharistiam, & tamen si timeatur, quod conculcanda sit ab Hæreticis, licitum erit tam viro, quam foemina eam propriis manibus tangere, & post prandium sumere, ut omnes docent cum P. Fagundez in præceptis Ecclesiæ, P. Layman *ibi.* P. Suar. *tom. 3. in 3. p. d. 68. sect. 6.* Duardus in caput, Omnis utriusque sexus, commentans §. tertium disti capitis *d. 2. sect. 1. n. 22.* C. de Lugo *d. 14. n. 3.* P. Henao *tom. 3. d. 29. sect. 5.* si enim ob Eucharistiæ reverentiam jejunium inductum est, & ob eandem negatum laicis attingi, non debet ipsum jejunium, & ipsa non contrectatio in maiorem Eucharistiæ irreverentiam redundare, ut accideret in dicto casu.

P. Fagu.  
P. Lay-  
man,  
P. Suar.  
C. de  
Lugo,  
P. Hen-  
duard.

Neque contravenimus decreto Innocentij damnantis tenuem probabilitatem; tum quia damnata asserit *generatim*, quod ego nego, & unice affirmo, quod in solâ extrema necessitate; tum quia ea tenuis probabilitas transit in certo gravem ratione extrema necessitatis: quando autem liceat sequi opinionem tenuiter probabilem, ait P. Card. *n. 56.* regulam esse, quando ipsa necessitas dat tale pondus intrinsecum rationi, ut tunc censetur ea opinio certò probabilis. Sed hoc ipsum iterum quæri potest, quoniam hoc det? Quare dico ponderandas diligenter circumstantias, periculum imminens damnationis, si non practicetur, & remittendum, ut solet, in pluribus judicio prudentum valde circumspicito.

## SECTION IV.

*An ad sine peccato, aut honestè operandum, requiratur judicium aliquod certum de non peccato, & de honestate operationis?*

## §. I.

## Conclusio.

## SUMMARIUM.

*Questio est, an præter judicium certum de probabilitate necessarium sit aliud certum de honestate?* *n. 113.*

*Probabiliorista deberent combinare comprobabilioritate non peccati certitudinem non peccati.* *n. 114.*

*M. Martinez, & P. Scildere, etsi Probabiliorista, sunt Reflexista.* *n. 115.*

*Probabiliorista non explicant quomodo probabilioritati inst certitudo non peccati, necessaria juxta omnes, ne quis peccet, sed unice dicunt satis esse probabilioriam.* *n. 116.*

*Male negatur, quod certitudo moralis sit infallibilis connexio cum vero; est enim cum vero prudentiali.* *n. 118.*

*Contradictio P. Thyrsi, ib.*

*Probabiliorista Moderni summè recedunt ab Antiquis, nam P. Suar. ait, omnes DD. sentire, quod ut voluntas sit recta, necessarium sit, ut sequatur judicium conscientie practice certum, ib.*

*Dico, quod ut quis sine peccato, aut honestè operetur, necesse sit, ut ejus judicium habeat aliquam de non peccato, aut honestate operationis certitudinem. Aliqui hoc dicunt de fide.* *n. 119.*

*Unice quero, an aliqua certitudo requiratur, & præscindendo modo à specie certitudinis.* *n. 120.*  
*Rationes. Quia quod non est ex fide, est peccatissimum juxta Scotum sit hic pro conscientia est, quod est contra conscientiam, est peccatum.* *n. 121.*  
Bona



Bona fides est iudicium prudens, adeoque certum certitudine prudentia, ib.

Necessaria ad non peccatum certitudo prudentis non dubitationis de peccato ex S. Thom. & S. Antonino, n. 122.

Conscientia dubia strictè sumpta excluditur à quolibet iudicio etsi imprudenti, n. 123.

At prudens formido peccati non nisi accitò prudenti, n. 123.

Quia non licet operari cum conscientia prudenti formidolosa de peccato formali, n. 124.

Quia habens conscientiam opinativè incertam de peccato, ita se habet, ac si diceret, volo hoc facere, etsi sit peccatum formale, n. 125.

Quia S. Thom. ait, si autem inter contrarias opiniones peccare graviter, nisi habeat certitudinem de sua opinione, quam sequitur, n. 126.

Hac certitudo debet esse de non peccato formali, non de materiali, aut veritate, ib.

Plerique Probabilioristæ negantes incertum de peccato materiali non posse fieri certum de non peccato formali sunt contra S. Thom. ib.

Probabilioristæ negant, & affirmant requiri certitudinem de non peccato formali, n. 127.

Rejicitur P. Munniesia, ib.

Ut iudicium pure probabilius de non peccato materiali non expellit omnem prudentem peccati materialis formidinem; ita nec probabilius de non peccato formali excludit omnem prudentem peccati formalis formidinem, n. 128.

Potest quis esse certus de non peccato formali, quinsit de non materiali, n. 129.

Aliud est formido de peccato materiali, aliud de formali, ib.

Alia Probabilioristarum contradictio, n. 130. & 131.

Chimæra est, quod quis timens prudenter peccatum, & operans cum eo prudenti timore peccati non peccet, ib.

Explicatur textus Apostoli de operando cum metu, ib.

Angustia Probabilioristarum, ib.

Requiritur certitudo non peccati formalis, ne quis formaliter peccet, n. 132.

Quaro à Probabilioristis, cui iudicio insit ea certitudo? an directo probabiliori, an reflexo? n. 132. & 133.

Impugnatur P. Munniesia, n. 134. & 135.

Nisi alicui iudicio detur certitudo, numquam Probabilioristæ liberabuntur ab absurdo, quod prudenter formidans de peccato formali, non peccet formaliter, ib.

eticâ probabilitate opinionis. Modò quæro, an ut quis sine peccato, aut honestè operetur, necessarium sit, ut ejus iudicium aliquam de non peccato, aut de honestate operationis certitudinem habeat? Vtrùm enim pro tali iudicio certo sit deinde satis ipsum iudicium directum probabile, an verò necessarium præterea sit aliud reflexum, quo Reflexistæ dirigi dicunt proximè, & ultimò ipsam operationem eliciendam; hoc paulò post contra Probabilistas Reflexistas definiemus. Similiter, an ad sine peccato, aut honestè operandum, satis sit iudicium reflexum certum de probabilitate, aut probabilioritate opinionis, secluso omni iudicio directo de veritate; seu an satis sit certitudo de probabilitate, aut probabilioritate objectivâ opinionis; an verò necessaria sit probabilitas, aut probabilioritas subjectiva, ut assentiar ei opinioni, dicemus infra contra Probabilioristas.

P. D. Thyrsus prolixam texit Dissertationem; nam *disf. 10. cap. 1. §. 1.* ait omnes Antiquos, & Modernos, paucis exceptis, convenire, quod non requiratur omnimoda certitudo de veritate sententiæ minùs tutæ ad licitum ejus usum; & rejicit Libertum Fro-mundum, Sinnichium, & Wendrochium negantes licere sequi probabilissimam. Explicat mentem Caietani, Armillæ, & aliorum, quos ait non discrepare à communi doctrinæ licere sequi minùs tutam, si sit evidenter probabilior; & ex P. Valqui. 1. 2. d. 62. cap. 5. ait, aliud esse dubitare, aliud formidare, ut certum est. Demum totus est in probando rem satis claram, nempe licitum sequi minùs tutam, si sit evidenter probabilior; nihil autem habet de puncto principali, seu quomodo sequens probabilior sit certus de non peccato: an quia ipsi probabilioritati de non peccato innata sit certitudo non peccati: an quia necessarium sit iudicium reflexum certum, à quo certitudo non peccati haberi possit. Quare deberent P. D. Thyrsus, P. Munniesia, Palanco, alique Probabilioristæ combinare probabilioritatem de honestate operationis cum certitudine de honestate operationis; nam requiri dictamen saltem moraliter certum de non peccato, aut de honestate, dixi *sest. 1. §. 2.* esse ferè omnium sententiam.

Combinet igitur Probabilioristæ non Reflexistæ (nam inter eos dantur etiam Reflexistæ, tales sunt M. Martin. de Prado, & P. Scild.) cum probabilioritate honestatis certitudinem moralem honestatis. Probabilistæ, ut certitudinem cum probabilitate combinent, recurrunt passim ad iudicium reflexum

Dixi, quod ut quis licitè sequi possit opinionem probabilem; debet nec dubiè, nec probabiliter esse probabilis, immò eam sequens debet esse moraliter certus de pra-



rum certum de sufficientiâ, & licentiâ opinionis certò probabilis, a quo volunt conscientiam fieri certam de non peccato: Probabilioristæ autem passim, etsi excludant necessitatem ejus judicij reflexi certi de non peccato in sequendâ probabiliori, nil tamen dicunt, nec explicant, quomodo ipsum judicium directum probabilius de non peccato sit certum de non peccato; sed unicè dicunt satis esse, ut judicium directum sit longè probabilius.

N. Porro res tam clara, quòd ut licitè operemur, satis sit judicium evidenter probabilius pro licentiâ, non eget prolixo discursu. Nec hoc est solvere questionem; nam aliud est, quòd judicium directum non debeat esse certum de honestate; quòd clarum est; aliud, quòd præter judicium directum, non requiratur judicium reflexum certum de honestate, ut honestè operemur, nisi ostendatur, quòd ipsum judicium directum probabilius sit simul intransitive certum; volumus enim, ut dicemus *sect. 8.* quòd quodlibet judicium directum certò probabile practicè de honestate sit simul intransitive certum de honestate formali. De hoc autem P. D. Thyrsus, Palanco, & P. Muniesia nihil dicunt. Quare non possunt hi Probabilioristæ contra communem ferè omnium in re tam gravi dicere, quòd ut quis sine peccato, aut honestè operetur, necessarium non sit judicium saltem moraliter certum de non peccato, aut honestate, nisi vel terminos confundant, vel opinionè probabiliorè dicant esse idem, ac moraliter certam. Quòd si hoc dixerint, dabunt locum dicendi omnem opinionem esse ipsi opinanti moraliter certam, cum per eos nemo opinari possit nisi probabilius; & quòd omnis probabilissima, quia est moraliter certa, idem sit, ac probabilior; & e contra.

N. Hinc dum P. D. Thyrsus *n. 12.* ait, quòd Caietanus, Armilla, Adrianus, de quibus P. Valsqu. *1. 2. d. 62. n. 30.* dixerat prædictos AA. postulare certitudinem moralem absque ullâ formidine, ut secundum opinionem aliquam minùs tutam rectè operemur; dum, inquam, P. D. Thyrsus dicit hos, & alios DD. quos citat, non disferre à sententiâ cõmuni, quòd liceat sequi minùs tutam, si sit evidenter probabilior; non rectè, me iudice, dicit; nam aliud est, quòd non liceat sequi minùs tutam, nisi sit evidenter probabilior; aliud, quòd non requiratur certitudo de non peccato, ut sine peccato operemur. Neque enim unum infert aliud; & ideo ferè omnis Probabilista, etsi admittat licitum sequi minùs, certò tamen probabilem, adhuc requirit judicium certum de non peccato; ergo

five dicti DD. affirmant, five negent licitum utrum minùs tutæ probabilioris, non inde inferunt eos nolle, ut ultimum dictamen sit certum.

Patet etiam falsum esse, quod ait P. D. N. Thyrsus *diff. 10. n. 87.* Certitudo moralis est certitudo secundum quid fundata in magnâ verosimilitudine, in quâ non apparet infallibilis connexio cum veritate. Subdit, quòd opinioni morali non repugnet certitudo moralis, sed tantum omnimoda certitudo, & evidentia. Ecce 1. quantum à communi certitudinis definitione discedat; hæc enim, ut dixi *sect. 2. n. 21.* definitur, *Determinata intellectus ad unum ex contradictoriis, illudque verum;* seu, ut alij dicunt, *Infallibilis connexio cum vero;* & tamen P. D. Thyrsus negat certitudini morali convenire infallibilem connexionem cum veritate; cur autem, nisi quia vel non distinguit verum practicum à speculativo? dummodo enim certitudini morali conveniat infallibilis connexio cum vero prudentiali, seu morali, satis est; hanc autem veritatem prudentialem conveniri certitudini morali est certum; etsi illud ipsum moraliter certum certitudine veritatis prudentialis esse possit logicè falsum: vel ut det opinioni probabiliori certitudinem moralem; hoc autem etiam est falsum, si sermo sit de certitudine morali veritatis logicæ. Ecce 2. apertam contradictionem; nam omni opinioni probabiliori convenire asserit certitudinem moralem, & tamen negat cuicumque actui prudentiæ inesse certitudinem; ita ut *diff. 10. n. 14.* cum tamen hic syllogismus sit evidens: Nulla opinio, nisi sit probabilior, est prudens juxta Probabilioristam; sed juxta eosdem nulla est probabilior, quæ non sit moraliter certa: ergo nulla opinio est prudens, nisi moraliter certa: ergo omnis prudens est certa. Ecce 3. quantum Moderni Probabilioristæ ab Antiquis discedant; audiatur P. Suar. in *1. 2. tr. 3. d. 12. sect. 3. d. 7. su.* cens: Dicendum 1. ut voluntas sit recta, necessarium est, ut sequatur judicium conscientie practicè certum de honestate objecti, & actionis. Ita Doctores omnes. Hæc P. Suar. d. 7. Cordubam. Dat rationem; quia ut homo rectè moraliter operetur, excludere debet omnem dubium, & periculum malitiæ; sed hoc non fit, nisi per judicium certum saltem practicè: ergo ut homo rectè moraliter operetur, necessarium est judicium saltem practicè certum de honestate objecti, & actionis. Ecce mens Antiquorum.

Dico, quòd ut quis sine peccato, aut honestè operetur, necesse sit, ut ejus judicium aliquam

P. Thyrsus  
P. Muniesia  
Palanco.

N.  
117.  
P. Thyrsus  
Caietanus  
Armilla  
Adrianus  
P. Valsqu.



aliquam saltem habeat de non peccato, aut honestate operationis certitudinem. Puto in hanc conclusionem, quam aliqui de fide putant, venire omnes Theologos, ut supra ostendi *sect. 1. §. 2.* cum hoc tamen discrimine, quod plerique Probabilioristæ, & pauci Probabilistæ velint, quod ea certitudo non peccati in sit cuilibet iudicio directo probabiliori juxta Probabilioristas, & cuilibet probabiliori juxta Probabilistas. At plerique Probabilistæ, cum sint Reflexistæ, & pauci Probabilioristæ, nempe M. Mart. de Prado, & P. Scild. qui etiam sunt Reflexistæ, negant ulli iudicio directo, etsi probabiliori, inesse certitudinem; sed eam à syllogismo reflexo petendam. Est tamen contra P. Eliz.

M. de Prado, P. Scild. P. Eliz.

N. 120.

Nota quod in presenti unicè quærimus, an aliquod iudicium certum requiratur? Quæ autem, & qualis hæc certitudo esse debeat, dicam *sect. 5.* Igitur modò unicè probandum est aliquam certitudinem de non peccato, aut de honestate requiri, ut sine peccato, aut honestè operemur.

N. 121.

P. Moy. Scotus. Pontius. P. Corn.

Probatur 1. *Quod non est ex fide, peccatum* est, ait Apost. ad Rom. 14. propter quæ verba aliqui apud P. Moyam *tom. 2. qu. 8. num. 1* putant conclusionem esse de fide; eaque verba Scotus ex Glossa in 2. *dist. 39. qu. 2. n. 14.* & Pontius *ibi. pag. 950.* ita interpretantur: Quod non est ex fide, id est, quicquid est contra conscientiam, est peccatum; nam, ut ait P. Cornel. *ibi.* fides ibi stat pro conscientia: ergo ut opus non sit peccatum, debet esse ex bonâ fide; sed talis bona fides, juxta omnes, non est nisi iudicium prudens de non peccato, & de licentiâ operationis; eo autem ipso, quod est prudens, est certum certitudine propriâ prudenitiæ: ergo cum ex Apost. ad non peccatum prærequiratur bona fides de non peccato, seu iudicium prudens de non peccato, eo ipso prærequiritur iudiciû certum de non peccato ad non peccandum; & certum de honestate operationis ad honestè operandum.

N. 122.

S. Thom. S. Anton.

Confirmo ex S. Thom. quem citat S. Antoninus, dicente: Quando dantur in materiâ morali variæ opiniones, & quis adhæret opinionî latioris vig. peccat mortaliter, quia agit in dubio: ergo ad non peccandum requiritur certitudo prudentis non dubitationis de peccato.

N. 123.

Probatur 2. Illicitum est operari non tantum cum conscientia dubiâ, sed etiam cum prudenti formidine peccati formalis: sed quoties adest iudicium non certum de non peccato, adest saltem, si non conscientia dubiâ, prudens formido peccati formalis; nam etsi conscientia dubia strictè sumpta, exclu-

datur per quemlibet assensum, prudentem, aut imprudentem non peccati, immò per quodlibet iudicium certum, aut non certum de non peccato formali; attamen prudens formido peccati formalis non excluditur nisi à iudicio saltem moraliter certo de non peccato formali: ergo quoties adest iudicium non certum de non peccato formali, adest prudens formido peccati formalis: ergo ne quis illicitè, seu cum prudenti formidine peccati formalis operetur, necessarium saltem est iudicium moraliter certum de non peccato formali.

Confirmo 1. quia nulla conscientia, siue strictè dubia peccati, quatenus suspenditur omne iudicium de non peccato; siue opinativè dubia peccati, seu incerta, quatenus adest iudicium incertum de peccato, & non peccato, est satis ad operandum sine peccato: sed quoties iudicium de non peccato est incertum, seu prudenter formidolosum, toties adest conscientia, si non strictè, saltem opinativè dubia peccati; adest enim iudiciû prudenter formidolosum de peccato: ergo quoties adest tale iudicium incertum de peccato, & non peccato, toties adest conscientia insufficiens ad operandum sine peccato; ergo ut adsit sufficiens, necesse est, ut adsit iudicium prudenter certum de non peccato.

Confirmo 2. quia, qui ita se habet, Volo facere hoc, siue sit, siue non sit peccatum, peccat: sed omnis habens conscientiam opinativè dubiam, seu incertam de peccato, & non peccato, ita se habet: ergo peccat; ergo ne peccet, habere debet conscientiam prudenter certam de non peccato formali, seu exclusivam omnis prudentis formidinis de peccato formali.

Probatur 3. ex S. Thom. *quodl. 8. qu. 6. N. art. 13.* dicente, stantem inter contrarias Magistrorum opiniones peccare graviter, nisi S. Thom. habeat certitudinem de parte, quam sequitur, ita ut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducatur. Hæc S. Thom. cujus verba toties dedi, & præter Scholia in eundem textum alias à nobis tradita, tria ex dicto textu infero. Primum, quod de opinionibus Magistrorum contrariis possit discipulus habere certitudinem de opinione, quam sequitur; certitudinem, inquam, de non peccato formali, seu de licentiâ operationis; non de peccato materiali, seu de veritate. Secundum, quod operans cum dubitatione, seu timore prudenti peccati peccat, adeoque ne peccet, debet omne dubium, & formidinem prudentem peccati formalis excludere, ait S. D. hoc autem non fit nisi per certitudinem. Tertium, quod licet utraque

Cuij opinio



opinio contraria sit operanti incerta de veritate, seu de peccato materiali, potest tamen operans fieri reflexe certus de non peccato formali sequendo aliquam; atque adeo omnes illi Probabilioristae, qui repugnare docent iudicium reflexum certum de licentia operationis, quia opinio directa est incerta, stare videntur contra S. Thom. dicentem, quod si quis ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, non peccat: ergo potest quis dubitans de veritate opinionum contrariorum, immo omnino incertus, quae ex illis sit vera, adhuc esse certus, seu non esse dubius de peccato formali, & non peccare formaliter. Alias in dictum textum reflexiones ingenio plenas dat D. Perea à n. 45. Accedit Caietanus in Sum. 2. 2. 5. dicens: *Eo ipso quod operatio regulanda committitur opinioni, committitur regula ambigua, quia opinio omnis ambigua est*: ergo per intelligentiam Thomistam certitudo aliqua necessaria est, ut quis sine peccato operetur.

N. Probatur 4. contra P. Muniel. *sim. 2. 8. 5.*  
 127. Vel iudicium opinativum probabilius est certum de non peccato formali, (quod enim non expellat timorem de peccato materiali, expresse affirmat, & merito) vel non? Si est, habeo intentum, quantum ad hoc, quod ut sine peccato formali operemur, requiratur certitudo saltem de non peccato formali; esto non habeam omnino intentum; quia non explicat, quomodo probabilioritati insit certitudo de non peccato formali. Si non est, contra est: ergo iudicio opinativo probabiliori uniri potest prudens formido de peccato formali, quia haec excludi non potest nisi à certitudine: sed iudicium probabilius, ut dicis, non est certum, de non peccato formali: ergo iudicio probabiliori uniri potest prudens formido de peccato formali; adeoque illud sequens peccabit formaliter. Quod si hoc negetur, inferam: ergo ut quis sine peccato formali operetur, necessarium erit iudicium excludens omnem prudentem peccati formalis formidinem: ergo iudicium certum de non peccato formali; nam prudens peccati formalis formido à sola certitudine non peccati formalis excluditur: ergo P. Muniel, alique Probabilioristae sibi contradicunt, dum ex una parte negant requiri certitudinem de non peccato formali; ut sine peccato formali operemur, & impugnant Probabilistas hoc tuentes: ex alia tuerentur, & tueri debent, quod ut quis sine peccato formali operetur, requiratur iudicium excludens omnem prudentem peccati formalis formidinem; hoc autem iudicium, nisi sit certum, numquam excludet omnem

prudentem peccati formalis formidinem. Confirmo: Ut enim iudicium probabilius de non peccato materiali non expellit omnem prudentem peccati materialis formidinem; ita iudicium, si non sit nisi probabilius de non peccato formali, non expellit omnem prudentem peccati formalis formidinem: ergo sicut prudens peccati materialis formido non expellitur nisi à iudicio certo de non peccato materiali; ita prudens peccati formalis formido non expellitur nisi à iudicio certo de non peccato formali.

Probatur 5. Vel habens iudicium probabilius formidat prudenter de peccato formali, vel non? Si prudenter formidat; ergo operando peccat formaliter; omnis enim, qui cum prudenti peccati formalis formidine operatur, peccat formaliter. Si non formidat prudenter; ergo quia habet principium certificans de non peccato formali, adeoque habeo duplex intentum; unum pro praesenti, nempe, quod, ne quis peccet formaliter, requiratur certitudo de non peccato formali: aliud pro dicendis infra, nempe, quod quis esse possit certus de non peccato formali, quin sit certus de non peccato materiali in opere, quod hic, & nunc ponit, ut recte Caiet. P. Suar. & alij. Similiter habeo, aliud esse formidinem de peccato materiali, aliud de formali; aliud de contractu secundum se, & directe sumpto; aliud de contractu reflexe sumpto, seu ut subest circumstantiis, & dispositionibus, quas habet contrahens.

Confirmo: quia vel quoties homo probabilius opinatur ex gr. contractum esse honestum, habet certitudinem saltem de non inhonestate formali talis contractus, vel non? Si habet; ergo cum Probabilioristae requirant semper tale iudicium probabilius, eo ipso requirunt certitudinem de non peccato formali, ne quis formaliter peccet: ergo male impugnant Probabilistas requirentes certitudinem de non peccato formali. Si non habet, quæro, an stante iudicio probabiliori de non malitia formali contractus, possit homo prudenter formidare de malitia formali? Si potest; ergo homo non peccabit formaliter, etsi prudenter formidet de peccato formali, & huius periculo se exponat: quod nemo dicet. Si non potest; ergo quia homo tunc habet principium certificans ipsum de non peccato formali. Hoc autem principium, vel est ipsum iudicium reflexum, quod accedit, ut dicunt Probabilistae; vel si hoc non accedit, nec accedere debet, quæro à Probabilioristis, quomodo à solo iudicio directo probabiliori oriatur certitudo de non peccato formali? Hoc autem punctum non expli-



explicant, quod tamen ego infra explicabo, contentus modò evicisse contra Probabilioristam, quòd ad sine peccato formali operandum requiratur certitudo de non peccato formali, seu iudicium excludens omnem prudentem peccati formalis formidinem.

N. 131. Hinc vel ego turpiter hallucinor, vel Probabilioristæ liberi non sunt ab aperto absurdo, & contradictione? Nam vel ad sine peccato formali operandum requiratur talis certitudo non peccati formalis, quæ omnem prudentem peccati formalis formidinem excludat, vel non? Si non; ecce absurdum: ergo operans cum prudenti formidine peccati formalis non peccat; quod nemo dicet. Si requiritur; ecce contradictio. Tum quia, cum ipsi Probabilioristæ dicant hanc certitudinem non peccati formalis, exclusivam omnis prudentis formidinis peccati formalis, repugnare non tantum iudicio directo probabili, sed & iudicio reflexo admissio à Probabilioristis Reflexistis, eo ipso fit quòd ea etiam repugnat iudicio directo probabili; siquidem omne iudicium, etsi probabilius, est incertum; si autem est incertum, quomodo est certum de non peccato? Tum quia, si certitudo excludens omnem prudentem peccati formidinem requiritur, ut quis sine peccato operetur; cur contra Probabilioristas Reflexistas multiplicant textus ex Scripturâ, quibus excludi putant certitudinem exclusivam omnis prudentis formidinis de peccato; quales sunt ex Job, *Verebar omnia opera mea*; ex Apost. 1. ad Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*; ad Philip. 2. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*? Ergo vel textus non sunt ad rem; vel si sunt, ecce chimæra; quod quis prudenter metuens, & tremens, seu timens prudenter peccatum, & cum ea prudenti peccati formidine operans, non peccabit. Rursus ecce alia chimæra; nam P. Muniessa, & Palanco aperte dicunt, quòd sequens opinionem sibi probabilioris de non peccato in tali contractu, contemnere debeat tamquam imprudentem scrupulum, oppositam opinionem stantem pro peccato in eo contractu. Quod si hoc ita est, quomodo deinde iidem Probabilioristæ contra Reflexistas utuntur dictis textibus, & illis commendari putant timorem, & formidinem peccati? nam hæc est chimæra: Excludendus est omnis timor peccati; non excludendus omnis timor peccati: excludendus, quia habens opinionem probabilioris excludere debet ut scrupulum, omnem formidinem, quæ oritur ex opinione oppositâ: non excludendus, quia non requiritur certitudo. De-

mum rogo, quid Apostolus consulat? an operandum temper cum prudenti timore peccati? & hoc non, quin ne quis peccet, omnis prudens peccati timor excludendus est; nam omnis operans cum prudenti peccati periculo peccat: sed habens prudentem peccati timorem habet prudens peccandi periculum; ergo peccat. An operandum cum timore imprudenti peccati? & hoc non; nam talis imprudens timor, etsi sæpe deponi non possit, contemnendus est: ergo dicti textus non sunt ad rem.

Accedit, quòd vel Probabilioristæ sunt N. Reflexistæ, ut M. Mart. de Prado, & P. Scild. vel non? Si sunt, dent nobis præmissas certas, ex quibus formari possit prudens dictamen non tantum de licentiâ, sed de obligatione sequendi probabilioris præ minus probabili minus tutâ; hæc autem præmissa (datur obligatio sequendi tutiorem probabilioris) non est certa, immò iuxta plerumque est certò falsa, quin ut modestius loquar, erit ad summum probabilioris; ita ut sententia negans sit saltem probabilis. Si non sunt; quæro, an iudicio probabiliori directo insit rigorosa certitudo saltem moralis, seu exclusiva omnis prudentis formidinis peccati? Si inest, contra est; tum quia omne iudicium opinativum est incertum; sed omne, etsi probabilius, est opinativum; ergo incertum: tum quia certitudo de veritate speculativâ non inest iudicio probabiliori, sæpe enim est speculativè falsum; certitudo de veritate practicâ ab iidem Probabilioristis passim impugnatur; passim enim dicunt se non capere, quid hæc sit: tum quia si iudicio probabiliori inest certitudo non peccati, cur Probabilioristæ aperte non dicunt, quòd idem sit probabilius, ac moraliter certum? quin hoc negant, & ad summum dicunt, *quasi* moraliter certum. Si non inest; ergo operans cum prudenti peccati formalis formidine non peccabit, quod nemo dicet. Ecce angustia, in quas Probabilioristæ se conjiciunt; nam vel requiritur certitudo non peccati formalis; & sic assignetur cuinam iudicio insit: vel non? & sic poterit operans cum prudenti peccati formalis formidine non peccare; nam prudens formido peccati formalis excluditur à solâ certitudine non peccati formalis.

Fateor plura ex modò dictis non tantum N. probare, quòd ad non peccandum formaliter requiratur certitudo de non peccato formali, quod est unicum presentis sectionis intentum; sed præterea plura ex dictis torquere Probabilioristas, ut dicant, cui iudicio insit ea certitudo: non iudicio directo proba-



probabiliori; hoc enim probare debent: non reflexo; hoc enim necessarium esse negant, immò impossibile putant: ergo vel non requiritur certitudo de non peccato formali, ut quis sine eo operetur; adeoque operans cum prudenti peccati formalis formidine, non peccabit formaliter, quod est inauditum; vel si requiritur, assignetur quomodo infit iudicio purè probabiliori.

N. Scio quòd P. Muncifl. *stim.* 2. §. 5. n. 48.  
134. P. Mun. iudicium de non usurà in tali contractu, non  
S. Tho. se exponat proximo, sed tantum remoto pec-  
P. Suar. candi periculo; nullum autem peccatum sit  
P. Sanch. exponere se remoto peccati periculo, ut docent S. Thom. P. Suar. P. Sanch. & alij.

N. Sed contra fateor, quòd non sit peccatum  
135. exponere se remoto peccati periculo; adhuc tamen quaero, an homo stante eo iudicio purè probabiliori sit certus de non periculo proximo? Si est, habeo intentum, quòd de- tur certitudo de non periculo proximo peccati formalis. Si non est; erit incertus, adeoque prudenter formidans de tali periculo proximo. Etsi enim directè probabilius iudicans contractum licere, nequeat simul directè iudicare non licere; adhuc tamen cum iudicio directo probabiliori de licentià contractus formare potest iudicium certum reflexum, quòd sit probabile eum contractum non licere, ob quòd prudenter reflexè formidet de licentià contractus in se; ergo nisi asseratur requiri iudicium certum de non peccato formali in tali opere, undecumque ea certitudo oriatur, sive à principiis reflexis, ut volunt plerique Probabilistæ, sive aliunde, ut nos ostendemus, docendo, quòd ipsi probabilitati infit certitudo prudentialis de non peccato formali, numquam Probabilioristæ immunes erunt ab hoc absurdo, quòd quis non peccet formaliter, etsi prudenter formidet de peccato formali.

## §. II.

## Objectiones.

## SUMMARIUM.

Quia ne quis peccet, satis ut habeat iudicium incertum de non peccato; non autem necesse, ut habeat iudicium certum de non peccato, num. 136.

Nego: & cur peccet sequens iudicium incertum de peccato? n. 138. & 139.

Ut quis peccet, necesse non est, ut contra iudiciū prudens, sed satis, ut iuxta imprudens opere- tur, n. 140.

Puto ad peccatum satis esse, ut adsit apprehensio sua ipsa peccati cum carentià iudicii certi de

non peccato; non autem necesse, ut adsit iudi- cium de peccato, ib.

Plus requiritur, ne quis peccet, quam ut qui peccet, n. 141.

Omnes tenentur respondere, undenam oriatur certitudo non peccati in iudicio probabili, aut probabiliori. Ostendo contra Probabilioristas, & Tutoristas, à n. 142. ad 145.

Opinio probabilis, aut probabilior est certa de non peccato formali certitudine indubitabili de eodem, n. 146.

Eo ipso quòd opinio probabilis est prudens iudi- cium de non peccato formali, eo ipso est essen- tialiter inconiungibilis cum eodem, ib.

Obijcit P. Thyrsus satis esse probabilitatem, n. 147.

Rejicitur à n. 148.

S. Thom. ait, quòd opinans dubitat semper dis- posito, n. 149.

Possum prudenter formidare de peccato formali attendens ad naturam iudicii probabilioris, n. 150. & 151.

P. Suar. egregiè ait, nulli ne quidem ignanti esse difficile dare rationem de suis operatio- bus, & sine formidine iudicare se bene, & sic- cure operari, etsi hanc certitudinem per sua principia explicare nesciant, num. 152. 153. 154.

Hinc eversum omne, quòd Palancus, & P. Elia- dicunt contra iudicium Reflexivum, n. 154.

Reflexiones in doctrinam P. Suar. ib.

Rejicit certitudinem, quæ se tenet ex parte sub- jecti, & vocat pertinaciam, & unice recurrit ad prudentialem, & ait, quòd sequens altum prudentialiter certum sit certus de honestate formali, etsi non de materiali, ib.

P. Thyrsus directè opponitur P. Suar. ib.

Obijcies 1. Nullus peccare potest, nisi N. habeat hoc iudicium, Tale opus est pec- catum: sed qui habet hoc iudicium incertum, Tale opus non est peccatum, non habet, immò repugnat, ut habeat illud iudicium, Tale opus est peccatum: ergo habens iudicium illud in- certum, Tale opus non est peccatum, non potest peccare: ergo ut quis non peccet, necesse non est, ut habeat iudicium certum de non pec- cato, sed satis ut habeat iudicium incertum de non peccato. Confirmatur: Dubitans, an opus sit honestum, tantum timer, quòd non sit honestum, quantum sperat, quòd sit ho- nestum: ergo si timor inhonestatis facit opus esse inhonestum, ipse honestatis faciet opus esse honestum.

Sed contra: quia hoc argumento proba- tur, quòd sequens hoc iudicium imprudens, Hoc opus non est peccatum, non peccabit, quia cum eo imprudenti iudicio stare non potest hoc



hoc aliud prudens, *Hoc opus est peccatum*. Quis autem hoc dicat? Sicut ergo sequens iudicium illud imprudens, *Hoc opus non est peccatum*, peccat; quia ut quis peccet, satis est, ut quis sequatur, vel hoc iudicium prudens, *Hoc opus est peccatum*; vel illud imprudens, *Hoc non est peccatum*; nec enim, ut quis peccet, necesse est, ut habeat iudicium prudens de peccato; sed satis ut habeat iudicium imprudens de non peccato: ut autem quis recte operetur, debet praterea habere iudicium certo prudens de non peccato; non autem satis est, ut careat iudicio certo de non peccato, & habeat iudicium incertum de non peccato: ita in casu nostro, etsi habens iudicium incertum de non peccato non possit habere iudicium de peccato, adhuc tamen peccat, quia operatur sub illo iudicio incerto de non peccato.

Quare fateor, quod iudicium illud incertum, *Hoc non est peccatum*, stare non possit cum hoc contradictorio prudenti directo, *Hoc est peccatum*; atamen illud sequens, quia sequitur iudicium imprudens de non peccato, adhuc peccat, sicut peccat sequens conscientiam vincibiliter erroneam. Addo, quod licet imprudens illud iudicium, *Hoc opus non est peccatum*, stare nequeat cum hoc directo contradictorio prudenti, *Hoc opus est peccatum*, adhuc tamen stat cum iudicio prudenti reflexo dictante, *Omne opus positum sub iudicio directo imprudenti, & incerto est peccatum*; atque adeo qui sub ea conscientia directa incerta operaretur, peccaret, quia operaretur contra dictamen reflexum vetans operari sub conscientia incerta directa; nam taliter operans operatur cum dubio practico peccati.

In forma distinguo maiorem: Nullus peccat, nisi habeat hoc iudicium directum, aut reflexum, *Hoc opus est peccatum*, transeat maior, quæ etiam potest absolute negari: nullus peccat, nisi habeat hoc iudicium directum, *Hoc opus est peccatum*, nego maiorem, & distinguo minorem: cum hoc iudicio incerto, *Hoc non est peccatum*, stare non potest aliud directum contradictorium, *Hoc est peccatum*, concedo minorem; non potest stare hoc iudicium reflexum evidens, *Omne opus elicitum sub iudicio incerto de non peccato est peccatum*, nego minorem, & consequentiam. Peccat ergo, qui sub eo iudicio incerto, *Hoc opus non est peccatum*, operatur; vel quia operatur contra aliud evidens reflexum vetans operari sub iudicio incerto de non peccato; vel quia non operatur sub iudicio certo de non peccato. Neque verò aliqua est repugnantia coexistentiæ inter hæc duo iudicia, directum

incertum, *Hoc opus non est peccatum*; & reflexum evidens, *Hoc opus est elicitum sub iudicio incerto de non peccato, est peccatum*; habent enim diversa objecta, ut sæpe dixi d. 5. & 6. & alibi.

Dices: Ut quis peccet, habere debet iudicium; contra quod operetur; sed habens illud iudicium incertum, *Hoc opus non est peccatum*, habere non potest aliud iudicium directum affirmans hoc opus esse peccatum; & suspendere potest omne reflexum; ergo si suspendat, non peccabit: ergo sequens iudicium incertum de non peccato non peccabit. Nego prius antecedens; satis enim, ut operetur juxta iudicium imprudens dictans hoc opus non esse peccatum. Deinde dico DD. inter se differre, an ad peccandum prequiratur dictamen certum de peccato; an satis sit apprehensio suavis malitiæ cum absentia iudicii certi de non peccato. Si requiritur iudicium certum de peccato, tunc dico suspendi non posse hoc iudicium evidens reflexum, *Non licet operari sub iudicio incerto de non peccato*, seu cum dubio practico peccati, quia illud iudicium est evidens. Si autem, ut longè verius puto, non requiritur iudicium de peccato, sed satis est apprehensio suavis malitiæ cum absentia iudicii certi de non peccato, tunc dico, quod quia in casu nostro habens illud iudicium incertum, *Hoc opus non est peccatum*, habet apprehensionem suavis malitiæ, & caret iudicio certo dictante, *Hoc opus non est peccatum*, consequenter peccat.

Ad confirm. præter mox dicta, addo ex M. N. Merc. pag. 25. *Malum ex singulis defectibus, 141. bonum ex integrâ causâ*: ergo cum spes, quod M. N. opus illud sit honestum, non reddat conscientiam certam de honestate, supponitur enim opinativè dubia; timor autem de inhonestate reddat conscientiam incertam; consequenter spes de honestate non est satis, ut reddat opus honestum; timor autem inhonestatis satis est, ut reddat inhonestum, supposita conscientia dubia. De hoc iterum infra.

Obijcies 2. Conscientia, seu opinio probabilis est satis ad licitè operandum: sed conscientia probabilis non est certa: ergo ad licitè operandum non est necessarium iudicium certum de licentiâ operationis.

Sed contra; quia huic argumento tenetur omnes Probabilistæ, & Anti-Probabilistæ: ut enim quærunt à me, unde derivetur certitudo de non peccato in opinione probabilis de non peccato; & quomodo opinio probabilis possit esse certa, nempe quomodo hoc iudicium probabile, *Licet pingere die festo, sit certum*



certum de non peccato; ita ego quæro 1. à Probabilistis tuentibus se per reflexum iudicium, supra licitum opinionis probabilis usum, quæro, inquam, undenam in hoc iudicium reflexum, *Licet sequi opinionem docentem licitum pingere die festo*, derivetur certitudo. Si enim dicant, ut dicunt, derivari à certitudine utriusque præmissæ, *Licet sequi omnem opinionem præctice probabilem, sed hæc, licet pictura die festo, est certo præctice probabilis*, contra est; quia maior etiam plerisque Probabilistis videatur certa, non tamen omnibus, nam opposita negans non est certo falsa. Rursus ab Anti-Probabilistis non tantum negatur, quod sit certa, sed quod sit vera: ergo illud iudicium reflexum non est certum, sed tantum probabilius, aut probabile.

N. Quæro 2. à Probabilioristis, undenam  
144. certitudo derivetur in hoc iudicium, *Licet, immo necesse est sequi opinionem docentem licitum pingere die festo*, quam suppono in præfenti certo probabiliorum. Si enim dicant derivari ex hac duplici præmissa certâ, *Licet, immo necesse est sequi probabiliorum*; (nam per solam necessitatem Probabilioristæ à Probabilistis differunt) *sed opinio docens licitum pingere die festo est probabilior*, contra est; quia maior à Probabilistis, immo à Tutoristis negatur ut vera, tantum abest, ut sit certa: ergo illud iudicium non est certum.

N. Quæro 3. à Tutoristis, undenam derive-  
145. tur certitudo in hoc iudicium, *Non licet pingere die festo*. Si enim dicant derivari ex his præmissis certis, *Necesse est sequi tutiorem, si sit probabilis; sed hæc opinio negans licere picturam die festo est tutior, & est probabilis*, contra est; quia maior à Probabilioristis, & Probabilistis negatur ut vera, tantum abest, ut sit certa: ergo illud iudicium non est certum. Si igitur non est certum, rogo, ut probabilitatem non peccati combinent cum certitudine non peccati; nam ex unâ parte ad sine peccato operandum requiritur iudicium certum de non peccato; ex aliâ nullum ex allatis iudiciis est certum, sed omnia sunt tantum probabilia: ergo in omni sententiâ manet difficultas.

N. Quare modò breviter dico, quod opinio  
146. probabilis, aut probabilior de non peccato, non est certa de non peccato materiali; nec tutior; quamvis sit certa de non peccato materiali, est certa de veritate ut est in se. Rursus dico nullam ex dictis esse certam certitudine derivatâ ex evidentiâ; attamen probabilis, aut probabilior est certa de non peccato formali, seu certitudine connexionis cum non peccato, & certitudine indubitationis de peccato, & repugnantia cum peccato; id est,

est certa certitudine excludente omnem prudens dubium, & omnem prudentem peccati formidinem. Cum enim omnis opinio certo probabilis præctice sit iudicium prudens de non peccato formali, eo ipso est essentialiter connexa cum non peccato formali; & essentialiter inconiungibilis cum peccato formali, de quo infra scilicet 8.

Objicies 3. ex P. D. Thyro diff. 10. ad N. 121. tum quod opinans probabilis actum 147. esse licitum, non possit cum eo iudicio habere. Plurimum hoc aliud, forsitan est illicitus: tum quod assensus ille, quia est ex motivis præponderantibus, non exponit operantem periculo morali violandi legem, cum eam neget: tum quod ipsa probabilioritas est quædam certitudo moralis, ut dixerat n. 36. ergo nulla alia certitudo requiritur.

Sed contra 1. quia hæc unice probant non  
148. requiri iudicium reflexum certum; non autem  
tem probant, quod certitudo moralis inest probabilioritati, nisi confundatur probabilioritas cum certitudine morali.

Contra 2. quia cum ex probabilioribus  
149. tot sint vera, quot falsa, ignoro quomodo  
ego reflectens supra meum iudicium probabilis non possum prudenter timere, quod sit falsum; si autem possum prudenter timere falsitatem in meo iudicio probabiliori, cur non etiam inhonestatem in meo opere ad illud iudicium sequente timere prudenter possum? Ergo nisi detur certitudo de non peccato, five hæc sit reflexa, ut volunt Reflexivæ; five hæc insit ipsi iudicio opinativo certo probabilis, ut nos ostendimus, non licebit operari sub iudicio probabiliori, quia de cuiusque iudicii probabilioris veritate possum prudenter formidare; nam hinc iudicio mihi probabiliori opponitur aliud probabilius Doctoribus mihi contrariis: & ideo S. Thom. qu. 14. de Veritate à nobis citatus 150. apertè dicit, quod quoties veritas non est certa, sed probabilior, intellectus accipit quædam unam partem, tamen semper dubitat de oppositâ; & hæc est dispositio opinantis.

Contra 3. quia, ut dicam, aliud est, quod N. ego prudenter opiner actum licere; aliud, 151. quod ego prudenter eum ponam, etiam formidem prudenter non licere: illud est verum, hoc falsum. Ego enim probabilis, seu prudenter opinor ex gr. talem liquorem esse aquam, nec tamen prudenter sub eo baptizo, præfente aquâ certâ: ergo falsum est principium Adversariorum, nempe, id quod factis est ad prudenter opinandum, sit etiam factis ad prudenter operandum. Rursus etiam prudenter opiner actum licere, quia probabilis iudico eum licere, possum tamen  
atten.



attendens ad iudicii probabilioris naturam prudenter formidare de ejus veritate, cum tot sint falsa, quot vera ex probabilioribus, quælibet enim est suis Patronis inter se oppositis probabilior; si autem prudenter possum reflexe formidare de veritate talis iudicii mihi probabilioris, prudenter quoque formidare potero de non licentiâ actus ab eo dictati; quomodo autem cum prudenti formidine de non licentiâ actus possum licite agere? Ergo aliqua certitudo eam prudentem formidinem excludens debet aliunde accedere.

N. 151. Contra 4. quia nescio, quomodo formido subsequens ad iudicium mihi probabilius de licentiâ actus, tamquam scrupulus vanus contemni debeat; non enim timor ille est imprudens, sed prudens, fundatus in naturâ cujuscunque iudicii probabilioris, de cujus veritate sicut possum prudenter timere, eo quia ex probabilioribus iudiciis tot sunt falsa, quot vera; ita & de operis ab eo dictati licentiâ prudenter timere potero; eo quia ex operibus ad iudicia probabiliora sequentibus tot sunt in se illicita, quot licita: ergo aliqua certitudo omnem prudentem peccati formalis timorem excludens accedere debet, ut sine peccato formali operemur; siue ea oriatur a iudicio certo reflexo de licito usu cujusque probabilis, aut probabilioris, ut docent Reflexistæ; siue ab ipsâ essentiâ iudicii certo probabilis, quod est impossibile cum prudenti peccati formalis formidine.

N. 152. Dices dubium, & periculum malitiæ statim excludi a iudicio probabili; ergo necessarium non est certum de non malitiâ iudicium.

N. 153. Sed contra, ait P. Suar. 1. 2. tr. 3. d. 12. sect. 3. quia hoc ipsum probat, quod practica certitudo sit necessaria; si enim a probabili iudicio speculativo excluditur periculum malitiæ, sequitur, quod ut homo rationabili modo operetur, hoc ipsum cognoscere, & judicare debeat; sed hoc ipso habet iudicium practice certum de sui actus honestate, quia ex principiis certis judicat hic, & nunc se sine periculo malitiæ operari. Subdit facile haberi posse hanc certitudinem, quia si homo moralem diligentiam faciat, & juxta probabilem opinionem operetur, jam est certus practice de honestate actionis: nec hoc ipsis ignorantibus difficile, quia etsi multi sint, qui hanc certitudinem explicare nesciant per sua principia, nec formare syllogismos reflexos; vix tamen est, qui ratione utatur, & non sciat de suis actionibus judicare sine formidine se bene, & secure operari; quod si quis hoc iudicium ferre non

possit, non operabitur ex perfectâ humanâ deliberatione. Hæc, paucis mutatis, P. Suar.

In quibus ecce 1. asseram necessitatem N. iudicii practice certi, seu de non peccato, ut 154. sine peccato operemur: ecce 2. ipsissimam Probabilitatum Reflexistarum mentem, fundat enim hanc certitudinem in iudicio reflexo, quo homo cognoscit se licite operari sequendo probabile: ecce 3. nullam in idiotis pro tali iudicio certo reflexo habendo difficultatem; satis enim, ut reflexe cognoscant se recte operari, etsi formâ syllogisticâ uti nesciant; adeoque eversum Palanci, & Palanc. P. Eliz. contra Reflexistas argumentum: P. Eliz. ecce 4. quæ sit certitudo requisita; duplicem enim dividit, unam ex motivo judicandi, alteram ex parte subjecti, quæ potius temeritas, vel pertinacia dici potest, quia excedit proportionem motivi ex voluntariâ adhæsiōne. Porro ait requiri priorem certitudinem, quia requiritur certitudo prudentiæ, quæ est virtus intellectualis; eaque certitudo oritur semper ex motivo, & ex propriis principiis, & habet conjunctam infallibilem veritatem; quia actus, qui ex hoc iudicio sequitur, est infallibiliter honestus: certitudo autem, quæ est tantum ex parte subjecti, non habet conjunctam infallibilem veritatem. Hæc P. Suar. directè oppositus Probabilioristis, & rejiciens certitudinem, quæ se tenet tantum ex parte subjecti, eamque vocat temeritatem, & pertinaciam; & unice recurrit ad certitudinem prudentialem, & dicit actum sequentem ad iudicium prudentialiter certum esse infallibiliter honestum, non honestate materiali, sed formali, qualem nos damus. Quare nescio, quomodo aliquis ex Probabilioristis possit dicere, quod moralis certitudo non sit infallibiliter connexa cum veritate; in quo si de veritate practica loquatur, recedit a P. Suar. quem velis, remisque ad se trahere conatur; cum tamen P. Suar. aperte contradicat Probabilioristis, tum in certitudine, quam vult connecti semper cum vero, (intellige practico;) tum in recursum ad certitudinem reflexam; tum in asserendâ certitudine ut necessariâ ad non peccandum; tum in rejiciendâ certitudine tantummodo subjectivâ, quam vocat pertinaciam. Hæc ex P. Suar. trahenda mihi fuerunt, tum ut ostenderetur necessitas certitudinis, tum ut Probabilioristis restitueretur.



## SECTIO V.

*Quæ certitudo non peccati, aut honestatis sit, & qua non sit necessaria ad sine peccato, aut ad honeste operandum?*

N.  
155.

**U**T rem ex se satis confusam, sine confusione producam, afferam certitudinem, quâ conscientia non eget, ut sine peccato, aut honeste operetur; deinde certitudinem, quâ eget, ut sine peccato, aut honeste operetur.

## §. I.

*Quæ certitudo non sit necessaria?*

## SUMMARIUM.

*Certitudo quid? n. 156.*

*Speculativa, & practica quid? ib.*

*Evidentia quid addat supra certitudinem, ib.*

*Evidentia moralis, & certitudo moralis ab aliis quibus confunduntur, n. 157.*

*Dico, quod ut sine peccato formali, aut honeste operer, necesse non est, ut ultimum conscientia dictamen sit speculative verum, & multo minus ut sit certum de veritate speculativa, n. 158.*

*Quia invincibilis error excusat, n. 159. 160. 161.*

*Quia dictamini invincibiliter falso tenemur conformari, n. 162.*

*Quia Scriptura inculcat formidinem, adeoque non est necessaria certitudo de veritate objecti, ut in se, seu de non peccato materiali, n. 163.*

*Si est Jansenismus, quod sola veritas logica excuset a peccato formali; multo magis, quod certitudo de eâ requiratur, n. 164.*

*Hinc judicium etsi logicè falsum, & incertum de veritate logicâ excusabit, n. 165.*

*Judicium, etsi prudenter formidolosum de peccato materiali, excusat a peccato formali, n. 166.*

*Dico, quod ut honeste formaliter operer, necesse non est, ut ultimum judicium sit logicè verum de materiali honestate objecti, & multo minus, ut sit certum de eâ logicâ veritate, n. 167.*

*DD. tuentes requiri judicium logicè verum, ut operer honeste, ib.*

*Rationes, n. 168. 169. 170.*

*Hinc prudenter formidans de materiali honestate actus, poterit honeste formaliter operari, n. 171.*

*Si non requiritur certitudo de non honestate materiali, ut honeste formaliter operer, multo minus evidentia requiretur, n. 172.*

*Si requireretur evidentia, Deus juberet impossibilia, ib.*

*Satis judicium probabile, & incertum de materiali non peccato, & honestate, ne peccem for-*

*maliter, & formaliter honeste operer, n. 173.*

*Philaleti contradictio, ib.*

*Ratio, cur Jansenista negent Probabilitatem usum? n. 174.*

*Ad non formale peccatum, & formalem honestatem prærequirunt dictamen logicè verum de non peccato materiali, & de honestate materiali, immo dictamen de eodem certum, & evidens, ib.*

*Jansenii error oritur non ex purâ certitudine, sed ex necessitate dictaminis logicè veri, & certi de veritate logicâ, ib.*

*Dico, quod sicut potest quis sine formali peccato operari cum formidine prudenti de peccato materiali, ita potest quis honeste formaliter operari cum prudenti formidine de inhonestate materiali objecti, n. 175. 176.*

*Non est necessaria certitudo de honestate materiali, & de non peccato materiali actus, immo cum prudenti peccati materialis formidine potest quis operari formaliter honeste, ib.*

*Ne peccem formaliter, necessaria est certitudo de non peccato formali, non autem de non materiali, n. 177. 178.*

*Explico hoc à n. 177. ad 183.*

*Certitudo de non peccato materiali est separabilis a certitudine de non peccato formali: idem dico de certitudine honestatis materialis respectu certitudinis honestatis formalis, n. 179.*

*Possum prudenter formidare de materiali malitiâ actus, & simul esse certus de non malitiâ formali actus, ib.*

*Satis certitudo de veritate practica, seu de non malitiâ formali, ne peccem formaliter, non autem necessaria certitudo de veritate speculativa, seu de non malitiâ materiali actus, ne formaliter peccem, n. 180.*

*Potest quis prudenter formidare de malitiâ materiali actus, quin peccet formaliter, dummodo non formidet prudenter, seu certus sit de non malitiâ formali, n. 182.*

*Dicendum ab omni Catholico, quod ne quis formaliter peccet, necessaria non sit certitudo excludens prudentem de materiali peccato formidinem, ib. & n. 183.*

**C**ertitudo non est, nisi infallibilis connexio cum veritate, ut dixi *scilicet* 2. & 15. multiplex est quantum ad rem prædicam spectat. Alia est connexio cum veritate speculativa, & dicitur certitudo veritatis speculativæ; & consistit in hoc, quod judicium illud non tantum sit speculative verum, seu conforme objecto ut est in re, sed etiam sit infallibiliter speculative verum. Alia est connexio cum veritate practica, & dicitur certitudo veritatis practice, & consistit in hoc, quod judicium illud non tantum sit practice



prædictæ verum, seu videatur conforme regulis morum, & se, & objectum iisdem regulis conformet, quidquid deinde sit, an sit conforme objecto ut est in re; vel, ut ait Maleficus in 2. d. 5. n. 71. quâ homo conformatur bonitati objecti, ut habet esse objectivum in intellectu, etsi à parte rei bonum non sit. Alia est certitudo derivata ab evidentia metaphysicâ, physicâ, aut morali; & talis certitudo præter connexionem cum veritate objecti ut est in se, (omne enim evidens est speculative verum, & certum) dicit evidentiam, seu lumen evidens infallibiliter connexum cum tali veritate objectivâ; hæc autem certitudo dicitur potius evidentia, quam certitudo, quia non est pura certitudo. Saepè autem dixi, quod pura certitudo differat ab evidentia; quod quælibet evidentia excludat non tantum prudens dubium, & formidinem oppositi, sed etiam omne imprudens dubium, & formidinem oppositi. Contra puram certitudinem non nisi prudens dubium, & prudentem oppositi formidinem excludit, non autem imprudens dubium, & imprudentem oppositi formidinem.

N. 157. Sicut autem supra d. 9. ubi examinavi, an nostræ fidei mysteria sint moraliter evidenter vera, an autem sint tantum certò moraliter vera, ne locus pateret æquivocis, quibus evidentia moralis confunditur cum certitudine morali, dixi nostræ fidei mysteria esse taliter certa, ut excludant omnem prudentem, non autem imprudentem oppositi formidinem: (quidquid deinde sit, an ideo dicenda sint evidenter moraliter vera, ut vult P. Eliz. an tantum certò moraliter vera) ita in presenti, ne in re tot diversis veritatis, & certitudinis generibus subjectâ, ob quæ facilis est confusio, & transitus ab unâ veritate ad aliam, & ab unâ certitudine ad aliam, exponam per ipsam veritatis, & certitudinis explicationem mentem nostram.

N. 158. Prima conclusio: Ad sine peccato formali operandum non est necessarium ut ultimum conscientie iudicium sit speculative verum, & multò minus necessarium est, ut sit certum de veritate speculative talis iudicii, seu necesse non est, ut iudicium conformetur objecto ut est in re.

N. 159. Prima pars patet ex d. 5. ubi fusè ostendi contra Jansenitâs, quod invincibilis ignorantia excuset à peccato: ergo ut quis sine peccato operetur, necesse non est, ut ultimum iudicium sit verum speculative, seu sit conforme objecto ut est in re.

N. 160. Altera pars patet: Si enim invincibilis error excuset à peccato formali, adeoque necessarium non est, ut ultimum conscientie

iudicium dirigens ad opus sit conforme ipsi operi, seu objecto ut est in re; multò minus necessarium est, ut detur certitudo de conformitate talis iudicii cum suo objecto, ut est in re: ergo ad sine peccato formali operandum nec requiritur veritas speculative in iudicio dirigente, nec certitudo de eadem veritate logicâ, seu speculative in tali iudicio: ergo ut quis sine peccato formali operetur, nec necessaria est veritas logica, nec certitudo de eadem, seu necessaria non est veritas de non peccato materiali in actu, & objecto, nec certitudo de eadem.

Confirmo 1. Ignorantia, aut invincibilis error de peccato latis est ad sine peccato formali operandum: ergo iudicium speculative falsum latis ad idem est: ergo ad sine peccato formali operandum necesse non est iudicium speculative verum, & multò minus iudicium certum de speculative veritate ejusdem iudicii.

Confirmo 2. quia dictamini invincibiliter erroneo conformari tenemur; sed illud est speculative falsum: ergo dictamini speculative falso conformari tenemur: sed nullus peccat formaliter, conformando se dictamini, cui conformari tenetur; aliâs Deus jubere impossibile: ergo ne quis formaliter peccet, necessaria non est conscientia speculative vera; & multò minus certitudo de speculative veritate ejusdem conscientie.

Confirmo 3. quia velle, quod numquam possumus bene agere, sed eo ipso peccamus, quoties nobis certum non est nos bene materialiter agere, & non peccare materialiter, est velle, quod est supra hominum conditionem, & prudentiam, ut scitè P. Suar. plerumque enim, exceptis quæ fides docet, sunt nobis incerta; & ideo S. Job cap. 9. dicebat: *Verbar omnia opera mea*; & Apost. 1. ad Cor. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*: sed si, ut bene formaliter operemur, necesse est iudicium certum de bonitate materiali, non datur locus formidini, quam Job, & S. Paulus inculcant: ergo.

Hinc patet 1. timendum valde esse Fagnano, M. Baro, M. Riccio, & illis Catholicis, qui asserunt requiri certitudinem de conformitate speculative, seu logicâ iudicii dirigentis cum suo objecto ut est in re, ad hoc, ut non peccemus formaliter, ne incidunt in Jansenismum. Si enim Jansenismus est, quod sola veritas logica excuset à peccato formali, multò magis erit, quod ut quis à peccato excusetur, non tantum necessaria sit veritas logica, seu conformitas iudicii cum objecto ut est in re, sed etiam necessaria sit certitudo de veritate logicâ, seu de conformitate



mitate iudicii cum objecto ut est in re.

N. 165. Patet 2. quod, si ne quis formaliter peccet, necesse non est, ut iudicium dirigens sit logicè verum, seu conforme suo objecto ut est in re: rursus, si ne quis formaliter peccet, necesse non est, ut illud iudicium sit certum de veritate logicà, seu de conformitate sui cum suo objecto ut est in re; eo ipso sequitur, quod iudicium, etsi falsum sit, excusabit à peccato formali, ut patet in errore invincibili; & licet incertum sit de veritate logicà sui cum objecto, id est, incertum sit, an iudicium sit tale in representando, quale est objectum in essendo; & an objectum sit tale in re, quale est in mente; poterit, inquam, tale iudicium, etsi incertum de veritate logicà sui ipsius, & de naturà sui objecti, excusare à peccato formali.

N. 166. Patet 3. quod si iudicium excusans à peccato non debet esse verum logicè, nec evidens de veritate logicà sui ipsius, & de naturà objecti, nec certum de eadem veritate logicà sui ipsius, & de naturà objecti; eo ipso sequitur 1. quod iudicium etsi logicè falsum excusabit: 2. quod iudicium etsi inevidens de veritate logicà sui, & de naturà sui objecti, excusabit: 3. quod iudicium etsi incertum de veritate speculativà, seu logicà sui, & de naturà sui objecti, excusabit: sed iudicium inevidens, & incertum non excludit prudentem formidinem; nam ad minus certitudo necessaria est, ut prudens formido excludatur; & evidentia, ut excludatur imprudens: ergo iudicium quamvis prudenter formidolosum de veritate speculativà sui, & de naturà objecti, seu prudenter formidolosum de peccato materiali, excusat à peccato formali.

N. 167. Secunda conclusio: Ad honestè formaliter operandum necesse non est, ut ultimum iudicium sit logicè verum de honestate materiali objecti; & multò minùs necessaria est certitudo de veritate speculativà ejus iudicii, & de honestate objectivà. Est contra P. Eliz. P. D. Thyr. Palanc. P. Munief. in *Stimulo*, & d. 24. de *Gratià* à n. 25. qui esto doceant quod iudicium logicè erroneum de malitià objecti excuset à peccato formali, nam invincibilis ignorantia malitiæ excusat; negant tamen, quod error honestet formaliter actionem; adeoque dicunt, quod iudicium, quo falsò invincibiliter judicatur objectum non esse in se malum, sed in se honestum, excuset quidem à peccato formali, non autem honestet formaliter actionem; solum enim iudicium speculativè verum de honestate objecti, ut est in se, honestat formaliter actionem.

P. Eliz. P. Mun. Palanc.

Prima pars probatur ex d. 6. ubi late do. N. cui, quod iudicium, quo invincibiliter judico objectum in se malum, aut in se indifferens, esse in re honestum, aut præceptum, non tantum excuset actionem à peccato formali, sed eandem formaliter honestet: ut enim qui invincibiliter falsò judicat objectum in se bonum, esse in se malum, illud sequendo, peccat formaliter, & non tantum non operatur formaliter honestè; ita qui objectum in se malum judicat invincibiliter erroneè esse in se bonum, aut præceptum, non peccat formaliter: ergo ad operandum formaliter honestè non est necessarium iudicium logicè verum de honestate objecti ut est in se.

Altera pars probatur: quia ad operandum formaliter honestè non est necessarium iudicium logicè verum de honestate objecti: ergo multò minùs est necessaria certitudo, aut evidentia de logicà veritate, seu de conformitate iudicii cum honestate objecti ut est in se; nec certitudo, aut evidentia de objectivà honestate objecti.

Confirmo, tum quia si veritas speculativa necessaria non est, ut quis non peccet formaliter, cur ut quis formaliter honestè operetur? Tum quia, qui ex errore invincibili putat esse præceptum, quod in re non est præceptum, immò in re est vetitum, sequitur dictamen conscientiae proponens objectum illud ut formaliter honestum, immò illud sequi tenetur: ergo non est, cur non operetur formaliter honestè conformando se illi dictamini.

Hinc patet 1. quod si ad honestè formaliter operandum non est necessarium, ut iudicium proponens honestatem sit logicè verum, nec est necessaria evidentia, aut certitudo de veritate speculativà iudicii cum objecto ut est in re, nec de honestate objectivà objecti; sequitur 1. quod iudicium proponens honestatem, etsi sit logicè falsum, honestabit formaliter actum, quem dirigit. Sequitur 2. quod iudicium etsi inevidens, & incertum de conformitate sui cum suo objecto ut est in re; & de honestate materiali sui objecti, honestabit formaliter actum: cum autem iudicium inevidens, & incertum non excludat prudentem formidinem, nam prudens formido à certitudine, imprudens à solâ evidentia excluditur; hinc est, quod cum iudicio invincibiliter logicè falso, seu representante ut honestum, quod in se est inhonestum; immò cum iudicio inevidenti, & incerto, adeoque non excludente prudentem formidinem de falsitate sui ipsius logicà, & de materiali inhonestate objecti peccat.



terit quis honestè formaliter operari.

N. 172. Patet 2. quod si ne formaliter peccem necesse non est iudicium logicè verum de non peccato materiali in actu, & de non malitià in objecto; & multò minus necessaria est certitudo de veritate logicà ejus iudicii, & de non malitià actus, & objecti: rursus si ad formaliter honestè operandum necesse non est, ut iudicium sit logicè verum de materiali honestate objecti, & multò minus certitudo de eadem honestate objectivà; longè minus necessaria erit aliqua evidentia, quæcumque ea sit, de veritate speculativà iudicii, & de non malitià materiali objecti, ne formaliter peccemus. Similiter nulla evidentia necessaria erit de materiali honestate objecti, & de veritate speculativà conscientie, ut honestè formaliter operemur. Imò, si, ne formaliter peccemus, & ut honestè formaliter operemur, necessaria est aliqua evidentia, aut certitudo de veritate speculativà iudicii, & de non inhonestate materiali, aut de materiali honestate objecti; sequitur, quod Deus jubeat impossibilia; & quod in nostrà manu non sit non peccare formaliter, & honestè formaliter operari: nam in meà manu non est in rebus incertis habere certitudinem de veritate speculativà iudicii dictantis probabiliter, aut probabilius tale objectum non esse in re malum; & de naturà objecti ut est in se. Rursus in meà manu non est in re incertà habere iudicium certum de veritate logicà iudicii dictantis objectum esse in re honestum, & de honestate objecti.

N. 173. Hinc Philaetus qu. 1. pag. 10. dixit, quod ut quis certus sit se non peccare, satis sit, ut sequatur iudicium probabile honestè agendi in hac, vel illà materià, quia alioquin requireret à nobis Deus impossibilia; nam habere certum iudicium in particulari de omnibus eligibilibus impossibile est; nam Moralia ut plurimum non sunt demonstrabilia, ut vidimus ex Arist. in Ethicis. Hæc Candidus merito contra requirentes iudicium certum certitudine veritatis speculativæ de non peccato, aut de honestate objecti ut est in se. Monco tamen, ne Candidus sui obliviscatur; si enim ut quis non peccet, satis est iudicium probabile, quomodo obligat ad probabilius? Quare hic redit, quod alias dedi ex Caram. contra Philal. tanta enim est vis veritatis, ut, velit, nolit, nostram de licito usu minus probabilis sententiam sequatur.

N. 174. Patet 3. ratio, quâ Jansenistæ ducti sunt ad negandum probabilitatum usum; ratio enim est; quia volunt ad rectè operandum, & ad non peccandum prærequiri dictamen Tom. III.

logicè verum, immò certum, ait P. Carden. d. 4. n. 221. 227. 231. 233. subintellige certitudine veritatis speculativæ de naturà operationis: sed iudicium probabile non semper est logicè verum, & numquam est certum de veritate speculativà sui ipsius; ergo non sufficit. Similiter ostenditur, quantum non recedant à Jansenio, qui ad rectè operandum prærequirunt dictamen certum speculativè verum de naturà operationis, seu de non peccato, aut honestate materiali operis. Sequitur enim electionem sub errore invincibili, quod sit præcepta, non honestate actum; & sub errore invincibili, quod sit vetita, non inficere actum. Addo peculiare Jansenii errores non oriri ex certitudine; nam nos quoque admittimus necessarium esse iudicium certum (at de veritate practicà) de non peccato; sed ex certitudine veritatis speculativæ de actione, & objecto ut sunt in se; atque adeo magis derivantur à necessitate iudicii speculativè veri de objecto ut est in se, (quod iudicium logicè verum necessarium volunt ad non formaliter peccandum, & ad formaliter honestè operandum) quàm à necessitate iudicii certi.

Dices 1. repugnare, ut quis honestè formaliter operetur cum prudenti formidine de inhonestate objecti, & actionis: ergo ut quis honestè formaliter operetur, necesse est, ut iudicium sit certum de materiali honestate objecti, seu ut excludat omnem prudentem formidinem de materiali inhonestate objecti.

Respondeo, quod sicut non repugnat, ut quis sine peccato formali operetur cum prudenti formidine peccati materialis, ita nec repugnat, ut quis honestè formaliter operetur cum prudenti formidine de non honestate, immò de inhonestate materiali objecti: ut enim dixi in 1. conclus. ne quis formaliter peccet, necesse non est iudicium logicè verum de non malitià materiali actus, & objecti; & multò minus iudicium certum de veritate non malitiæ materialis actus, & objecti. Sicut ergo, ne quis peccet formaliter, non est necessaria certitudo de non malitià materiali actus, & objecti, adeoque cum prudenti formidine, saltem reflexà, de eadem materiali malitià actus, & objecti, optimè stat, quod quis ponendo eum actum, & sequendo illud objectum non peccet formaliter; ita, ut quis formaliter honestè operetur, necessaria non est certitudo excludens omnem prudentem formidinem de falsitate logicà iudicii, & de malitià materiali actus, & objecti; quin cum dictà prudenti formidine de non veritate logicà, & de non honestate

D ij mate-



materiali actus, & objecti potest quis formaliter honeste operari.

N. Dices 2. Operans cum prudenti formidine peccati peccat; & ideo *sect. 4.* diximus necessariam esse certitudinem non peccati, ne peccemus: ergo nobis contradicimus, dum modò dicimus, quòd, ne quis peccet, necessaria non sit certitudo de non peccato; immò quòd quis non peccet, etsi operetur cum prudenti formidine peccati.

N. Sed contra; quia quod dixi *sect. 4.* est, quòd aliqua certitudo non peccati necessaria sit, ne peccemus. Quod modò dico est, non esse necessariam veritatem logicam, & multò minùs necessariam esse certitudinem de conformitate logicà iudicii cum objecto ut est in re; adeoque nego necessariam esse certitudinem fundatam in veritate speculativà de non peccato materiali in actu, & de non malitià materiali in objecto. Quare, quod nego est, requiri certitudinem veritatis speculativæ, sive derivatam, sive non, ab evidentia, cum de fide certum sit, quòd ignorantia invincibilis excuset; & per me probabilius sit, quòd error invincibilis de materiali honestate objecti in se veriti honestet formaliter actionem: ergo ad non peccandum formaliter non est necessaria veritas speculativa iudicii cum suo objecto, & multò minùs certitudo de eadem: ergo nulla in me contradictio; nam negatà adhuc hanc certitudinem de non malitià materiali actus, & objecti, adstruo aliam de non malitià materiali actus, quæ certitudo est necessaria ad non peccandum formaliter.

N. Distinguenda ergo est certitudo de non malitià materiali à certitudine de non malitià formali, sunt enim separabiles, & una stare potest sine alià; immò cum incertitudine, seu cum prudenti formidine de malitià materiali actus, & objecti stare potest certitudo excludens prudentem formidinem de malitià formali: sed ad non peccandum formaliter necessaria non est certitudo de non malitià materiali, sed satis est certitudo de non malitià formali: ergo potest quis prudenter formidare de malitià materiali actus, & objecti, ut est in se, & adhuc esse certus de non malitià formali actus. Confirmo: Sicut enim possum prudenter formidare de veritate logicà iudicii, & simul esse certus de veritate practicà illius; ita possum prudenter formidare de malitià materiali actus, & simul esse certus de non malitià formali illius, de quo plura infra. Ita iudex ex. gr. non est speculativè certus de veritate delicti plenè probati, quin prudenter formidare potest de veritate delicti; & tamen est certus

de formali honestate suæ sententiæ. Ego non sum certus de veritate causæ disputantis me à jejuniis; & tamen sum certus de honestate formali non jejunii, præcipiente Superiore.

Alia igitur est certitudo de veritate practica objecti, alia de veritate speculativà objecti; seu quod ita sit in se, ut est in mente, & econtra ita in mente, ut est in se. Ad licentiam ex. gr. pingendum non est necessaria certitudo de naturà picturæ ut est in se, seu ut certus sum speculativè, quòd pictura sit in se licita; sed satis est certitudo de naturà picturæ, ut est in meo iudicio prudenti. Licet ergo prudenter formidem, seu certus non sum de licentià picturæ ut est in se; sum tamen certus de licentià picturæ in se, ut substat meo iudicio certò probabili de licentià; ut patet in invincibiliter errante, qui non est certus speculativè, seu de naturà mendacii ut est in se; est tamen certus de licentià mendacii, ut est in iudicio, proponente mendacium invincibiliter ut præceptum.

Addo 1. aliud esse, quòd non sit necessaria certitudo de non peccato materiali ne formaliter peccem; aliud, quòd non sit necessaria certitudo de non peccato formali; illud est verum, hoc falsum. Addo 2. ex eo quòd non detur certitudo de non peccato materiali, non inferri, quòd detur prudentem formidinem de peccato materiali. Aliud enim est, non sum certus; aliud, prudenter formido: etsi enim, qui prudenter formidat, non sit certus, non omnis tamen, qui non est certus, prudenter formidat; qui enim dormit, nec est certus, nec prudenter formidat. Quod dixi, est, quòd certitudo excludat tantum prudentem formidinem; non autem dixi, quòd incertitudo trahat secum prudentem formidinem; satis enim est, ut hæc possibilis sit cum incertitudine, non autem necesse est, ut illi semper coexistat.

Quia tamen possibili posito in actu nulla est repugnantia, adeoque si cum incertitudine existeret potest formido prudens, adhuc argumentum urget, quomodo cum incertitudine, seu prudenti formidine de malitià materiali actus, & objecti stet certitudo de non peccato formali; ideo tenendum est quòd dixi, nempe, quòd, ne quis formaliter peccet, necessaria est certitudo de non peccato formali, seu ne prudenter formidet de peccato formali; sicut, ne quis materialiter peccet, necessaria est certitudo excludens prudentem formidinem de peccato materiali; attamen ne quis formaliter peccet, necessaria non est certitudo excludens prudentem formidinem de peccato materiali. Hoc,



Hoc, nisi fallor, ab omni Catholico dicendum. Nam omnes docent, quod, ne quis peccet, necessarium non sit iudicium logicè verum de non peccato, cum de fide sit, quod error, & ignorantia invincibilis peccati excuset à peccato; & multo minùs quod sit necessarium iudicium certum de logicà veritate iudicii, & de non malitià materiali objecti, ut est in se: sed ubi non adest certitudo, adest potest prudens formido: ergo cum in non peccante sæpe non adsit, nec iudicium logicè verum, nec certum de veritate logicà iudicii, & de non malitià materiali objecti, eo ipso in non formaliter peccante sæpe adest prudens formido de falsitate logicà iudicii, & de malitià materiali objecti: ergo cum iudicio prudenter formidoloso de sui falsitate logicà, & de malitià materiali actus, & objecti stat certitudo excludens omnem prudentem peccati formalis formidinem; nam certum de fide est, quod sequens iudicium invincibiliter falsum de non malitià materiali objecti non peccet formaliter.

Confirmo: Opinio probabilissima sæpe est falsa, & ut Fides docet, excusat à peccato; sed si sæpe est falsa, non est vera, nec certa de veritate logicà sui, nec de non malitià materiali objecti; ergo de his est incertitas sed si de his est incerta, prudenter formidat de his, nam, ut ait P. D. Thyrus *dist. 10. n. 97.* formido logica, seu consistens in iudicio de possibilitate falsitatis est essentialis omni opinioni ut distinguitur à scientià, & fide: ergo iudicium excusans à peccato formali potest optimè stare cum prudenti formidine de falsitate logicà ejusdem iudicii, & de malitià materiali tui actus, & objecti; possum enim reflectere ad motiva iudicii oppositi, & ob ea prudenter formidare de falsitate logicà mei iudicii mihi probabilioris, & de malitià materiali actus, & objecti.

§. II.

Quæ certitudo de non peccato sit necessaria ad non peccandum formaliter; & quæ de honestate ad honestè formaliter operandum?

SUMMARIUM.

Nec formaliter peccem necessarium est iudicium practicè verum, seu quod se, & suum objectum proponat ut conforme regulis morum, n. 185. Cur? n. 186.

Illud iudicium practicè verum debet esse saltem moraliter certum de veritate practicà, n. 187. Cur? n. 188.

Certitudo requisita est certitudo excludens omnem prudentem falsitatis practicæ, seu disfor-

Tom. III.

mitatis iudicii, actus, & objecti, cum regulis morum, formidinem, ib.

Non est necessaria evidentia de non peccato formali, sed satis certitudo excludens omnem prudentem de peccato formali formidinem, n. 189.

Reflexisse volunt necessariam evidentiam excludens omnem etiam imprudentis de peccato formali formidinem, n. 190.

DD. utriusque sententiæ negantis, & affirmantis necessariam evidentiam de non peccato formali, ib.

Aristoteles ait, esse indisciplinati querere plus, quam moralem certitudinem in re morali, n. 191.

Glossa S. Thomæ in idem, ib.

Ait S. Thom. satis aliquam certitudinem? ib.

Idem ait S. Antoninus, ib.

Undenam ex S. Anton. colligatur moralis certitudo necessaria ad non peccandum formaliter? ibid.

Rationes à n. 191. ad 197.

Quia imprudens formido peccati formalis nec est dubium positivum, nec negativum de peccato formali, n. 192.

Quid dubium positivum, quid negativum, ib.

Sicut ut obliget credere fide Divinâ satis est certitudo moralis speculativa de veritate credenda, nec est necessaria evidentia excludens omnem imprudentem formidinem; & ut quis obedire tendatur, satis certitudo moralis de existentia legis; ita ut quis possit, immò teneatur honestè operari, satis certitudo moralis excludens omnem tantum prudentem, non autem etiam imprudentem peccati formidinem, à n. 193. ad 195.

Ad credendum fide Divinâ necessaria est certitudo moralis de revelatione, non autem satis notitia probabilis, ut vult Pontius, n. 194.

Damnata ab Innoc. exponitur, ib.

An certitudo sit necessaria, ut quis obligetur credere fide Divinâ, & ut quis obligetur operari actus voluntatis supernaturales? ib.

Satis est certitudo moralis, nec est necessaria evidentia moralis revelationis, excludens omnem imprudentem de non revelatione formidinem, ut teneatur credere revelationem, n. 195.

Eadem certitudo satis, ut honestè operer, ib.

Omnis conscientia scrupulosa excusat à peccato DD. scrupulus quid? n. 196.

Agere contra conscientiam scrupulosam est agere contra scrupulum, n. 197.

Remedia contra scrupulos, ib.

Conscientia scrupulosa est ignorans, & superba, ib.

Dico quod ad honestè formaliter operandum satis iudicium practicè verum; immò necessarium, ut illud sit certum de veritate practicà, non autem ut sit evidens, n. 198.

D iij

Ra-



*Rationes à n. 199. ad 204.*

*Alitis fidei putativè Divina est formaliter honestas, & meritoria, n. 200.*

*In aliis materiis, in quibus exigitur certitudo, satis quæ tollat prudentem formidinem oppositi. Exempla, n. 203.*

*Iuxta Probabilioristas tuentes ad solum actum logicè verum sequi posse actum formaliter honestum, pauci ex Sanctis honestè formaliter operati erunt, n. 204.*

*Epilogus conclusionum præcedentium; n. 205.*

*Rationes, n. 206. 207.*

*Ad honestè formaliter operandum satis est certitudo, excludens omnem prudentem de peccato formalem formidinem, n. 207.*

*Hinc cum omnis opinio certè probabilis sit per se essentialiter connexa cum non peccato formali, aut cum honestate formali, eo ipso est certa de illis, ib.*

N. 184. **N**egavi §. antec. necessariam esse logicam veritatem; & multò magis negavi necessariam esse certitudinem de ejusdem judicii logica veritate; seu de conformitate judicii cum objecto ut est in re; & de naturà objecti ut est in re, ad sine peccato formali operandum. Similiter negavi ad honestè formaliter operandum necessitatem judicii logicè veri, seu conformis objecto ut est in re; & multò magis negavi judicii certi de eadem conformitate logicà, seu speculativà judicii cum honestate ut est in re; & de honestate objectivà necessitatem. Modò decidendum quæ certitudo non peccati necessaria sit ad non peccandum formaliter; & quæ certitudo honestatis ad formaliter, honestè operandum.

N. 185. **Prima conclusio:** Ad sine peccato formaliter operandum necessarium est judicium practicè verum, seu judicium, quod te, & suum objectum proponat ut conforme regulis morum.

N. 186. **Patet;** quia necessarium non est judicium logicè verum, ut dixi §. ant. ergo satis, & necessarium est, ut sit practicè verum, seu ut sit regulis morum conforme, & te, & opus sibi, & illis conformet, & dixi d. 5. & 6. Cōfirmo; quia aliquod judicium moraliter rectum necessarium est ad non peccandum formaliter; sed non est necessarium judicium speculativè verum, seu rectum, ut patet ex d. 5. & 6. & ex §. antec. ergo necessarium est judicium practicè verum.

N. 187. **Secunda conclusio:** Necessè est, ut illud judicium practicè verum sit saltem moraliter certum de eadem veritate practicà, seu de conformitate sui, & operis à se directi cum regulis morum.

Patet; quia aliqua certitudo semper est necessaria ad non peccandum formaliter, ut ferè omnes Theologi sentiunt, & probavi sect. 1. §. 2. & sect. 4. Icd certitudo de veritate speculativà judicii, seu de conformitate judicii cum objecto ut est in re; & de eo quod objectum ita sit in re, ut est in judicio, primumque in rebus incertis, est impossibilis; ergo talis certitudo, etsi duntaxat moralis, de veritate logicà judicii, seu ut objectum ita sit in mente, ut est in re; & ita in re, ut est in mente, non est necessaria. Confirmo: Veritas necessaria ad non formaliter peccandum est veritas practicà, seu conformitas judicii, & objecti ut est in judicio cum regulis morum; ergo certitudo de practicà veritate est necessaria ad non peccandum formaliter; sed certitudo de veritate practicà excludit omnem prudentem formidinem falsitatis practicæ; omnis enim certitudo excludit prudentem formidinem sui oppositi: ergo certitudo necessaria ad non formaliter peccandum est certitudo excludens omnem prudentem formidinem de falsitate practicæ, seu de disformitate judicii, actus, & objecti cum regulis morum; id est, est certitudo excludens omnem prudentem formidinem peccati formalis.

**Tertia conclusio:** Necessè non est, ut hæc certitudo de non peccato formali ornatur ad evidentiam; sed satis ut sit certitudo moralis, id est, sit certitudo, excludens omnem prudentem formidinem de peccato formali, seu de non conformitate talis judicii, & operis cum regulis morum; non autem necesse est, ut sit etiam exclusivè omnis imprudentis formidinis de peccato formali.

**Est contra Reflexistas,** qui volunt, quod ultimum conscientie judicium non tantum debet esse purè moraliter certum, seu exclusivum omnis prudentis formidinis de peccato formali, sed etiam esse debeat saltem moraliter evidens, seu exclusivum omnis etiam imprudentis formidinis; nam evidentia superaddit certitudini exclusionem omnis formidinis etiam imprudentis, ut dixi d. 9. & sæpe hic, & alibi. Est, inquam, contra P. Moyam tom. 1. qu. 6. & tom. 2. qu. 8. P. P. Carden. tom. 1. d. 10. n. 75. & d. 15. cap. 4. & tom. 3. d. 56. & tom. 4. disp. 4. P. Ovied. 1. 2. tr. 5. contr. 1. pu. 2. n. 11. P. Teril. P. Fabri. & alios passim. At nostra conclusio est Arist. S. Thom. P. Vasq. 1. 2. d. 62. cap. 5. P. Sanc. 8. Tit. lib. 1. Sum. cap. 9. n. 16. & lib. 6. cap. 3. ubi ait, Deum solum obligare operari cum moraliter certitudine, qualis in opinione probabiliter reperitur; P. de la Fuente disp. 4. cap. 6. P. Thyrsi disp. 10. n. 30. Palanci, & Probabilior-



bilioristarum, nec non aliorum, quos dabo  
sect. 8.

N. Probatur 1. autoritate, prima ex Aristot.  
191. 1. Ethic. qui ait: *Disciplinati est in unaquaque*  
Aristot. *re certitudinem querere juxta exigentiam ma-*  
8. Tho. *teria; aque autem vitiosum est persuadentem*  
*querere mathematicam, & moralem demonstra-*  
*tionem: ergo exigere in re morali plus quam*  
moralem certitudinem dictaminis cum re-  
gulis morum, seu de non peccato, est indis-  
ciplinati. Secunda est S. Thom. in 1. Ethic.  
ubi exponens verba Philosophi 1. Ethic. cap.  
1. dicentis, *Certum enim non similiter in omni-*  
*bis sermonibus querendum est;* ait S. D. *Mate-*  
*ria moralis talis est, quod non est conveniens cer-*  
*titudo, id est, que est ex evidentiâ: & ad alia*  
Aristotelis, *Oportet grosse, & figurative veri-*  
*tatem ostendere,* subdit S. D. *Id est, verosimili-*  
*ter, & hoc est procedere ex propriis principiis*  
*hujus scientie;* (verba, quoties de practicâ  
probabilitate agitur, bene tenenda) & sic est  
manifestum, quod materia moralis est varia, &  
& dissimilis, non habens omnimodam certitudi-  
nem. Et 2. 2. qn. 60. art. 3. ad 1. hæc habet:  
*In humanis actibus invenitur aliqua certitudo,*  
*non quidem sicut in demonstrativis, sed secun-*  
*dum quod convenit tali materie: sed certitudo*  
conveniens materiæ morali est moralis, seu  
est certitudo practicæ conformitatis judicii,  
& operationis ab eo directæ, & objecti cum  
regulis morum: ergo talis certitudo conve-  
nit dictamini, & actibus. Tertia S. Anton.  
1. p. Sum. tit. 3. cap. 10. §. 10. reg. 7. dicentis:  
*In humanis agibilibus, que tantam habent va-*  
*rietatem, teste Arist. & experientia, sufficit ta-*  
*lis certitudo, que non semper scrupulos omnes*  
*abjiciat;* (id est, non est necessaria evidentiâ  
moralis) sed sufficit, ut contemnat, & superet eos.  
S. Leo. Ad quod optime facit illud Leonis Papæ di-  
centis: In his, quæ dubia fuerint, vel obseu-  
ra, id noverimus sequendum, quod nec præ-  
ceptis Evangelicis contrarium, nec decretis  
SS. Patrum inveniat adversum, dist. 14.  
cap. *Sicut quedam.* Ista autem certitudo mo-  
ralis colligitur ex uno trium modorum, vi-  
delicet ex alterius autoritate, quod perti-  
net ad insipientes, qui scilicet per alios eru-  
diuntur in doctrinis, & addiscunt, & obe-  
diunt, juxta illud Deuter. 14. *Interroga Pa-*  
*trém tuum, & annuntiabit.* Secundus modus  
ex propria eruditione, quod convenit pro-  
ficientibus studendo in Scripturis juxta  
illud Prov. 27. *Stude sapientiæ Fili mi.* Tertius  
modus ex circumspectione circumstantia-  
rum, & hoc quoad perfectos. Hæc S. Anton.  
Ecce undenam juxta S. Anton. colligatur  
certitudo moralis necessaria ad non peccan-  
dum formaliter. Idem habent Caietanus, &

alii, quos dabo sect. 8. eo enim ipso quod di-  
cunt omnem opinionem practicæ certò pro-  
babilem esse per se ipsam formaliter judicium  
certum de non peccato, eo ipso supponunt  
fatis esse certitudinem moralem.

Probatur 2. eo medio, quo Adversarii tu-  
N. entes necessariam esse evidentiâ moralem  
192. de non peccato, exclusivam omnis etiam im-  
prudens de eo formidinis, suadent suam  
conclusionem. Ad rectè moraliter operan-  
dum satis est bona fides de honestate, & li-  
centiâ operationis, id est, prudens judicium,  
quo quis putet hoc opus sibi licere: sed talis  
bona fides, seu prudens judicium de operis  
licentiâ stat cum imprudenti formidine de  
ejus non licentiâ, seu de peccato: ergo ad  
rectè moraliter operandum satis est judicium  
moraliter certum, seu compossibile cum im-  
prudenti formidine peccati. Maior est certa  
ex Adversariis. Minor probatur: quia pruden-  
ter inculpabiliter judicare, *Hoc mihi li-*  
*cet;* & ex defectu evidentiæ moralis formi-  
dare imprudenter, *Hoc mihi non licet,* non  
opponuntur; ergo simul stare possunt: ergo  
ad licitè operandum non est necessarium ju-  
dicium de licentiâ operis moraliter evidens,  
seu excludens omnem etiam imprudentem  
de non licentiâ formidinem. Antecedens  
probatur: Eatenus bona fides de licentiâ  
operis, & imprudens formido de ejus non  
licentiâ opponerentur, quatenus talis im-  
prudens formido de non licentiâ est dubium,  
positivum, aut negativum, de non licentiâ  
operis, seu est dubium de peccato: sed im-  
prudens formido peccati nec est dubium  
positivum, nec negativum de peccato, quia  
dubium in rigore est suspensio omnis assen-  
sus cum hac differentiâ, quod tunc dubito  
positive, cum suspendo omnem assensum  
utriusque partis, quia neutrum motivum sa-  
tis prudenter me movet; tunc dubito nega-  
tive, cum suspendo omnem assensum utrius-  
que partis, eo quia utraque caret omni fun-  
damento: in nostro autem casu, quia habeo  
prudens pro non peccato motivum, habeo  
bonam fidem, seu prudens pro non peccato  
judicium: ergo judicium prudens de non  
peccato, & formido imprudens de peccato,  
non opponuntur.

Probatur 3. ratione ex paritate inrefraga-  
N. bili, quam ferè omnes T. T. tuentur, ut dixi  
193. d. 9. contra P. Eliz. nec dissentit M. Baro  
P. Eliz. 2. p. Manuduct. d. 1. sect. 1. cum Scotista, M. Baro  
quem laudat. Docent itaque ferè omnes  
T. T. ad actum fidei Divinæ imperandum  
satis esse certitudinem moralem speculati-  
vam de veritate credendâ, compossibilem  
cum involuntariâ formidine de eadem veri-  
tate;



tate; nec necessariam esse moralem rei credende evidentiam, exclusivam omnis imprudentis formidinis; immo *d. 9.* dedi eximium Concilii Africani exemplum pro evidentiâ credibilitatis, & non evidentiâ veritatis; & *ib.* probavi, quod sicut ut quis obedire teneatur, necessaria non est moralis evidentia, sed satis est moralis certitudo de existentia legis; ita ut quis credere teneatur, non est necessaria evidentia moralis, sed satis est certitudo moralis de existentia revelationis, & veritate mysteriorum.

N. Dixi ad veritatem fidei credendam satis esse moralem certitudinem de ejus revelatione; ita tamen satis est, ut necessaria sit, ut

Inn. XI. suppono; quia Innoc. XI. damnavit satis esse notitiam probabilem revelationis. Quare

Pontius. non est audiendus Pontius Scotista in 3. *diff.* 25. *qu. 2. n.* 356. qui ait sufficere iudicium

Caram. probabile; contra quem fusi Caram. *lib. 4.* in *Dialexi* à *n.* 407. & nos etiam in *Tract. de Fide*;

quâ enim ratione credam firmiter revelationem, si eam probabiliter tantum existere puto, & de eâ prudenter formido? Similiter falsum docet, quod sit tantum probabile Hostiam publico cultui expositam esse consecratam; est enim, ut dixi *sect. 2. §. 2.* saltem ita moraliter certâ certitudine morali imperfectâ, ac est, quod talis homo sit Rex; alias non teneretur eam adorare: eo modo, quo nemo tenetur obedire Regi, Patri, Prælato, nisi sit moraliter certus, quod talis homo sit suus Rex, Pater, Prælatus: ergo cum ego teneam Hostiam publico cultui expositam adorare, (tandem magis quod non nisi per summam injuriam Sacerdos non possit præsumi tam impius) eo ipso est moraliter certum eam esse consecratam. Vid. quæ dedi *sect. 2. §. 2.* ex C. de Lugo *d. 1.* de Fide à *n.* 313. & Caram. in *Dialexi* *n.* 734. qui volunt maiorem prærequiri certitudinem, ut teneam credere per fidem supernaturalem, quam ut exerceam actus supernaturales voluntatis, nempe adorare; ut enim credere teneam, prærequirunt rigorosam revelationis certitudinem; non ita ut teneam obedire prærequiratur rigorosa legis existentia; & ideo, inquirunt, licet non teneam absolutè credere Hostiam esse ritè consecratam, seu in eâ esse Christum D. teneor tamen adorare, quia est actus voluntatis, ad quem certò obligor, etsi non detur tanta certitudo, quanta requiritur, ut actum fidei supernaturalem exerceam; & hoc etiam discrimen dedisse S. Th.

S. Tho. 2. 2. *qu. 1. art. 3. ad 1.* inter virtutes intellectus, & voluntatis quoad actuum obligationem. Breviter, ut credere teneam fide supernaturali, prærequirunt evidentiam credibi-

litate, & credenditate de revelatione, immò certitudinem moralem de existentia revelationis, non ita ut teneam obedire, nam moralis certitudo suscipit plus, & minus pro differentia materiæ; ait C. de Lugo. Ego tamen quid de hoc sentiam, supra dixi à C. de Lugo *n.* 33.

His positis, ita arguo: Ut Fideles mysteria N. fidei credere teneantur, non est necessaria evidentiâ moralis de existentia revelationis, & rerum credendarum, sed satis certitudo moralis composibilis cum imprudenti formidine non existentie revelationis, & mysteriorum: ergo ut homines teneantur, quanto magis ut possint, honestè operari, necessaria non est evidentiâ moralis de præcepto, & de honestate rei præceptæ exclusivâ omnis imprudentis formidinis de non existentia præcepti, & de non honestate rei præceptæ; sed satis erit certitudo moralis de existentia præcepti, & de honestate rei præceptæ, exclusivâ omnis prudentis, non autem imprudentis formidinis de non præcepto, & non honestate. Sanè si ut homines imperpetuum firmissimum Fidei Divinæ actum, satis est certitudo moralis de existentia revelationis, & mysteriorum, composibilis cum imprudenti formidine de non existentia revelationis, & mysteriorum; nec Deus obligat Fideles ad evidentiam moralem horum; immò Fides non esset libera, si revelatio, & mysteria essent moraliter evidentiâ; quomodo dici potest, quod ut Fideles honestissimè operentur, non satis sit certitudo moralis de licentiâ, & honestate operis composibilis cum imprudenti formidine de ejusdem non licentiâ, & non honestate, sed necessaria sit moralis evidentiâ exclusivâ omnis imprudentis formidinis de non licentiâ, & non honestate ejus operis? Certè nemo mihi hoc persuadebit; tam enim Fidelis tenetur præcepto fidei, quam aliarum virtutum: ergo si ut credat, immò ut credere teneatur, satis est certitudo moralis de existentia revelationis, & præcepti mysteriorum credendorum; composibilis cum involuntariâ formidine de non revelatione, & falsitate mysteriorum, multò magis ut Fideles teneantur honestè operari, satis erit moralis certitudo de existentia præcepti, & honestate rei præceptæ, exclusivâ quidem omnis prudentis, non verò omnis imprudentis formidinis de inonestate ejusdem operationis. Ego nec umbram disparitatis video, immò eò magis paritas urget, quò magis necessaria ad salutem est Fides, ac sint aliarum virtutum actus.

Probatur 4. aliâ doctrinâ Theologis certissimâ. Omnis conscientia scrupulosa certò excusat



excusat à peccato, ut omnes docent cum P.

*P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 10. P. Palao tom. 1. tr. 1. d. 4. pun. 1. P. Ovic. 1. 2. tr. 5. contr. 5. M. Tap.*

qui bene advertit, scrupulum esse vel apprehensionem, vel iudicium vere speculativum de malitia, contra quod licet operari; M. Tapia tom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 22. 23. 24. & alii passim: sed conscientia scrupulosa unitur imprudenti formidini de peccato; est enim apprehensio suavis de peccato, mixta prudenti iudicio de non peccato, ad quam apprehensionem sequitur imprudens formido peccati: ergo imprudens peccati formido non tollit iudicium moraliter certum, & prudens de non peccato: ergo cum imprudenti formidine de peccato stare potest impossibilitas peccati, quæ utique excusat à peccato; prudens enim de non peccato iudicium est formalis impossibilitas peccati.

*N. 197.* Nota autem, quod quando dicitur licitum esse, immo sæpe agendum contra conscientiam scrupulosam, proprie loquendo, non agitur contra conscientiam, sed contra scrupulum, seu inanem peccati formidinem iunctam conscientiæ, ut bene Herinex tom. 2. d. 4. n. 45. ubi assignat radices, & remedia pro scrupulosis. Ait autem Caram. in *Dialect. pag. mibi 234. in Epist.* quæ mentem C. Pallav. examinat, quod scrupulosa conscientia, est conscientia superba, & ignorans; superbus enim, si doctus sit, non habet scrupulos; ignorans, si humilis sit, eos etiam non habet, nam doctus paret: ergo is tantum eos habet, qui est superbus, & ignorans. Præ cæteris vide M. Tapiam l.c. & S. Anton. l.c. §. 10. per totum, ubi optima habet pro conscientia scrupulosa.

*N. 198.* Quarta conclusio: Ad formaliter honestè operandum satis est iudicium practicè verum, seu proponens objectum ut formaliter honestum, & conforme regulis morum. Rursus satis, & necessarium est, ut iudicium illud sit moraliter certum, seu detur moralis certitudo de eadem practicà veritate, excludens omnem prudentem formidinem de non honestate formali actus, non autem necessaria est moralis evidentia exclusiva omnis imprudentis formidinis de eadem non honestate formali actus.

*N. 199.* Prima pars probatur; quia error, quo objectum in se malum, aut non honestum, credo invincibiliter honestum, honestat formaliter actum, ut docui d. 6. nam iudicium etsi speculative falsum, est tamen practicè verum, & representat se, & objectum ut conforme regulis morum: ergo ad honestè formaliter operandum satis est, ut ultimum conscientia iudicium sit practicè verum.

Confirmo tum ex dictis n. 193. ad 195. N. 200. paritate actus Fidei putativè Divinæ; & actus adorationis circa Hostiam, quæ certo moraliter putatur consecrata, & tamen non est; qui actus sunt formaliter honesti, & meritorii, etsi sequantur ad iudicium logicè falsum; tum quia si ad honestè formaliter operandum satis non esset iudicium practicè verum, seu proponens, sive verè, sive falso objectum ut honestum, non esset in manu hominis vias suas facere bonas, sed tantum non malas.

*N. 201.* Secunda pars probatur; quia ad non peccandum formaliter, certitudo moralis requiritur de non peccato formali, seu de non difformitate iudicii, & objecti, & actus, ut ei iudicio substant, cum regulis morum: ergo ad operandum formaliter honestè requiritur moralis certitudo de formali honestate, seu de conformitate iudicii, & objecti cum regulis morum.

*N. 202.* Tertia pars probatur iisdem argumentis, quibus exclusi necessitatem evidentie moralis de non difformitate practicæ, seu de non difformitate iudicii cum regulis morum; & de non difformitate actus, & objecti cum eodem iudicio, & morum regulis, ut dixi in 3. conclus. Vt enim ad non peccandum formaliter satis est certitudo moralis excludens omnem prudentem formidinem de peccato formali, seu de difformitate practicæ, nempe iudicii, objecti, & actus cum regulis morum: non autem necessaria est evidentia moralis exclusiva omnis imprudentis formidinis de dictâ difformitate, seu de peccato formali. Ita ad formaliter honestè operandum satis erit moralis certitudo excludens omnem prudentem, non autem omnem imprudentem formidinem de non conformitate practicæ iudicii cum regulis morum; nec non actus, & objecti cum eo iudicio, & morum regulis.

*N. 203.* Confirmo ex P. de la Fuente *dis. 4. cap. 6.* quia in plerisque aliis materiis, in quibus exigitur certitudo, non est necessaria certitudo semper unita cum veritate objecti, & quæ convincat speculative intellectum, & excludat omnem etiam imprudentem formidinem; ex. gr. per hoc ipsum, quod quis inter Catholicos sit natus, est moraliter certus de suo Baptismo; & per hoc quod Hostia exponatur, est moraliter certus de Christi D. presentia; nec quia homo potest imprudenter dubitare de Baptismo, aut Hostie consecratione, potest illum reiterare; & potest huic absolutam adorationem negare: ergo si in ferè omnibus materiis satis est certitudo moralis unita imprudenti formidini,



midini, immò sæpe falsitati logicæ; ita satis erit moralis certitudo unita imprudenti formidini, immò falsitati logicæ, ut quis honestè formaliter operetur.

N. Hinc patet eos Probabilioristas, nempe  
204. P. D. Thyrsus, Palanc. & P. Muniel. qui  
P. Thyrsus, Palanc.  
P. Muniel, Palanc.  
excusare à peccato formali, ut fides docet, volunt tamen, quòd nullus actus sit formaliter honestus, nisi sequatur ad iudicium logicè verum; patet, inquam, eos probabilioristas negare debere honestatem formalem cuilibet actui, qui non sequatur ad iudicium evidenter logicè verum; nam ut actus sit formaliter honestus, non satis est, ut sequatur ad iudicium logicè verum; etenim plura iudicia imprudentia sunt logicè vera; nemo autem dicet, quòd actus ad ea sequentes sint formaliter honesti: ergo ut actus sit formaliter honestus non satis est, ut sequatur ad iudicium logicè verum. Rursus non satis est, ut sequatur ad iudicium moraliter certum, nam plura ex his sunt logicè falsa: ergo nullus dabitur actus formaliter honestus, nisi sequatur ad iudicium evidenter logicè verum: ergo nemo poterit honestè formaliter operari, nisi habeat evidentiam de logicà veritate. Si autem hoc ita est, quam pauci etiam ex viris insigni sanctitate conspicuis honestè formaliter operati sunt; immò in rebus incertis, quia evidentia impossibilis est, & certitudo moralis satis non est, cum sæpe uniatur falsitati logicæ, nullus poterit honestè formaliter operari.

N. Quinta conclusio, quæ est quasi omnium  
205. epilogus. Ad fine peccato formali, & ad honestè formaliter operandum necesse non est, ut ultimum conscientiæ iudicium sit speculativè verum, seu tale sit in repræsentando, quale est ejus objectum in essendo. Multo minus necesse est, ut detur certitudo, aut evidentia de eadem speculativâ iudicii cum suo objecto conformitate, seu ut illud iudicium sit certum, aut evidens de veritate speculativâ sui, & de naturâ sui objecti, quòd tale sit in re, quale est in mente; & tale in mente, quale in re. Quare ut conscientia sit certa de non peccato formali, satis est certitudo prudentis ad non peccatum formale adhesionis, exclusiva omnis prudentis ad peccatum formale adhesionis: & ut sit certa de honestate formali, satis est certitudo prudentis ad honestatem formalem adhesionis, exclusiva omnis prudentis ad non honestatem formalem adhesionis.

N. Prima pars de non necessitate veritatis  
206. speculativæ, & multo magis de non necessitate evidentie, aut certitudinis de eadem ve-

ritate speculativâ, seu de naturâ objecti ut est in se, & de conformitate conscientie cum objecto, ut est in re, patet ex dictis §. 1.

N. Altera pars patet tum ex dictis §. 2. tum quia si ad fine peccato, aut ad honestè formaliter operandum necesse non est, ut ultimum conscientiæ iudicium sit speculativè verum, ita ut objectum ita sit in iudicio, ut est in re, & ita in re, ut est in mente: & si multo minus necessaria est evidentia, aut certitudo de eadem conformitate logicæ iudicii cum objecto ut est in re, & objecti ut est in re, cum iudicio; eo ipso necessario sequitur, quòd satis erit, ut ultimum conscientiæ iudicium sit practicè verum, seu sit conforme regulis morum, ejusque objectum sit ipsi iudicio, & morum regulis conforme. Rursus necessario sequitur, quòd satis erit, ut detur pura certitudo moralis de hac practicâ conformitate iudicii, actus, & objecti inter se, & cum regulis morum, exclusiva omnis prudentis de peccato, aut de non honestate formidinis: ergo ad fine peccato formali operandum satis erit certitudo prudentis ad non peccatum formale adhesionis, exclusiva omnis prudentis de peccato formali formidinis, & adhesionis: & ad formaliter honestè operandum satis erit certitudo prudentis, ad honestatem formalem adhesionis, exclusiva omnis prudentis de non honestate, aut inhonestate formali adhesionis, & formidinis: ergo cum certitudo sit infallibilis connexio, satis erit iudicium infallibiliter connexum cum non peccato formali, aut cum honestate formali, ad non peccatum formaliter, aut ad honestè formaliter operandum: sed omnis opinio certò probabilis de non peccato formali, aut de formali honestate est per se ipsam essentialiter iudicium infallibiliter connexum cum non peccato formali, aut cum honestate formali; est enim iudicium certò prudens de non peccato formali, aut de formali honestate: ergo eo ipso quòd ad sit iudicium practicè certò probabile de non peccato formali, aut de formali honestate, dabitur certitudo prudentis ad non peccatum formale, aut ad formalem honestatem adhesionis; & quidem ita infallibiliter connexa cum non peccato formali, aut cum honestate formali, ut implicet, ut cum peccato formali, aut non honestate formali connectatur.



SECTIO VI.

Objectiones.

§. I.

*Quia nisi adsit evidentia, aut certitudo de natura objecti, ut in se est, peccabitur.*

SUMMARIUM.

*Obiectio. Nisi detur evidentia, exponitur quis periculo, n. 208.*

*Nulla evidentia, aut certitudo moralis de natura objecti, ut est in se, stat cum errore invincibili peccati, n. 209.*

*Sola evidentia, aut certitudo moralis de natura objecti, ut est in mente, est cum eo errore conjungibilis, ib.*

*Hinc ea non est necessaria, sed hac sola certitudo de objecto, ut est in mente, est necessaria, ib.*

*Lex vetans, ne homo operetur, nisi habeat evidentiam de honestate materiali, repugnat, n. 210.*

*Aristoteles, & S. Thom. volunt satis, ut homo judicet probabiliter per Gnomem, & Synesim, ibid.*

*Lex, quæ datur, est, ne quis se exponat periculo peccati formalis, non autem peccati materialis, n. 211.*

*Vel non obligor in materiâ fidei dubiâ, ut judicem rem absolute veram; vel obligor etiam in materiâ dubiâ morum, ib.*

*Est contra P. Teril. affirmantem teneri in materiâ morum, non fidei, n. 212. 213.*

*Obiectio, quia nisi detur saltem certitudo moralis de objecto ut in re, datur dubium practicum, n. 214.*

*Falsum quod ad omne dubium speculativum sequatur practicum, seu quod ad dubium de culpâ materiali sequatur dubium de culpâ formali, n. 215.*

*Cur? n. 216.*

*Sola certitudo de veritate practica objecti est necessaria, n. 217.*

*Falsum, quod moralis certitudo excludat omnem imprudentem formidinem, ut vult Fogarinus, n. 218. 219.*

*Falsum, quod si peccatum operari cum scrupulo, ut vult Eagn. qui aliter sumit scrupulum, ac Theologi, n. 220.*

*Scrupulus juxta Juristas quid? juxta T.T. quid? ibid.*

*Probabilitas, etsi non sit via veritatis speculativa, est tamen practica, n. 221. 222.*

*Rejicitur Merenda, ib.*

*Non omne incertum est dubium, etsi omne dubium sit incertum, n. 223.*

*Ut prudens de peccato formali formido excludatur, satis judicium certo probabile de non peccato formali, n. 224.*

*Potentia, non verò formido est de essentia opinionis, ib.*

**O**bjicies 1. Homo tenetur lege naturali, N. & Divina nulli peccati periculo se exponere; ut patet ex Scripturâ, *Qui amat periculum, peribit in illo*; & ex jure, In dubiis tutius eligendum; & ex S. Aug. *Tene certum, dimitte incertum*: sed nisi detur evidentia saltem moralis de non peccato, aut de honestate, exponimur periculo peccati: ergo ad non peccandum, aut honeste operandum necessaria est evidentia saltem moralis de non peccato, & de honestate actus, & objecti.

Sed contra; quia cum de fide sit, quod in N. vincibilis error excuset, eo ipso implicat, ut sola evidentia, aut certitudo moralis de veritate logica judicii, & de naturâ actus, & objecti, ut sunt in se, excusent à peccato: nam ea tantum certitudo non peccati, aut honestatis necessaria est ad non peccandum formaliter, aut honeste formaliter operandum, quæ conjungi potest cum invincibili errore peccati: sed nulla evidentia, immò nulla moralis certitudo de naturâ objecti, & actus ut sunt in se, & de logicâ judicii cum illis conformitate conjungi potest cum invincibili ignorantia peccati; qui enim invincibiliter judicat opus A esse peccatum, non potest habere evidentiam, aut certitudinem moralem, quod opus A non sit peccatum; & e contra: etenim si invincibiliter errat, dum judicat opus A non esse peccatum, quomodo potest esse illi evidens, & certum, quod opus A non sit peccatum? nam est peccatum: ergo nulla evidentia, aut certitudo de veritate logica judicii cum suo objecto ut est in re, seu nulla certitudo de hoc, quod objectum ita sit in mente, ut est in re, & ita in re, ut est in mente, necessaria est ad non peccandum: ergo tota evidentia, & certitudo moralis, quæ requiritur, non est de veritate objecti, ut est in re, sed ut mihi appareat. Hinc si mihi invincibiliter appareat non esse peccatum in re, quod in re est tale, sum certus de non peccato; quatenus objectum illud ut est in meâ mente, non videtur peccatum: ergo tota certitudo necessaria non est de eo, quod objectum ita sit in re ut est in mente, & ita sit in mente ut est in re, seu de veritate logicâ; sed est de veritate practica, seu ut objectum prout est in meâ mente, & judicium proponens illud objectum, sint conformia regulis morum. Nulla igitur non tantum evidentia, sed nec certitudo moralis de veritate speculativâ judicii practici, & de naturâ objecti, & actionis, ut sunt in se, necessaria est ad sine peccato



peccato formali, aut honestè formaliter operandum; sed satis, & necessaria est certitudo moralis de veritate practicâ iudicii practici, & de natura objecti ut substat ei iudicio cum regulis morum.

N. 210. Addo legem obligantem, ne homo operetur, nisi cum habet evidentiam non peccati materialis, aut materialis honestatis, esse humanæ ignorantie impossibile; pauca enim sunt in re morali evidentia, aut moraliter certa de eo, quod in re sunt, ut infra dicam, & constat ex Arist. 1. *Ethic.* ubi ait:

Aristot. *Disciplinati est in unâquaque re certitudinem querere juxta exigentiam materia; æquè enim vitiosum est persuadentem querere mathematicam, & moralem demonstrationem; & ex S. Thom. in 3. dist. 34. qu. 1. art. 2. dicente, Hominem de inventis per consilium judicare probabiliter, (nota to probabiliter) quod fit per gnomen, & synesim; & alterius ordinem hujus iudicii imponere inferioribus, quod fit per prudentiam, quæ præceptiva est. Sed quod homo certitudinaliter (nempe speculativè) sentiat de his, quæ agenda occurrunt, supra hominem esse: ergo querere in re morali plusquam certitudinem moralem de veritate practicâ, seu de honestate operis, ut quis honestè formaliter operetur, est indisciplinati, & supra hominem.*

N. 211. In formâ distingo maiorem: datur lex non exponendi se periculo peccati formalis, concedo; materialis, & multò magis quod probabiliter negatur, nego. Scriptura rectè dixit, amantem periculum perire in illo; etenim per ipsum periculum de peccato formali amorem perit: attamen cum per nos omnis tuta sit æquè formaliter tuta, ideo nullum est peccati formalis periculum. Ad reliqua patet ex sæpe dictis. Ad minorem dico imprudentem peccati formalis formidinem non obstat certitudini prudenti de non peccato formali.

N. 212. Dices: Quoties in materiâ fidei præsentè duplici contradictoriâ probabili assentior minus probabili, vel tunc judico absolutè veram, vel non? Si non; ergo nec in materiâ morum. Si assentior, contra est; quia implicat, ut iudicem absolutè veram opinionem, cujus opposita est mihi probabilior.

N. 213. Scio quod P. Terillus de Reg. mor. qu. 2. n. 40. doceat, quod ut assentiar opinioni probabili in materiâ fidei, non est necesse, ut iudicem absolutè veram; e contra in materiâ morum debet credi absolutè vera opinio, quam sequor; alias non dirigeret ad faciendum quod proponit ut licitum. Sed disparitas non tenet, cum etiam ut doceam aliquam opinionem in materiâ fidei, debeat illa judi-

cari absolutè verâ, ut dirigat ad docendum, quod illa tradit: ergo vel utrumque est verum, vel neutrum. Sicut ergo in materiâ Fidei inter Catholicos hinc inde dubia non obligor, ut iudicem illam absolutè veram, sed satis, ut ex gravi fundamento veram, seu verosimilem, vel reflexè ut eam iudicem certo probabiliter veram; ita etiam in materiâ morum.

Objicies 2. Nemo potest operari cum dubio practico de peccato: sed quoties non adest aliqua evidentia, metaphysica, physica, aut moralis, immò quoties non adest certitudo de objecto ut est in se, datur dubium practicum peccati: ergo nemo potest operari, nisi vel cum evidentia, vel cum certitudine speculativâ non peccati. Minor probatur; quia ad omne dubium speculativum sequitur practicum de eodem subjecto: sed quoties non adest evidentia, aut certitudo speculativa de non peccato, toties adest dubium speculativum de peccato, nam dubium à solâ evidentia, aut certitudine excluditur: ergo tunc adest dubium practicum.

Sed contra; quia falsum est, quod ad omne ne dubium speculativum de peccato sequatur semper dubium practicum de eodem; nam sæpe dubio speculativè de peccato materiali, & tamen sum certus de non peccato formali; & sæpe dubito speculativè, an lex obliget, & tamen non sum practice dubius, immò sum practice certus de non obligatione ejusdem, ex eo principio reflexo, Lex non certò constans, certò non obligat. Idem patet in materiâ voti; dubito enim speculativè, an votum obliget, & tamen sum practice certus, quod non obliget. Idem in Matrimonio, ait M. Soto in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. §. immò vero pag. mihi 109. ubi ait: Agere contra dubium speculativum non est peccatum, sed agere contra practicum; dubitat autem speculativè, an ille conjux erit suus sed non inde sequitur, quod dubitet reddendum esse debitum, aut perendum, quod est dubium practicum; immò per possessionem uxor fit certa, quod utrumque potest. Ita M. Soto.

Dico ergo, quod quoties dubio speculativo supervenit principium practicum reflexivum, tunc licet operari cum dubio speculativo de naturâ operationis, aut objecti. Ratio est; quia quoties dubio speculativo supervenit principium practicum reflexivum, eo ipso conscientia est practice certa de non peccato formali, essi dubitet de peccato materiali. In formâ concessâ maiori, nego minorem; tantum enim abest, ut absente iudicio evidenti, aut certo certitudine speculativa



tivā de non peccato, & præsente iudicio certo certitudine prudentis adhaesionis de non peccato, detur dubium practicum de peccato; quin omne dubium practicum de eodem tollitur per iudicium practicum moraliter certum certitudine prudentis ad non peccatum adhaesionis, & impossibilis cum peccato connexionis: atque adeo licet tunc conscientia non sit adeo certa, ac quando adest iudicium evidens de non peccato; non tamen est incerta, est enim certo probabilis, seu certa certitudine prudentis ad non peccatum adhaesionis. Dixi enim, quod certitudo moralis sufficiens, & necessaria ad non formaliter peccandum, & ad honestè formaliter operandum, non est certitudo de veritate speculativā iudicii, & objecti ut est in se; immò hæc, talvā fide, non est necessaria ad non peccandum formaliter; sed est certitudo de veritate practica iudicii, & objecti ut est in mente, nempe, quod objectum ut est in mente, non videatur disforme iudicio, & regulis morum: ergo non est necessaria certitudo de honestate objecti ut est in se, sed satis de honestate objectivā ut est in meā mente: ergo cum omnis opinio certo probabilis de eo, quod tale objectum non sit in re malum, (quidquid deinde sit, an sit logicè verum, vel non, quod non sit materialiter malum) sit iudicium certo prudens de non peccato, & impossibile cum prudenti formidine, aut dubio de peccato, eo ipso hæc certitudo, quod objectum, ut substat ei iudicio, non sit in re malum, satis est ad rectè operandum.

Ex hoc patet, quod ut conscientia sit recta, necesse non est, ut sit certa certitudine veritatis purè speculativæ, nec necesse est, ut sit certa certitudine derivatā ab aliquā evidentiā; nam idem omnino sunt ultimum conscientiæ iudicium, ac conscientia. Sufficit igitur certitudo moralis prudentis ad non peccatum, aut ad honestatem adhaesionis. Vides ergo me negare necessitatem iudicii moraliter certi certitudine veritatis speculativæ, & me affirmare necessitatem iudicii moraliter certi certitudine prudentis adhaesionis. Si enim ad non peccatum necesse non est iudicium speculativè verum, aliās invincibilis ignorantia de non peccato non excusabit; multò minus necessarium erit iudicium speculativè certum. Econtra, cum ad non peccatum requiratur iudicium practicè verum, seu conforme regulis morum, et si illud esse possit speculativè falsum; hinc ad sine peccato, aut honestè operandum requiritur iudicium certum certitudine prudentiæ; non autem certum certitudine veritatis

Tom.III.

speculativè; sed ad prudentiam satis est certitudo practica, seu ut talis actus sit practicè conformis regulis morum; non autem certitudo veritatis speculativè; potest enim dari iudicium prudens speculativè falsum, ut sæpe docui.

Objicies 3. ex Fagnano in 1. p. cap. Ne N. innitaris. n. 100. & alibi, quod certitudo moralis sit sine omni formidine; & n. 112. quod Fagnan. nos ante omnem electionem obligemur ad certitudinem moralem veri; & ideo cap. Per tuas, de Simoniā, dicitur esse peccatum operari contra conscientiam scrupulosam scrupulo non deposito; & cap. Inquisitioni, de Sententiā excomm. dicitur, quod conjux deponere debeat conscientiam levem, & temerariam, ut licitè reddat, & petat debitum: ergo ne quis peccet, necessaria est moralis certitudo de veritate logicā excludens omnem formidinem, & scrupulum. Confirmat; quia operans ex iudicio tantum probabili contemnit Dei legem, immò habet suspensionem de peccato.

Sed contra; quia, ut alibi dixi, Fagnanus N. esto sit in iure præstantissimus, dum tamen 219. falcem mittere in messem Theologorum tentat, plura dicit sibi contradicentia, ut adverti d. 11. sect. 11. §. 9. immò plures celeberrimi Jurisconsulti, ne quidem in materiā juris ejus sententiam audiunt, ut legere est apud D. Perca. Sanè nil magis apud T. T. mirum, quàm asserere, quod certitudo excludat omnem formidinem, scrupulum, & suspensionem imprudentem: hoc enim solius evidentiæ, non autem puræ certitudinis privilegium est; & ideo cum ipsa certitudine fidei stare posse leves de opposito scrupulos Catholici sæpe experiuntur; quā igitur ratione ad moraliter operandum requirit talem certitudinem moralem de veritate operis eligendi, quæ excludat omnem formidinem etiam imprudentem, cum ne quidem fidei Divinæ talis certitudo concedatur.

At ut argumentis Fagnani ex ejusdem N. doctrinā occurrā, idem Fagnanus quatuor gradus distinguit, quibus ad prudens de bonitate, aut malitiā operis formandum iudicium ascenditur. Primus est dubium; & hoc nulli parti faver. Secundus, quem vocat primum probabilitatis gradum, est leve indicium, seu suspicio, & scrupulus. Tertius, quem vocat secundum probabilitatis gradum, est iudicium opinativum nixum gravi, at fallibili fundamento. Quartus, quem tertium, & ultimum vocat probabilitatis, seu probationis gradum, est certitudo, seu Bartol. plena veritatis convictio. Hæc Fagnanus ex Baldus, Bartolo, & Baldo.

E

Ex



Ex hoc patet, quod qui operatur cum conscientia scrupulosa non deposita per iudicium prudens peccat; non autem ea deposita per tale iudicium; immo repugnat, ut quis simul habeat duo iudicia, unum ex levi motivo de peccato, aliud ex gravi de non peccato. Quare vel per scrupulum juxta Fagnan. & Juristas venit, non sola apprehensio in oppositum, sed iudicium ex levi motivo in oppositum; vel venit pura apprehensio, ut Theologi volunt? Si primum; tunc ut quis licet operetur, debet illud iudicium deponere, immo implicat, ut ea duo iudicia, unum leve pro peccato, aliud grave pro non peccato simul habeat. Si secundum; tunc necesse non est, immo sepe possibile non est eas apprehensiones deponere. Si ergo Fagnanus, dum Theologum agere vult, sumplisset scrupulum, ut Theologi sumunt pro pura peccati apprehensione, non dixisset, quod sit peccatum operari cum scrupulo de peccato. At quia more Juristarum sumpsit scrupulum pro iudicio levi de peccato, ideo intulit peccare qui operatur cum scrupulo de peccato, seu cum iudicio levi de peccato: immo chimæram dixit, quatenus supponit, quod cum iudicio certo probabili de non peccato stare possit aliud directum iudicium leve de peccato. At hoc ei condonandum, quia rei, à suo instituto alienæ, se immiscuit.

N. Similia prorsus argumenta habet Antonius Merenda insignis Jurisconsultus, non tantum ex jure, & ex PP. & ex Scripturâ, sed ex ratione, quatenus probabilitas opponitur veritati; & quod nostrum de practicâ veritate argumentum sit inane, quia ipsa veritas speculativa regit veritatem practicam, cum ex ejus principiis intellectus practicus regulas bene operandi deducat: ergo ad bene operandum requiritur veritas speculativa in iudicio.

N. Sed contra 1. quia si probabilitas opponitur veritati, ergo & probabilitas, nam plus, & minus non mutant speciem: ergo nulla probabilior poterit esse vera. Contra 2. quia sicut ut sine peccato formali operemur, nullum iudicium speculative verum est necessarium, ut Fides docet, nam invincibiliter falsum de non peccato formali excusatur ab illo; ita etiam ut honeste formaliter operemur, nullum per me est necessarium iudicium speculative verum de honestate formali, sed satis practice verum de eadem; id est, satis, ut detur iudicium certo probabile ostendens objectum, aut actionem, ut est in nostra mente, esse morum regulis conformem, etiam in re non ita sit. Contra 3. quia

licet probabilitas, aut probabilitas formalis non sit in re, sed in nobis, hoc tamen sufficit, dummodo addit probabilitas objectiva, seu motivum grave, ut actio licet, aut sine formali peccato exerceri possit, etiam à parte rei esset vetita, quia à nobis non apprehenditur ut vetita, & quidem ex gravi, aut graviore fundamento, ut recte Mairius num. 76. Licet igitur via probabilitatis, aut probabilioritatis non sit via veritatis speculative, potest enim actio, & objectum propositum ut honestum non esse tale in re; est tamen via veritatis practice, quia ut est in mente, illud objectum apparet ex gravi fundamento formaliter honestum; immo materialiter. Reliqua Merende argumenta late trahit, & solide diluit Mairius in 2. d. 5. q. 2. à n. 65.

Dices: Quoties operis honestas non est certa, est dubia: ergo non licet operari sine iudicio certo de honestate. Nego antecedens; quia licet omne dubium sit incertum, non tamen omne incertum est dubium; hoc enim dicit suspensionem omnis assensus, adeo ut quilibet assensus, etsi temerarius, tamen sit, ut excludat dubium strictè sumptum. Deinde nego consequentiam, si sermo sit de certitudine veritatis speculative; concedo, si de certitudine veritatis practice.

Instas: Omnis opinio includit formidinem, vel saltem potentiam ad illam; ergo nulla est satis. Nego consequentiam; ut enim prudens de peccato formali formidabile de non peccato formali. Addo, quod opinio melius dicitur assensus cum potentia ad formidinem, non autem cum formidine; & ideo P. D. Thyrsus d. 10. n. 97. dicit e. 7. formidinem logicam, seu consistentem in iudicio de possibilitate falsitatis esse essentiali omnino opinioni.

## §. II.

Quia nullum iudicium, nisi sit certo speculative verum, est prudens.

## SUMMARIUM.

Objectio. Quia prudentia est virtus intellectualis, cujus perfectio est veritas speculativa, n. 225. P. Munieffa ait, quod solum iudicium speculative verum sit prudens, ib.

Negat, quod iudicium prudens debeat esse certum, ib.

Mercorus ait, quod iudicium probabile, quia est formidolosum, non possit esse dictamen conscientie, n. 226.

Ejus rationes, n. 227.

Qualiter iudicium prudentie sit verum? n. 228. DD.



DD. inentes iudicium prudentie esse posse speculativum falsum, n. 229.

Contradictio Philaleti, ib.

DD. inentes esse semper speculativum verum, n. 230.

Satis illi est veritas practica, & certitudo veritatis practica, n. 231.

Quia plures dantur assensus speculativum falsi prudentes, & plures veri imprudentes, n. 232.

Prudentia est recta ratio agibilium, ait Arist. n. 233.

Caietanus dividit veritatem in speculativam, & practicam. Quid utraque? Concedit hanc prudentiam, illam negat ei necessariam, ib.

Alia certitudo veritatis practicae, alia speculativa, ib.

Prudentia est virtus intellectus practici, veritas ei semper necessaria est sola practica, n. 234.

Rursus satis, & necessaria est sola certitudo veritatis practicae, ib.

S. Thom. ait, prudentiam stare in intellectu practico, ib.

DD. hoc tuentes, n. 235.

Alius prudentia potest simul esse speculativum falsum, & incertum, & practice verum, & certum, ibid.

Prudentia est virtus agibilium, adeoque intellectus practici, n. 236.

S. Thom. acute ait, prudentiam respicere rectitudinem operantis, artem operis, ib.

Mercori contradictio, n. 237.

Omne iudicium certo probabile, cum sit certo prudens, est conforme regulis morum; & est per se certum certitudine prudentis de non peccato adhesionis; immo est reflexe certum, n. 238.

Iudicium certo probabile, etsi sit incertum de obiecto, & actu, ut in re, seu de bonitate materiali obiecti, est tamen certum de formali, n. 239.

Hinc non possum prudenter formidare de veritate practica, possum de speculativa, ib.

Obiectum prudentia potest esse quid opinabile, ib.

Obiectum, non ut est in se, sed ut in mente, specificat actum, ib.

Impugnatur P. Munieffa negans prudentia certitudinem, & affirmans de essentia prudentia veritatem speculativam, n. 240.

Eius contradictoria, ib.

Etsi actus elicitus a prudentia sint veri speculative, non tamen imperari, ib.

P. D. Thyrsus recte ait, quod si de essentia prudentia esset veritas speculativa, prudentia esset quid casuale, n. 241.

Rejicitur P. D. Thyrsus negans de essentia prudentia esse certitudinem, n. 242.

De essentia prudentia est certitudo de conformitate iudicii, & actus cum regulis morum, ib.

Tom. III.

**O**bjicies 4. Prudentia est virtus intellectualis; sed perfectio virtutis intellectualis est veritas speculativa; ergo perfectio prudentia est veritas speculativa: ergo cum per nos ad non peccatum necessarium sit iudicium certum certitudine prudentis ad non peccatum adhesionis, eo ipso debet esse certum certitudine veritatis speculativae. Hinc P. Munieffa *Sim.* 1. n. 9. ait, quod ut iudicium sit verè prudens, debet esse tum speculativè verum, tum ex motivo preponderantis; & ideo iudicium temerarium, etsi verum, non est prudens, quia non est ex motivo preponderanti: & iudicium fallum, etsi probabilius, non est prudens nisi putativè, quia non est verum. Non debet autem iudicium prudens esse certum; & ideo iudicium probabilius, etsi sit incertum, est verè prudens, si sit verum.

Confirmatur ex Merc. qui 1. p. art. 11. pag. 27. postquam dixit, quod ut quis rectè operetur, necessarium sit, ut habeat conscientiam certam excludentem non tantum dubium practicum, & formale, sed etiam formidinem, quod opus hic, & nunc non sit honestum, infert, quod ultimum, & proximum conscientiae iudicium non possit esse probabile, quia de hujus essentia est formido. Monet autem se non loqui de formidine logica, seu attentis quibusdam rationibus communibus, & remotis; hæc enim formido, ait, non excludit certitudinem moralem, quæ satis est ad conscientiam rectam; sed sermo est de formidine morali, quæ timetur error, attentis circumstantiis, & rationibus tunc occurrentibus.

Probat autem 1. quia dictamen prudentia debet esse certum certitudine exclusivâ formidinis morali, quod opus non sit honestum; quia cum prudentia sit virtus intellectus, non potest esse opinio: sed dictamen conscientie rectæ est dictamen prudentia; S. Thom. ergo non potest esse opinativum, seu probabile, nempe connexum cum morali formidine de operis malitiâ. Probat 2. quia dictamen recte rationis conformari debet legi æternæ, tamquam primæ regulæ, ut omnes docent cum S. Thom. 1. 2. qu. 19. art. 6. sed dictamen cum morali formidine non potest conformari legi æternæ; hæc enim est indefectibilis; iudicium autem probabile dicit essentialiter defectibilitatem moralem; ita enim credit verum, ut etiam moraliter possit aliter se habere: ergo dictamen opinativum non est per se conforme rectæ rationi. Ait 3. pag. 19. quia certitudo moralis est certitudo simpliciter; ergo excludere debet omnem dubietatem etiam imprudentem.

E ij

Probat

N. 225.

P. Mun.

N. 226.

M. Merc.

N. 227.

M. Merc.

S. Thom.



Probat 4. quia idem M. Merc. 1. p. art. 9. querens, an sicut objectum prudentiæ debet esse ita certum, ut excludat omne dubium positivum; ita quoque excludere debeat omne negativum, seu omnem formalem formidinem, (ita enim loquitur) & est, quando intellectus actualiter dubitat; immo radicalem, & est, quod si interrogaretur, diceret, se non esse certum de objecto: & pag. 22. affirmat, quia prudentia distinguitur ab opinione; ergo objectum prudentiæ non est quid opinabile, seu probabile.

N. Respondeo hoc tangere communissimam  
228. difficultatem, de qua Theologi 2. 2. fuse discunt, nempe quomodo iudicium prudentiæ sit semper verum, & certum. Ego plurima de hoc dedi d. 13. & hic scilicet. 2. §. 2. modo breviter aliorum mentem refero, daturus deinde meam.

N. Primo P. Moya tom. 2. qu. 9. num. 11. ait,  
229. quod licet omnis actus a prudentiâ elicitus sit necessario verus; non tamen omnis ab eâ imperatus. Patet: Si enim Concilium Provinciale aliquid definiat, id prudenter credo; in quo casu adest tum dictamen prudentiæ omnino verum imperans eum fidei actû; tum actus fidei imperatus: hic potest esse falsus; ille est necessario verus, quia deducitur ex his præmissis omnino veris: Quod dicunt prudentes esse credendum, est credendum; sed prudentes tale Concilium constituentes dicunt ex. gr. filios Gentilium baptizatos esse rebaptizandos; ergo hoc credendum est. Maior, & minor sunt evidentes, & consequentia talis etiam erit, seu evidenter speculative vera. Idem habet C. de Lugo, & M. Passerinus, quod aliquando contingat, ut aliquod prævium iudicium fuerit falsum, ut patet in eo, qui credit hodie esse jejunandum, attamen ultimum semper est evidens, & verum; nam supposito invincibili errore de præcepto jejunii, verum est esse jejunandum; & deducitur ex his præmissis speculative veris: Quoties mihi invincibiliter apparet dari præceptum jejunii, est jejunandum; hodie tale præceptum mihi invincibiliter apparet; ergo hodie est jejunandum. In idem recidit doctrina P. Lessii de Just. & Jure lib. 1. dub. 1. & Candidi Philal. qu. 1. pag. 9. dicentis iudicium prudentiæ esse semper infallibile; est enim tale; qui sequitur dictamen rationis, est certum, quod recte operatur; sed qui sequitur dictamen probabile, sequitur dictamen rationis; ergo est certum, quod recte operetur. Maior est evidens; minorem probat: quia dictamen rationis non est nisi inclinatio rationis de hoc faciendo: sed sequens ju-

P. Lef. Philal.

dicium probabile de honestate, sequitur inclinationem rationis per assensum, quod hoc sit faciendum; ergo sequitur dictamen rationis. Hæc Candidus, qui nil plus dicere posset, si sententiam de licito usu cuiusvis opinionis certo practice probabilis amplecteretur. Addit pag. 12. quod prudentia possit per accidens iudicare honestum aliquid, quod in se est inhonestum; non tamen iudicat esse honestum in re, sed honestum sibi iudicanti ob hanc, aut illam rationem fallibilem. Breviter Candidus non aliud docet, quam quod supposito tali errore antecedenti ut vero, ultimum prudentiæ iudicium sit verum: quod aliud non est, quam dicere, quod iudicium prudentiæ esse possit speculative falsum. Ita M. Mercorus 1. p. art. 14. pag. 37. interpretatur Philaletem. His accedunt P. D. Thyrsus disp. 10. n. 24. & Palanco Palaeo-1. pag. 134. dicens, prudentiæ convenire veritatem practicam, non speculativam. Idem quoque Matris, & Passer. tom. 1. in 2. d. 186. n. 259. dicens, quod divisio dubii in speculative, & practicum, melius fieret in dubium circa materiale, & circa formale objectum prudentiæ: dubium practicum respicit formale objectum prudentiæ; speculativum autem materiale. Subdit, quod prudentia debet esse certissima de objecto formali, non de materiali; & ideo est certum, quod non tantum probabilitas, sed dubietas ipsa speculativa stat cum infallibili practica certitudine prudentiæ, ut probat Caietanus tom. 1. opusc. 31. respons. 3. in fine. Accedunt P. Ovid. 1. 2. contr. 2. pu. 5. n. 49. P. Ripal. P. Ovid. d. 16. de Fide n. 93. P. Teril. de Reg. mor. qu. 24. a. n. 11. dicens, quod sit certo falsum prudentiam magis se habere ad verum, quam ad falsum, si sermo sit de vero reali, seu ut est in se; etsi magis se habeat ad verum, quam ad falsum in persuasionem prudentis, seu ut apparet ipsi prudenti.

Secundo P. Vasqu. 1. 2. d. 62. cap. 5. vult 220. omne iudicium prudentiæ esse semper speculative verum; idem ait P. Muniel. l. c. & P. de la Fuent. disp. 4. n. 54. P. Eliz. lib. 3. Ego sentio, quod ad actum prudentiæ satis sit veritas practica, & certitudo veritatis practice; adeoque satis sit, ut sit practice verus, & sit certus certitudine veritatis practice; & nihil officere, quod simul sit speculative incertus, & falsus; id est, satis est, ut iudicium prudentiæ sit conforme regulis morum, & ut objectum a se enuntiatum, & actum ab eo directum iisdem morum regulis conformet. Rursus satis est, ut qui prudenter iudicat,



dicat, certò certitudine morali excludente quidem formidinem prudentem, non autem imprudentem de opposito; certò, inquam, sciat, se prudenter judicare, seu habere iudicium conforme, & dirigere actum, qui sub eo ponitur, conformiter ad morum regulas: non autem necesse est, ut iudicium prudentie sit speculative verum, seu sit conforme objecto enuntiato, ut est in re; & multò minùs necesse est, ut sit certus se habere iudicium conforme objecto enuntiato, ut est in re.

Paret hæc doctrina ex sæpe dictis d. 5. 6. 13. & hic scilicet 2. §. 2. ubi ostendi dari plures assensus prudentes speculative falsos, ut patet; nam plures ex opinionibus moraliter certis, adeoque prudentibus sunt: speculative falsæ; & totidem ex probabilioribus, quæ utique prudentes sunt, sunt speculative falsæ, quot veræ; & in pluribus alijs. Sicut certum quoque est dari viceversa plures assensus imprudentes veros; tales sunt omnes opinioniones oppositæ moraliter certis, in re falsis; & talia omnia iudicia temeraria in re vera: ergo speculativa veritas, & falsitas nil officit, aut prodest prudentiæ, sed sola veritas practica.

Ita præter citatos n. 229. sentiunt Arist. 6. Ethic. qui definit prudentiam, *Est recta ratio agibilium*; recta, inquam, rectitudine conformitatis ad regulas morum, non autem rectitudine conformitatis logicæ. Caietanus 2. 2. qu. 60. art. 4. qui explicans utramque veritatem speculativam, & practicam, assignat quænam sit de essentia prudentiæ; ait enim: Intellectus practicus in moralibus dupliciter concurrir, & ut cognoscens, & ut dirigens; & quòd non eodem modo verus est, ut cognoscens, sed diverso; nam ut cognoscens, verus est per conformitatem ad rem cognitam, sicut intellectus speculativus; ab eo enim quòd res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa: sed ut dirigens, verus est per conformitatem ad appetitum rectum, ut dicitur in 6. Ethic. Hæc Caietanus, in cuius verbis notanda venit divisio duplicis veritatis: alia est speculativa, quæ intellectus practicus, seu dictamen practicum carere potest: alia practica, quæ carere non potest: ita à pari duplex certitudo distinguenda debet; (omnis enim certitudo præsupponit veritatem sibi proportionatam) alia est certitudo practica, seu, ut melius loquar, veritatis practicæ, quæ certitudine dictamen practicum prudentiale carere non potest; alia est certitudo speculativa, seu veritatis speculativæ, quæ certitudine veritatis speculativæ dictamen prudentiæ carere potest.

Ratio est; quia unicuique virtuti propor-

tionalis perfectio convenit: ergo cum prudentia sit virtus intellectus practici, quid agendum; quid fugiendum, ideo satis est, ut ei conveniat veritas practica; seu ejus actus sit conformis regulis morum; & quòd opus ab actu prudentiæ directum conformet iisdem regulis: rursus satis est, ut actibus prudentiæ conveniat certitudo practica, seu quòd operans sit moraliter certus, quòd ejus dictamen sit practice verum, seu conforme regulis morum. Hinc toties legitur in S. Thomâ, & Caiet. 1. 2. qu. 57. art. 4. & 5. prudentiam stare in intellectu practico, non in speculativo, quia cum perfectio intellectus speculativi consistat in cognoscendo res, ut sunt in se; quantumcumque autem homo sit prudens, numquam tantâ prudentiâ gaudere potest, ut de quolibet particulari contingenti dicat semper speculative verum: consequenter prudentia ponitur in intellectu practico, cum sit virtus de agibilibus; quæ perfectio intellectus practici, & virtus in actu dirigendi, & directio infallibiliter est vera circa contingentia, si consona sit appetitui recto præcedenti, id est, regulis morum.

Accedit M. Baro d. 1. n. 16. dicens iudicium prudentiæ, quo dirigitur actio honesta, non potest veritatem certò assequi, ut comparatur ad res, quia interdum non consentiunt illi iudicio, sed à convenientiâ cum appetitu recto. Idem dicit P. Moya tom. 2. qu. 9. n. 43. quòd cum veritas prudentiæ non sit speculativa, sed practica, nihil refert esse speculative falsam: ergo cum etiam certitudo prudentiæ sit certitudo de veritate practica, non de speculativa, nihil refert actum prudentiæ non esse certum, sed incertum de veritate speculativa sui, & objecti. Idem quoque P. Azor 1. p. lib. 3. cap. 25. qu. 2. M. Medina 1. 2. qu. 19. art. 6. Alensis in Sum. 1. p. qu. 16. P. Ovied. l. c. P. Ripalda l. c. P. Teril. l. c. P. D. Thyrtus, Palanc. & M. Passer. l. c. Immo omnes hoc dicere debent, si rem scitè penetrant; cum enim omnes conveniant in dicendo veritatem prudentiæ sumendam à conformitate cum regulis morum, eo ipso hæc conformitas sola, & certitudo moralis de hac solâ veritate, seu conformitate dictaminis, & actus ab hoc dictamine directi cum regulis morum attendenda est. Hinc præter dicta à me n. 41. ex M. Tapiâ, hæc tradit tom. 1. lib. 2. qu. 1. art. 5. n. 2. ex S. Th. S. Tho.

quòd prudentia non sit virtus purè intellectualis circa verum purè speculativum, sed ut modificatū bonitate, & rectitudine in ordine ad voluntatem moventem intellectū ad actus prudentiæ sub ratione boni, & honesti.

E iij

In



N. 236. In formâ dico, quod prudentia sit virtus intellectus practici, est enim virtus agibilium; ergo satis est, ut ei conveniat veritas practica, & ut omnes ejus actus sint veri veritate practica, seu sint conformes, & conforment actiones à se directas ipsi morum regulis; non autem necesse est, ut omnis actus prudentiæ sit speculativè verus, seu conformis objecto, & actui ut sunt in re; & ideo acutè S. Thom. 2.2. qu. 57. art. 5. ad 1.

S. Tho. distinguens artem à prudentiâ, & præscribens finem prudentiæ dixit, prudentiam respicere rectitudinem operantis; artem autem rectitudinem operis.

N. 237. Ad confirm. dico M. Mercorum sibi contradicere; nam 1. part. art. 15. probat ex Arist. & S. Thom. quod certum in moralibus idem sit ac verisimile, & probabile. Si ergo, ut idem M. Mercor. asserit 1. p. art. 8. satis est, ut judicium prudentiæ sit moraliter certum, & ex art. 15. omne probabile sit moraliter certum, eo ipso omnis opinio certò probabilis esse poterit dictamen conscientie. Altera contradictio est, quod juxta M. Merc. 1. p. art. 8. satis est ad judicium prudentiæ certitudo moralis, quia, inquit, nemo tenetur ad impossibile; & impossibile est habere omnimodam certitudinem de omni operabili, adeoque moralis certitudo non est omnimoda certitudo; ergo est certitudo mixta imprudenti formidine; immò cum pag. 18. dicat attestationem Parochi scriptam facere judicium moraliter certum de baptismo Petri, quis mihi tuadebit, quod cum tali certitudine morali non stet imprudens formido de non baptismo: ergo de essentiâ certitudinis moralis non est exclusio formidinis imprudentis. Sed de hoc plura infra.

N. 238. In formâ nego, quod ultimum conscientia dictamen non possit esse probabile, dummodo simul sit certum; ut enim potest esse practicè verum, & speculativè falsum, ita potest esse certum certitudine veritatis practica, seu de honestate formali; & probabile, seu incertum de veritate speculativâ, id est, de objecto materiali. Nam, ut dicam, omne judicium certò probabile cum sit certò prudens, eo ipso ut prudens est conformè, & conformat objectum, & opus à se affirmatum, & directum ipsi morum regulis. Rursus cum sit prudens, est certum formaliter, & intransitivè per se ipsum, ut dicam sect. 8. certitudine prudentis ad non peccatum, aut ad honestatem adhesionis; immò, ut etiam dicam, est certum reflexè, quatenus si supra illud dictamen probabile reflectam, non nisi imprudenter formidare possum de ejus veritate practica, seu conformi-

tate cum morum regulis; etsi formidem de ejus veritate speculativâ, seu de conformitate cum suo objecto enuntiato.

Ad 1. probationem nego, quod ad dictamen prudentiæ plus requiratur quàm certitudo moralis, seu prudens de honestate objecti, ut est in meâ mente; quæ certitudo stat cum formidine imprudenti de operis malitiâ. Rursus nego, quod dictamen prudentiæ non possit esse opinativum, seu certò probabile: esto enim sit opinativum de veritate speculativâ, an necne objectum, & actus sint talia in re, ut per judicium enuntiantur; & an judicium tale sit in repræsentando, quale est objectum in se; attamen illud idem dictamen opinativum de veritate speculativâ est certum intransitivè de veritate practica: supponitur enim prudens, adeoque certum certitudine prudentis ad non peccatum adhesionis; immò etiam reflexè est metaphysicè evidens, quod sit certum, quatenus evidens est, quod opus apparens certò probabiliter non veritum, non est veritum. Ad 2. dico, quod si M. Mercor. per formidinem moralem intelligat prudentem de objecto ut mihi apparet, tunc assero, quod nemo cum eâ formidine peccati operari possit: si imprudentem; tunc nego, & dico, quod omne dictamen certò probabile sit conforme regulis morum creatis, & increatis. Ad 3. nego, quod certitudo moralis excludat omnem dubietatem etiam imprudentem, nam unice excludit prudentem, ut docet experientia. Ad 4. nego, quod objectum prudentiæ nequeat esse quid opinabile: ut enim de objecto contingenti dari possunt actus necessarii; & de objecto necessario actus contingentes; nam objectum, ut sæpe docui, non specificat actum ut est in se, sed ut proponitur menti; nec certitudo actus sumitur ab objecto, sed à lumine; ita circa objectum opinabile dari possunt actus prudentiæ certi. Ad ea, quæ dedi ex P. Muniel. contra est N. 1. quia cur negat prudentiæ certitudinem, cum tamen sit virtus mentis tendens infallibiliter in suum objectum, & concedit veritatem speculativam? Contra 2. cur opinioni probabiliori concedit certitudinem, nam omnis probabilior est, juxta illum, quasi moraliter certa; ipsi autem prudentiæ negat certitudinem? Contra 3. cur opinioni probabiliori dat quasi certitudinem; & tamen si falsa sit, negat eidem prudentiam; quasi verò dari possit moralis certitudo sine prudentiâ: etsi enim sæpe detur certitudo moralis sine veritate speculativâ, non tamen sine prudentiâ? Contra 4. quia non mirum, quod prudentiæ neget certitudinem, quia non distin-



distinguit veritatem, quæ convenit prudentiæ, ab eâ, quæ eidem non convenit: veritas enim conveniens prudentiæ non est speculativa, sed practica; & ideo omne dictamen speculative falsum, si morum regulis conforme sit, est prudens: ergo cum omni actui prudentiæ essentialiter conveniat veritas practica, eo ipso omnis actus prudentiæ est certus de sua veritate practica. Contra 5. quia neque distinguit actus à prudentiâ elicitos, ab imperatis; ergo etsi elicitis necessario conveniret veritas speculativa, non tamen imperatis. Hinc sapienter P. de la Fuente. *alibi docui* ait, quod nullus error servare possit pro præmissâ syllogismi prudentialis quoad conclusionem eliciendam; sed errores illos merè speculative se habere, & sæpe nil practice dictare: & ideo Jacob non judicabat per prudentiam, quod Lia erat sua uxor, aut sibi ad illam licitum accedere; neutrum enim judicium fuit actus prudentiæ. Hinc utraque præmissâ syllogismi prudentialis, quo Jacob concludebat licitum sibi ad eam accedere, debebat esse evidens: ex. gr. omnis honestè accedit ad mulierem, quam inculpate suam judicat; ego hic, & nunc de hac muliere ita judico; ergo honestè ad eam accedo.

N. Audiendus breviter P.D. Thyrsus *diff.* 10. 241. n. 24. dicens, quod judicium prudens non exigit necessario evidentiam, aut certitudinem excludentem omnem formidinem, imò nec veritatem logicam; alias judicium quodlibet non est certum, esset tantum casualiter prudens: si enim ad prudentiam judicii non satis est, quod post diligens, & sine passione examen, pars appareat clarè verosimilior, sed præterea requiritur veritas logica, nullum judicium erit prudens, nisi sit certum; quia, quod illa probabilioritas re ipsâ uniatur veritati, est merè casuale respectu judicantis, qui illam unionem non percipit: ergo ad judicii prudentiam satis est maior verosimilitudo, non autem necessaria est certitudo, aut evidentia. Subdit n. 25. quod in prudentiâ politicâ æconomicâ, militari, plurimè prudenter judicamus, quæ nec certa, nec clara sunt; & ideo Arist. & S. Thom. sæpe dicunt artem, & prudentiam esse de his, quæ possunt aliter se habere: ergo non est de essentiali judicii à prudentiâ imperati veritas logica, & certitudo, aut evidentia.

N. Sed contra 1. quia si de necessitate judicii prudentis est saltem maior verosimilitudo; hæc autem, juxta P.D. Thyrs. est quasi certitudo moralis, quomodo negat certitudinem esse de necessitate judicii prudentis?

Contra 2. quia etsi hæc cohereant cum suis principiis, nam *num.* 14. duplicem distinguit certitudinis moralis gradum; unus, quo excluditur omnis formido, qualis est existentia Ciceronis; alius, quo non excluditur, & ait, quod hujusmodi certitudo sit potius opinionis, quam fidei humane; attamen dum hæc dicit, confundit certitudinem moralem cum morali evidentia. Devenit discrimen inter utramque, & nullum dare poterit, nisi quod evidentia moralis excludat omnem formidinem etiam imprudentem, at certitudo moralis solam prudentem; ergo licet verum dicat, dum negat esse de essentiali judicii prudentis veritatem logicam; at falsum dicit, dum negat certitudinem saltem moralem esse de essentiali judicii prudentis: etsi enim rectè negetur evidentia ipsi prudentiæ; non enim evidentia est de essentiali prudentiæ; non tamen rectè negatur, quod certitudo sit de essentiali prudentiæ; est enim. Ratio est, tum quia prudentia est essentialiter recta ratio; ergo omnis actus prudentiæ est certò, seu essentialiter rectus; ergo aliqua certitudo negari non potest prudentiæ: tum quia sicut P.D. Thyrsus rectè distinguit veritatem logicam à practica, & meritò dicit, quod veritas logica non fit de essentiali prudentiæ, sit tamen veritas practica; cur non etiam distinguit certitudinem de veritate logicâ à certitudine de veritate practica? & cur non dicit, quod prudentiæ non conveniat certitudo veritatis logicæ, conveniat tamen certitudo veritatis practicæ; præsertim cum omnis actus à prudentiâ imperatus debeat esse rectus, juxta definitionem prudentiæ, seu conformis cum principiis rerum agibilium? Ergo sicut implicat actus prudentiæ sine hac conformitate, ita omnis actus prudentiæ est essentialiter certus de hac conformitate.

## S E C T I O VII.

Alia objectiones.

## §. I.

Alia P. Elizalde argumenta.

## S U M M A R I U M.

Ejus contradictio, n. 243.

Nullum judicium falsum vult esse prudens, ib.

Arguit, quia de ratione virtutis intellectualis est, ut nec materialiter errare possit, n. 244.

Dico prudentiam errare non posse circa veritatem practicam, n. 245.

Acutum ex S. Thom. inter artem, &amp; prudentiam discrimen, ib.

Illationes, n. 246.

Error



Error circa objectum materiale actus prudentia non tollit prudentiam, ib.

Impugno P. Eliz. n. 247.

Nulla virtus intellectus errare potest errore opposito veritati, quam habere debet; et si possit errore opposito veritati, quam habere non debet, n. 248.

Prudentia, & artis discrimen, n. 249.

Hinc arguere ab arte ad prudentiam est arguere ab opposito ad oppositum, ib.

Non tantum verum, ut est in re, sed etiam ut est in mente, est objectum intellectus, ib.

Arguit, quia nullum iudicium falsum est prudens, n. 250.

Sibi contrariatur, n. 251.

Prudentia considerat res, ut sunt conformes, vel diffformes appetitui recto, ib.

Ostendo plura iudicia falsa esse conformia appetitui recto, adeoque prudentia, n. 252.

Arguit, quia appetitus rectus, cui iudicium, & actus debent conformari, est voluntas exequendi, quæ Deus re ipsa iussit; & vitandi, quæ Deus re ipsa vetuit, n. 253.

Quia alias non teneremur indagare verum, si præcisè teneremur vitare, quæ nobis videntur vetita, ib.

Dico, quod non tantum opera à charitate, sed etiam ab aliis virtutibus directæ sint recta, ut ait Arist. & S. Thom. n. 254.

Dico etiam, quod charitas per se obligat vitare, quod in re est malum; & facere quod in re est bonum, & per accidens obligat vitare in re bonum, si appareat malum; & facere malum, si appareat bonum, ib.

Quærenda prius veritas, quæ si maneat obscura, investiganda probabilitas, n. 255.

Argumentum est contra P. Eliz. ib.

Arguit, quod sicut voluntas occidendi filium est contraria amoris patris erga filium, ita charitas est amor non tantum legis Dei putata, sed re ipsa talis, n. 256.

Est totum contra P. Eliz. n. 257.

Charitas non tantum inclinatur ad actus, ut in re bonos, sed etiam ad actus, ut putatos in re bonos, ib.

Volitio, & opus sunt semper conformia materialiter, vel legi directæ, vel reflexæ, n. 258.

Nulli autem legi sunt materialiter difforma, ibid.

Appetitus rectus est voluntas implendi omnia, quæ reverà Deus iussit, sive cognita cognitione verà, sive invincibiliter falsà, sive probabili, n. 259. 260.

N.  
243.  
P. Eliz.

Quamvis ex dictis d. 5. & 6. & hic ex §. antec. facile solvi possint, quæ trahit P. Eliz. ea tamen proprijs verbis producere malui, ut inde constet tum falsitas, tum, ni

fallor, secum ipso contrarietas. Itaque lib. 3. qu. 1. dixerat probabilitatem plerumque non fallentem esse regulam morum; & qu. 2. necessarium non esse, immò impossibile esse, ut iudicium reflexum supra directum putetur probabile sit certum; quod impugnavi sect. 4. §. 1. idque acriter refellit P. Tenl. de Reg. mor. qu. 39. & 40. Tandem qu. 3. negat inesse prudentiam iudicio falso, immò nec à prudentia imperari posse; quod refutavi sect. 6. §. 2. Quia autem non exiguè se offert difficultas, quomodo probabile plerumque non fallens, aliquando tamen fallens, sit regula morum; adeoque sit iudiciu prudens, negat §. 4. & 5. esse iudicium prudens. In quibus tribus questionibus mihi videtur sibi contradicere; nam si iudicium probabile plerumque non fallens, et si aliquando sit speculativè falsum, est regula morum, ut dicit qu. 1. quomodo non est iudicium prudens? vel si non est iudicium prudens, ut dicit qu. 3. quomodo iudicium probabile est regula morum, seu regula prudentialis agibilium? Contendit autem qu. 3. quod omne iudicium probabile, si sit speculativè verum, pertineat ad prudentiam; si autem sit speculativè falsum, non pertineat ad prudentiam; & ex hac doctrina supponit prius rucere doctrinam de licito ulu opinionis probabilis, quia ruit nostrum fundamentum, quod omnis opinio certò prædictæ probabilis sit iudicium prudens. Immo §. 3. pag. 143. ait, nullam auctoritatem, doctrinam, probabilitatem, aut probabilioritatem, quam nescimus, an verum dicat, prudenter sequi possumus; ergo nulla talis potest esse regula conscientie.

Arguit 1. §. 2. De ratione virtutis intellectuales est, ut nec materialiter errare possit; fit; ergo cum prudentia sit virtus intellectus, nec materialiter errare potest; ergo nullum iudicium speculativè falsum esse potest imperativè, aut elicitive prudens. Antecedens patet ex Arist. 6. Ethic. dicente, de ratione communi virtutum intellectualium esse veritatem: ergo sicut scientia, intellectus, sapientia, & ars nec materialiter errare possunt, ne quidem errore invincibili, ita nec prudentia, quæ est una ex virtutibus intellectualibus. Ratio à priori est; quia intellectus per eas perficitur; ergo cum non perficiatur nisi per verum, sicut voluntas non nisi per bonum, non potest intellectus perfici nisi per actus veros; ergo nullo modo per errorem et si invincibilem. Cum ergo prudentia sit virtus perficiens per suos actus intellectum, implicat, ut feratur in errorem et si invincibilem, & ut erret etiam materialiter.



terialiter: ergo implicat, ut prudentia dicat esse bonum, quod in re est malum; & dicat esse malum, quod in re est bonum. Confirmat: Nullum opus, in quo artifex materialiter, & invincibiliter errat, est ex arte: ergo nullum opus, in quo intellectus judicando errat, est à prudentia.

N. Sed contra: quia totum hoc dissipatur ex dictis *scilicet. antec.* quod veritas intellectualis practica, seu conformitas nostrarum operationum cum appetitu recto est veritas, in quam tendit, & circa quam prudentia errare non potest; non enim dicere potest esse honestum id, quod illi appetitui recto apparet difforme. Audiatur præterea S. Thom. 1. 2. *qu. 57. art. 5. ad 1.* ubi ingens inter artis, & prudentiæ bonum, assignat discrimen; ait enim: *Bonū artis consideratur non in ipso artifice, sed magis in ipso artefacto, cum ars sit recta ratio factibilium; factio autem in exteriorem materiam transiens non est perfectio facientis, sed facti; sicut motus est actus mobilis; ars autem circa factibilia est: sed prudentia bonum attenditur in ipso agente, cuius perfectio est ipsum agere; est enim prudentia, recta ratio agibilium.* Hæc S.D.

N. Ex cuius verbis habeo 1. quod bonum prudentiæ sit in ipso operante; sed quod est in ipso operante, est operatio: ergo bonum prudentiæ, seu quod prudentia dirigit, est ipsa operatio, nempe electio voluntatis à prudentia directæ: ergo etsi prudens erret circa objectum materiale ipsius electionis, non tamen errat circa electionem; hanc enim dirigit juxta regulas morum. Habeo 2. quod cum prudentia directæ, & ex tuo præcipuo fine judicet de nostrorum actuum honestate, aut inhonestate, eo ipso quod ipse actus judicetur conformis principiis directis, aut reflexis Synderesis, erit honestus, & à prudentia regulatus; neque desinet esse honestus, & prudens, etsi detur error circa objectum materiale ejusdem actus, quia prudentia ad solas operationes attendit, ait S. Thom. & ab his homo constituitur benè, vel malè formaliter agens. Habeo 3. quàm malè P. Eliz. causam suam agat; nam *lib. 3. qu. 2. per totam*, invehitur contra judicium certum reflexum prudentiale, quod plerique Probabilistæ exigunt ut necessarium; hoc autem judicium semper est evidens, & certò verum; ergo nihil ei deficit quominus sit à prudentia, etsi judicium directum probabile, quod supponitur, possit esse falsum. Ita qui non tantum probabiliter, sed erroneè invincibiliter judicaret esse nunc mentendum, adhuc formare posset certum dictamen prudentiale, hoc modo: *Stante errore in-*

*vincibili de gravi obligatione nunc mentiendi, nunc mentiendum est; ergo mihi hic, & nunc, stante eo errore, mentiendum est.* Ecce tam antecedens, quàm consequens sunt certò vera, & circa agibilia: ergo consequens est judicium prudentiale: ergo P. Eliz. ut facillè explicaret, quomodo omne judicium prudentiæ semper sit certò, & evidenter speculativè verum, deberet potius ad illud judicium reflexum recurrere, quàm illud impugnare. Impugnata enim doctrinà judicii reflexi, necesse est, ut nobiscum sentiat, satis esse, ut omne judicium prudentiæ sit practicè verum; non autem necesse est, ut semper sit speculativè verum. Dixi, necesse est; reverà enim defendi non potest, quod omne judicium prudentiæ sit semper speculativè verum, nisi appellemus ad judicium reflexum; nam judicium directum sæpe est probabile, & speculativè falsum, & tamen est à prudentia imperatum, quia licet sit speculativè falsum, est practicè verum: ergo vel P. Eliz. negare debet, quod omne prudentiæ judicium esse debeat speculativè verum; vel si hoc affirmat, ut affirmat *qu. 3.* affirmare debet necessitatem judicii reflexi certi, quod semper est speculativè verum; quam tamen negat, immò *qu. 2.* repugnare docet.

Rogo equidem, ut mihi componat, quomodo probabilitas sit regula morum, nisi vel necessitatem judicii reflexi affirmet, si P. Eliz. omne prudentiæ judicium esse debet speculativè verum; vel excluso eo judicio reflexo, affirmet satis esse, ut omne prudentiæ judicium sit practicè verum. Quomodo enim judicium probabile potest esse prudens, & regula morum, si de ratione omnis judicii prudentis est, juxta P. Eliz. ut sit speculativè verum; opinio autem probabilis sæpe est speculativè falsa? Ergo necesse est, ut alterutrum neget, nempe vel neget opinionem probabilem esse morum regulam; vel neget quod de ratione omnis judicii prudentis sit, ut sit speculativè verum.

In forma dico, quod cum veritas prudentiæ sit practica, implicat actus prudentiæ, qui non sit practicè verus. Rursus dico, quod nulla virtus intellectualis errare possit errore opposito veritati, quam habere debet: hinc etsi detur actum prudentiæ errare circa materiale objectum, non errat nisi speculativè, non practicè; non enim dicitur esse conforme morum regulis, quod apparet difforme; & e contra: nec dicitur esse inhonestum, quod est conforme; nec esse honestum, quod est difforme. In viâ autem Reflexistarum facillè concedi potest, quod nulla virtus intellectualis errare possit materialiter; atque adeo



adeo prudentiam nec speculative, seu materialiter errare; quando enim intercedit aliquis error, ex. gr. mentiendum esse in tali casu, ille actus erroneus non elicitur à prudentia, sed tantum dat occasionem, ut prudentia, accedentibus aliis principiis reflexis, & supposito eo errore invincibili, iudicet mentiendum esse; quod dictamen est speculative verum.

N. Ad confirm. dico prudentiam, & artem  
249. valde inter se differre; bonum enim, quod ars intendit, est ipsa bonitas artificialis insita operi artefacto; ergo si in artefacto detur error, implicat, ut habeatur bonum artis. At bonitas intenta à prudentia, est bonitas operationis, & operantis, non operis externi: ergo si ponatur operatio juxta regulas morum, esto esset in se materialiter mala, haberetur bonitas, seu honestas formalis intenta à prudentia. Hinc est, quod arguere ab arte ad prudentiam, est ab opposito ad oppositum arguere. Ad rationem dico, quod probet contrarium; ut enim omne quod apparet bonum, non autem solum bonum reale, est objectum voluntatis, ita non tantum verum ut est in re, sed etiam ut est in mente, est objectum intellectus.

N. Arguit 2. Nullum iudicium spectans ad  
250. materiam morum certo probabile, si sit falsum, est materia prudentiæ; ergo nullum iudicium certo probabile practice, si sit falsum, est prudens.

N. Sed contra; quia evidens est plura dari  
251. iudicia falsa, quæ sunt materia prudentiæ; talia sunt, quæ apparent certo moraliter, aut probabiliter (immo juxta nos certo probabiliter) vera. Et quidem ad rei intentum satis est transcribere quæ P. Eliz. §. 2. trahit ex S. Thom. 1. 2. qu. 57. art. 5. ad 3. Caiet. ibi, & aliis dicentibus, aliam esse veritatem intellectus speculativi, adeoque virtutum pertinentium ad intellectum speculativum, ut sunt scientia, sapientia, intellectus; aliam esse veritatem intellectus practici, adeoque virtutum pertinentium ad intellectum practicum, ut sunt prudentia, & ars. Materia virtutum spectantium ad intellectum speculativum est necessaria, & infallibilis; contra materia virtutum spectantium ad intellectum practicum est contingens. Hinc veritas prudentiæ non est fumenda à conformitate ad res ut sunt in se, sed à conformitate rerum ut sunt in mente cum appetitu recto, sive antecedenti, ut vult S. Thom. sive consequenti, ut Scotus. Quare ratio prudentiæ erit vera, & recta, si conformis sit appetitui recto, esto non sit conformis rebus: ergo prudentia verum dicet, etsi detur error

circa res, dummodo, quod dicat, sit conforme appetitui recto, sed invincibiliter errans, aut certo probabiliter iudicans aliquem actum, & objectum esse honestum in re, etsi dicat falsum, & erret materialiter circa actum, & objectum ut sunt in re, dicit aliquid conforme appetitui recto; verum enim est, supposito invincibili errore de mendacio, & supposito iudicio certo probabili de honestate, contractus; verum, inquam, practice est, quod liceat mendacium, & contractus: ergo dictamen mentiendi, & contrahendi est dictamen prudentiæ. Breviter, prudentia considerat res non ut sunt in se, sed ut sunt in mente, & apparent conformes, vel difformes appetitui recto; ubi hæc rectitudo, seu conformitas reperitur, ibi adest objectum prudentiæ, sive res, de qua agitur, ita se habeat in re, ut proponitur, sive non.

Confirmo: Negari non potest, quod hoc iudicium, hæc Hostia est consecrata, adeoque adoranda; Petrus est reus, adeoque puniendus; hic homo est pater, adeoque filiali amore prosequendus; negari, inquam, non potest, quod ea iudicia sint conformia appetitui recto adorandi Christum D. quem ita suppono esse in eâ Hostia, ut non nisi imprudenter dubitem de opposito: illud enim iudicium nos inclinât ad actus adorationis Christo D. debitos, quoties magnâ probabilitate præsumitur. Similiter illud iudicium est conforme appetitui recto puniendi eum, qui ex plenâ juridicâ probatione apparet reus, & inclinât ad actus iustitiæ. Demum illud filii iudicium inclinât filium ad obediendum ei, quem prudentiam supponit esse patrem. Cum ergo ea iudicia sint conformia appetitui recto, seu morum regulis dictantibus, parendum esse ei, quem suppono invincibiliter patrem; adorandum Deum, quem suppono invincibiliter præsentem; dammandum, quem suppono ex plenâ probatione reum; & hæc iudicia dirigant operationes, conformando eas appetitui recto, seu dictis regulis, consequenter sunt veræ prudentiæ, quia conformant se, & suos actus cum regulis morum: ergo omne iudicium practicum, quod post maturam rei considerationem elicitur, est prudens: ut enim iudicium, quod sine gravi ratione, & maturâ consideratione elicitur, esto esse possit speculative verum, est imprudens; ita ex opposito omne quod cum maturâ rei, & circumstantiarum consideratione formatur, esto sit speculative falsum, est prudens: saltem denominativè à prudentia, à qua imperatur; imperatur enim ab appetitu honesto, & laudabili, & ea iudicia utilia, immo necel-



necessaria sunt pro vitæ præsentis statu. Plus  
P. Teril. ra P. Teril. de Reg. mor. qu. 4. r. a. n. 30.

N. Arguit 3. §. 2. Appetitus rectus, cui opus,  
253. & iudicium dirigens illud opus debent con-  
P. Eliz. formari, est voluntas recte nos ordinans ad  
nostrum verum finem, nam appetitus alio-  
rum finium ultimorum non est rectus, sed  
præteritus; uno verbo, est charitas Dei saltem  
incepta; hæc enim ex S. Aug. & S. Thom.

S. Aug. S. Th. est virtus ordinans nos circa verum finem  
nostrum, & est Architectonica, ait S. Thom.  
sed charitas est virtualis voluntas, & appeti-  
tus amplectendi bona, & vitandi mala re ipsa  
talia, non quæ nobis talia apparent; est enim  
voluntas exequendi omnia, quæ iussit re ipsa  
Deus, & vitandi omnia, quæ vetuit re ipsa  
Deus: ergo appetitus rectus, cui opus, &  
iudicium dirigens illud conformari debent,  
est voluntas exequendi omnia, quæ iussit  
Deus, & vitandi omnia, quæ vetuit Deus,  
ut in re sunt: ergo dictamen proponens ut  
bonum, quod re ipsa est malum; & ut ma-  
lum, quod re ipsa est bonum, non est con-  
forme, immò necessario materialiter discor-  
dat ab appetitu recto; ergo non est prudens,  
nec à prudentià imperatum. Confirmat: Si  
appetitus, cui opus, & iudicium conforma-  
ri debent, obligat præcisè ad ea facienda, &  
vitanda, quæ apparent nobis præcepta, &  
vetita, ad nullam diligentiam pro veritate  
inveniendâ nos obligaret; sæpe enim absque  
omni diligentia hoc nobis occurrit ut bo-  
num, illud ut malum; sed obligamur dili-  
genter inquirere, quæ sit voluntas Dei bo-  
na, & beneplacens: ergo appetitus ille vult  
bona, & odit mala, re ipsa talia: ergo dicta-  
men, quo asseritur contractus ut bonus, re  
ipsa malus; & quo asseritur obligatio men-  
tendi pro vitâ tuendâ, necessario discordat  
materialiter ab appetitu recto, & sic non est  
prudens.

N. Sed contra; quia supponitur falsum, nem-  
254. pe quod sola opera directâ à charitate sint  
recta, quod est falsum; dico enim omne opus  
esse rectum, & prudens, si sit conforme ap-  
petitui recto, ut loquitur S. Thom. & Arist.  
S. Th. Aristot. ergo cuiusque appetitui recto conforme-  
tur, erit rectum, prudens, & honestum; er-  
go si ve à charitate reguletur, si ve ab aliâ  
virtute, & ad huius virtutis finem assequen-  
dum dirigatur, opus erit rectum, honestum,  
& prudens. Deinde transmitto, quod per  
appetitum rectum veniat charitas; dico cha-  
ritatem esse per se appetitum amplectendi  
omnia bona verè præcepta; & vitandi omnia  
mala verè vetita; attamen si post debitâ di-  
ligentiâ usum aliquid ex verè præceptis vi-  
deatur ex gravi fundamento non esse verè

præceptum, immò vetitum; & aliquid verè  
vetitum appareat ex gravi fundamento non  
esse verè vetitum, sed præceptum, chari-  
tas obligat per accidens, ut ponam id, quod  
ex gravi ratione apparet præceptum, aut li-  
citur, esto in re sit vetitum; & ut omittam  
id, quod ex gravi ratione apparet vetitum,  
esto id in re sit præceptum.

Ad confirm. dico charitatem obligare nos N.  
ad ea facienda, & vitanda, non quæ quomo- 255.  
dolibet, sed quæ post debitâ diligentia  
usum, ratione invincibilis erroris, aut ju-  
dicii certò probabilis aliter apparent, ac  
sunt in se tantum igitur abest, ut non obli-  
ger ad inquisitionem veritatis, quia ut me  
conformem in operando appetitui recto, &  
ut appetitus sit rectus, investiganda prius  
est magnâ cum diligentia veritas. Adde to-  
tum hoc stare contra P. Eliz. nam ex vi cha-  
ritatis erga Deum non tantum teneor exe-  
qui, quæ certò scio esse à Deo præcepta, sed  
etiam inclinor exequi ea, quæ probabiliter  
puto placere Deo, etsi tale opus in se, seu  
materialiter non esset juxta placitum Dei:  
nam plus amat Deum, qui ponit non tantum  
ea, quæ certò scit Deo placere, sed etiam ea,  
quæ ex gravi fundamento putat Deo place-  
re, quam qui unicè exequitur, quæ certò  
scit Deo placere, & omittit ea, quæ ex pru-  
denti iudicio putat esse Deo grata.

Arguit 4. §. 2. Voluntas, quâ pater amans N.  
tenuerimè filium, occidit filium, putans ex 256.  
errore feram, per accidens tantum conjun-  
P. Eliz. gi potest cum amore filii, nempe ex invin-  
cibili ignorantia; per se autem loquendo, ea  
voluntas occidendi filium discordat prorsus  
ab amore patris erga filium: ergo etiam di-  
ctamen dictans aliquid, quod re ipsa est legi  
Dei contrarium, discordat prorsus ab appe-  
titu recto. Ut enim voluntas occidendi fi-  
lium est dissensu amoris, quem pater ha-  
bet erga filium, quia amor ille non tantum  
est amor filii putati, sed amor filii re ipsa ta-  
lis; ita charitas non tantum est amor legis  
Divine putatæ, sed etiam est amor ponendi,  
& exequendi legem Dei re ipsa talem.

Sed contra; quia ultra fateor ignorantiam N.  
meam; non enim capio argumentum; immò 257.  
hoc capio quod sit contra P. Eliz. Non ca-  
pio; nam amor patris erga filium non dirigit  
patrem ad occisionem feræ: at amor creatu-  
ræ erga Deum dirigit ad implendum id,  
quod putatur invincibiliter præceptum; &  
ad averfandum, quod putatur invincibiliter  
vetitum. Hinc, si argumentum fiat ut fieri  
debet, est evidenter contra P. Eliz. Ut enim  
amor paternus dirigit non tantum ad aman-  
dum, quem verè scio filium, sed etiam ad  
amandum,



amandum, quem invincibiliter puto meum filium; ita charitas Dei non tantum obligat ut ponam, quod certo scio præceptum, & ut vitum, quod certo scio vitum; sed etiam ut ponam, quod ex errore invincibili puto præceptum; & ut vitum, quod ex simili errore puto vitum. Immo eadem Dei charitas in nobis residens inclinatur, ut ponam actus, quos ex gravi fundamento puto Deo gratos, & honestos: ergo tale dictamen non est difforme, immo est conforme materialiter appetitui recto; nam appetitus rectus obligat omittere omnia, quæ sunt contra Dei legem, sive certo cognitam, sive ex errore invincibili, aut ex iudicio certo probabili putatam existere; & ponere omnia, quæ à lege Dei, sive in re, sive ex errore invincibili, aut ex certo probabili persuasione putatam existere apparent vel præcepta, vel consilia.

N. Si arguens meminisset legis non tantum  
258. directæ Dei, seu ut in se est, sed etiam legis reflexæ Dei, seu ut nobis à iudicio invincibili, aut probabili proponitur, videret, quod volitio, & opus sunt conformia materialiter alterutri legi; & neutri ne quidem materialiter difforma. Nam lex reflexa Dei non dicit, *mentire*, sed dicit, dato errore invincibili de mendacio ut præcepto, *mentire*. Ultimum autem meum dictamen, & opus ab eo directum sunt eidem legi reflexæ omnino conformia: dictamen, quatenus dicit, ego suppono invincibiliter præceptum à Deo mendacium; adeoque posito eo errore mentiendum est: ecce dictamen omnino conforme legi Dei reflexæ. Opus autem, seu mendacium positum sub eo dictamine de mentiundo est conforme tum dictamini illud dirigenti, & præcipienti, tum legi Dei reflexæ: ergo nulla difformitas inter dictamen, & appetitum rectum, seu charitatem Dei, ejusque regulas reflexas, aut alia morum principia. Rursus quod idem dictamen erroneum non sit difforme legi Dei directæ, aut directo charitatis erga Deum præcepto, est etiam evidens; nam lex directæ, & charitas directæ dicit, non *mentire*: dictamen autem non dicit nudum *mentire*, sed *mentire*, posito invincibili errore de mendacio ut præcepto.

N. Dices ex P. Eliz. §. 2. pag. 142. Quoties  
259. idem sub diversis conceptibus affirmatur, &  
P. Eliz. negatur, ea duo iudicia contradictoria sunt tantum per accidens, seu ex ignorantia compossibilia; de cetero sunt ad invicem repugnancia: ergo etiam volitio omnium, quæ reverà jussit Deus; & volitio omittendi aliquid eorum quæ reverà jussit Deus, sunt

tantum compossibiles per accidens ex ignorantia; ergo sunt sibi invicem opposita, adeoque secunda volitio est difforma primæ.

Sed contra 1. evidenter retorqueo: Vt N. enim ex ignorantia sunt compossibilia in intellectu duo iudicia materialiter contradictoria, ita in voluntate compossibiles erunt ex ignorantia illæ duæ volitiones: ergo ea volitio, quæ dico, Volo omittere factum dato errore invincibili præcepti, non contrariatur primæ volitioni, quæ dico, Volo implere omnia, quæ Deus jussit. Contra 2. quia vel volitio implendi omnia, quæ Deus jubet, est volitio implendi omnia, etiam invincibiliter ignorata, stante eorum ignorantia; vel est volitio implendi omnia, quæ à me cognoscuntur? Si primum: Deus jubet impossibile, eaque volitio esse non potest appetitus rectus, & prudens, quin est imprudens, quia est ad impossibile; neque enim Deus à me vult, ut habeam volitionem rei impossibilis. Si secundum; ergo sola volitio implendi mandata Dei cognita; non cognita autem sub conditione quod ea cognoscam, est appetitus rectus. Sive ergo appetitus rectus sit charitas inchoata, ut vult P. Eliz. sive non, ut ego puto, (illud tamen modò transmitto) perinde mihi est, dummodo sit volitio implendi mandata Dei cognita; non cognita autem, sub conditione quod cognoscam, non verò stante eorum ignorantia.

## §. II.

Reliqua P. Elizalde argumenta.

## SUMMARIUM.

Arguit, quia electio mali putati boni contrahit,  
n. 261.

Dico electionem mali putati invincibiliter boni esse simpliciter voluntariam, adeoque non esse contra appetitum rectum. Paritas projectionis merces non tenet, quia propiciens novit esse malam projectionem, n. 262.

Palanco pleraque sumpsit ex P. Eliz. n. 263. Et si electio mali putati boni sit secundum quid involuntaria, adhuc est absolute voluntaria, & conformis appetitui recto, ib.

Nemo tristiari potest rationabiliter de opere malo posito sub errore invincibili, quod esset bonum, n. 264.

Cur aliquando tristemur? ib.

Arguit, quia sicut in prudentiis particularibus, ea est recta, cum est circa mala, & bona re ipsa talia, ita in casu nostro, n. 265.

Ejus inductio, n. 266.

Et ratio, quia homo, qui ita erraret, ut mala putaret



putaret bona, & bona mala, non esset prudens, n. 268.

Retorquetur, n. 269.

Illatio a prudentiis particularibus ad simpliciter talem non tenet, ib.

Prudentia particulares imitantur potius artem, quam prudentiam, n. 270.

Earum bonitas à mediis, ut sunt in re, non ut in mente; non ita finis prudentie, ib.

Actus non specificatur formaliter ab objecto ut in re, sed ut in mente, n. 271.

Prudentia numquam errat speculative circa actus à se elicitos, etsi erret circa imperatos. Ostendo, n. 272.

Non est facile recte consultare de bonis, & malis existimatis, n. 273.

Paritas hominis iudicantis omnia erroneè est de re chimericà; imò dato tali homine, ille esset formaliter, & reflexè prudens, materialiter, & directè imprudens, n. 274.

Arguit, si iudicium falsum esset prudens, dividenda esset prudentia in rectam, & erroneam, ut conscientia, n. 275.

Dico antiquam esse divisionem prudentia in logicè veram, & logicè falsam, n. 276.

Actus elicitus non possunt esse falsi, possunt à prudentia imperari, ib.

Ait, quod prudentia numquam fallitur, n. 277.

Ejus contradictio, n. 278.

Prudentia non est idem, ac probabilitas, ut vult P. Eliz. ib.

Actus falsus potest imperari, non elici à prudentia, ib.

Actus intemperantie non elicitur ab habitu temperantie, nec scias putativè Divina ab habitu fidei Divina, n. 279.

Probabilitas est actus à prudentia imperatus, non elicitus, ib.

Gratis dedi, quod quoad actus elicitos prudentia non possit logicè errare; potest enim. Cur hoc dederim? n. 280.

Fides est virtus intellectus speculativi, & ideo nullus actus fidei falsus potest elici à fide; contra prudentia est intellectus practici, & ideo actus logicè falsus potest elici à prudentia, ib.

Etamen dicens malum bonum, non tantum non est conforme, sed est disforme appetitui recto, sicut est disforme rebus ipsis, à quibus materialiter discordat.

Respondeo, quod electio mali putati boni non sit involuntaria secundum quid, quin est simpliciter voluntaria; quia enim ratione, quod nullo modo cognoscitur, potest esse secundum quid involuntarium, cum nullatenus cognitum, nullatenus sit voluntarium, immo est simpliciter involuntarium? Sed electio mali putati boni nullo modo cognoscitur ut electio mali, sed pure cognoscitur ut electio boni: ergo electio mali putati boni, ut electio mali est, nullatenus est voluntaria, sed est simpliciter involuntaria; & ut electio boni est, est simpliciter voluntaria: ergo falsum est, quod electio mali putati boni sit involuntaria secundum quid. Ruit igitur argumentum; si enim non est secundum quid involuntaria, contra nullum appetitum, & voluntatem est. Ruit etiam paritas; nam projiciens merces novit malum, quod i passurus est in mercium projectione; quod quia videt minus malum esse malo mortis imminenti, ideo eas projicit; ergo ea projectio, quatenus mala, est involuntaria secundum quid.

At ut magis constet argumenti infirmitas, (hoc enim habent argumenta P. Eliz. immo Palanci, qui ex eo pieraque hausit, ut P. Eliz. eorum antecedens sive concedatur, sive negetur, nil valeat ad consequens inferendum) do electionem mali putati boni esse secundum quid involuntariam; at quid inde? Vi enim, etsi sit secundum quid involuntaria, est tamen absolute voluntaria, ita erit absolute conformis appetitui recto; nemo enim Æthiopem secundum quid album negabit vocandum absolute nigrum: ergo licet error mali putati boni, & electio ad illum sequens sint secundum quid involuntaria; & sint secundum quid repugnantia appetitui recto finis, non sequitur illum errorem non esse absolute prudentem, & electionem non esse absolute conformem eidem appetitui.

Quod ait de tristitia, dico, neminem tristiari rationabiliter posse de opere malo commisso sub errore invincibili, quod bonum sit; ubi enim nulla est culpa, nulla quoque esse potest tristitia. Causa igitur ob quam detecta veritate tristamur de opere malo putato invincibiliter bono est, vel quia saepe timemus ignorantiam non fuisse omnino invincibilem; vel quia ex eo opere malo putato bono oritur saepe aliquod damnum nobis, aut proximo. Hæc igitur considerantes tristamur: de cetero tantum abest, ut ipsum opus

N. 261. **A**rguit s. l. e. Omnis electio mali putati boni est involuntaria secundum quid juxta principia Arist. & Divi Thom. Annot. ut constat ex tristitia, quæ supervenit accedente cognitione de malitia electionis, & de materiali violatione legis: ergo talis electio est contra aliquam voluntatem antecedentem; sed hæc erat appetitus rectus finis; ergo talis electio, & dictamen mali putati boni est contra appetitum rectum antecedentem, sicut projectio mercium imminente tempestate, & inde oritur tristitia: ergo dictamen III.



opus malum creditum bonum sit prudentis tristitia objectum, quin saepe est causa gaudii, quatenus qui illud est operatus, eo fine operatus est, ut impleret obligationem ab invincibili errore assertam, ut Deo placeret: ergo est potius cur letetur, si, ut acutè P.

**P. Teril.** Teril. qu. 41. de Reg. mor. n. 52. inspicimus præcisè ad affectum charitatis, & appetitum finis; nec umbra apparentiæ est, cur relatè ad istos affectus de eo opere tristemur. Addit n. 53. quod errore detecto, & cognito ut malo, quod antea putabatur opus bonum, tenemur illud avertere, quia circumstantiis mutatis objectum non repræsentatur ut antea. Addo ego nos tritari naturaliter de errore, & opere materialiter malo, non supernaturaliter.

**N.** Arguit 6. §. 3. pag. 142. ex Arist. 6. Ethic. cap. 5. quod principium prudentiæ, & prudentum munus sit rectè consultare de illis, quæ ipsi bona sunt, atque utilia, non ex parte; sed quæ ad bene vivendum in universum. . . . quare in universum is erit prudens, qui est consultatorius, intellige rectè: ergo ad prudentiam prærequiritur recta consultatio: sicut autem in prudentiis particularibus recta est consultatio, cum est circa bona, & mala re ipsa talia, non autem credita talia; ita multo magis prudentia simpliciter dicta rectè consultabit, quando erit circa bonum, & malum re ipsa tale; non autem tantum in mente tale: ergo quoties datur error circa bonum, & malum, non datur locus prudentiæ simpliciter dictæ, non minus, ac non datur locus prudentiis particularibus, quoties datur error circa bonum, & malum.

**N.** Confirmat inductione: Dux, qui malè aciem instrueret, etsi inculpabiliter putaret se in ordine ad victoriam assequendam (hæc enim est finis à Duce prudenti intentus) optimè aciem instruxisse, non esset prudens. Idem cernere est in aliis prudentiis, ex gr. civili, æconomicâ, & aliis: ergo nec homo invincibiliter putans, quod mendacium sit bonum in ordine ad finem simpliciter ultimum, erit prudens prudentiâ simpliciter dictâ. Si enim prudentiæ particulares verstantur circa bonum, & malum re ipsa talia, nec satis, ut sint talia in opinione: rursus si cujuslibet particularis prudentiæ finis non est assequibilis, nisi per bonum reverà tale, non autem per bonum tantum putatum tale; multo magis prudentia simpliciter dicta versabitur circa bonum, & malum re ipsa tale, ejusque finis ab eâ intentus, non erit à nobis assequibilis nisi per bona re ipsa talia, non autem talia tantum in existimatione: Similiter sicut quæ sunt bona, & mala

in ordine ad finem prudentiæ militaris, aut alterius prudentiæ particularis, sunt talia per se, nec ullatenus fieri possunt talia à nostra existimatione, non enim hæc mutare potest objecta: nec enim Dux putans aciem bene instructam ad victoriam assequendam, facere potest, ut sit bene instructa, si reverà talis non est in re; ita à pari in ordine ad finem simpliciter ultimum, quem respicit prudentia simpliciter, & strictè talis, alia sunt objecta per se bona, ut charitas, justitia, & aliæ virtutes; alia per se mala, ut mendacium, & alia vitia; nec objecta per se bona fieri possunt per nostram opinionem mala, nec mala, bona in ordine ad finem; nec nostra existimatio illa mutare potest.

Ratio à priori est, ait, quia actus specifi-  
cantur ab objecto, non objectum ab actus; voluntas enim mentendi ideo est mala, quia mendacium est malum; non contra mendacium est malum, quia ea voluntas est mala: ergo ad hominis prudentiam spectat de bonis, & malis rectè dicere, seu ut sunt in se; ergo non est prudentis errare circa illa; & ideo Arist. dicit, nos eum vocare prudentem, qui rectè consultat de illis, quæ ipsi bona sunt; non de illis, quæ existimantur; de his enim quilibet rectè consultare potest.

Addit, quod si quis in sylva enutritus in N. omnibus ita erraret, ut omnia, quæ mala 268 sunt, diceret bona, & quæ bona mala, iste non esset prudens, licet omnia exequeretur ut judicat, immò esset stolidus, & peior ferà: ergo error invincibilis non reddit bona mala, nec mala bona: ergo nec unus error bonum unum reddit malum, nec malum bonum, nec duo errores duo mala, nec tres tria, alias omnes omnia, sed non omnes omnia; ergo nec tres tria, nec unus unum; ergo prudentia non est de bono, & malo ex errore, sed de bono, & malo reverà tali.

Sed contra; quia hæc omnia à P. Eliz. sol-  
venda sunt; si enim tenet illatio à prudentiis particularibus, quarum finis pendet à prudentiâ simpliciter, quæ pendet à mediis ut sunt in re, seu materialiter talibus, & non ut sunt in nostra mente, ad prudentiam simpliciter talem, sequitur evidenter quod sicut putans invincibiliter non esse malum, quod in re est malum, non peccat contra prudentiam simpliciter dictam, ut ipsemet P. Eliz. fatetur, qui à peccato excusat hominem operantem aliquid in se malum, si putet invincibiliter bonum sequitur, inquam, quod Dux erroneè invincibiliter putans aciem optimè instructam ad victoriæ consecutionem, cum reverà non sit bene instructa, non peccabit contra prudentiam



tiam militarem. Rursus sequitur, quod sic-  
ut Dux ex errore putans aciem male instru-  
ctam, cum tamen sit optimè ad victoriam  
instructa, non operatur contra prudentiam  
militarem: ita nec operabitur, nec peccabit  
contra prudentiam simpliciter dictam, qui  
poneret opus, quod putat esse malum, cum  
tamen in re sit bonum: sed utraque sequela  
est falsa: ergo illatio à prudentis particu-  
laribus ad prudentiam simpliciter dictam non  
tenet: ergo tenetur P. Eliz. dare disparita-  
tem, cur error noceat, (si tamen semper no-  
cet) prudentis particularibus; ita ut si ali-  
quis error ex. gr. in Duce interveniat, quo  
putet aciem bene instructam, quæ tamen in  
re male est instructa, Dux ille sit impru-  
dens, non autem prudens prudentiâ mili-  
tari. Econtra, si interveniat error, quo  
homo putet non esse malum, quod in re est  
malum, homo iste non sit imprudens, nec  
peccet contra prudentiam simpliciter ta-  
lem.

N. 270. *Et tenetur*  
Ecce igitur inter prudentiam simpliciter,  
& prudentias particulares discrimen. Itæ,  
ut rectè P. Teril. de Reg. mor. *qu. 41. an.*  
*58.* magis imitantur artes, quam pruden-  
tiam simpliciter talem. Sicut ergo, ut dixi,  
bonitas artefacti non pendet à mediis, ut  
sunt in nostrâ mente, sed ut in re; si enim  
artifex putet se idonea ligna, lapides, & alia  
domui edificandæ necessaria providisse, &  
se rectè, & ad libellam metitum parietes, &  
fundamenta, & ita in re non sit, utique do-  
mus non erit bene constructa: ita accidit in  
prudentis particularibus, quarum finis pen-  
det à bonitate mediorum, ut sunt in se; &  
ideo Dux, si aciem putet rectè instructam,  
& non sit, non assequetur victoriam; asse-  
quetur autem, si in re sit bene instructa, etsi  
putet malè instructam. Ex hoc apparet,  
quod bonitas, aut obstacula mediorum in  
ordine ad fines prudentiarum particularium  
pendeat à rebus materialiter, seu ut in se  
sunt; istæ enim profunt fini: ita acies bene  
instructa fini victoriæ assequendo prodest,  
etsi putetur malè instructa; & acies malè in-  
structa obstat fini victoriæ, etsi putetur bene  
instructa, & non obstat: ergo finis pru-  
dentis particularis pendet à mediis ut sunt  
in se; non autem præcisè ut sunt in repræ-  
sentatione. Econtra finis prudentiæ simpli-  
citer talis non pendet à bonitate, aut mali-  
tiâ objecti ut est in se, sed ut est in nostrâ  
cognitione; de cætero ultimus finis non esset  
in nostrâ potestate, cum non sit in nostrâ  
potestate certò scire bonitatem, aut mali-  
tiam objectorum ut sunt in se; & ideo in-  
vincibiliter putas se mentiendo non peccare,

Tom. III.

non peccat, ut Fides docet, & fatetur P. Eliz.  
Elizal. nec malitia intrinseca ipsi mendacio  
obstat assecutioni ultimi finis: econtra mala  
aciei instructio, etsi à Duce non cognita,  
obstat assecutioni victoriæ: ergo magnum  
discrimen.

Ad rationem dico, tam certò falsum esse, N.  
quod actus specificentur ab objecto ut est in  
re, quam certò verum est, quod volitio men-  
daci invincibiliter ignorati ut mali, non sit  
mala; & volitio sacri invincibiliter putati  
veriti, sit mala: ergo de fide est actus non  
specificari formaliter saltem ab objectis ut in  
re sunt, sed ut in mente. Quare si objectum  
post diligens examen repræsentetur ut bo-  
num, & honestum, esto in re non sit tale,  
volitio ejus objecti erit formaliter honesta,  
quatenus conformatur regulis prudentiæ di-  
ctantis honestum esse formaliter objectum,  
quod per invincibilem ignorantiam, qualem  
supponit omne iudicium certò probabile,  
repræsentatur ut tale. Idem dico de objecto  
proposito à iudicio certò probabili ut inho-  
nesto. Neque hoc tenet tantum in actibus  
voluntatis, sed & intellectus; si enim subje-  
ctum, & prædicatum repræsententur ut di-  
stincta, etsi in re non sint distincta, movent  
ad actum negativum; si ut identificata, etsi  
in re non ita sint, movent ad affirmativum:  
ergo tam actus intellectus, quam voluntatis  
specificantur ab objectis, ut sunt in repræ-  
sentatione, non præcisè ut sunt in re.

Quod addit, prudentiæ esse rectè judicare N.  
*de bonis, & malis simpliciter, & non solum exi-*  
*stimatis*; dico tò rectè non intelligendum de  
rectitudine speculativâ; hoc enim ad sum-  
mum verum est de actibus à prudentiâ eli-  
citis, non de imperatis; satis enim est, ut  
imperati sint præctice recti, seu morum re-  
gulis conformes: neque enim ut quis pru-  
denter judicet, necesse est, ne erret specula-  
tivè, immò prudentia potest errorem specu-  
lativum supponere, quin potest imperare;  
sed satis est ne erret præctice. Sanè si P. Eliz. p. Eliz.  
objectū prudentiæ, stante invincibili erro-  
re, distingueret ab objecto ejusdem erroris,  
clarè videret, prudentiam per actus à se eli-  
citos numquam ne quidem speculativè erra-  
re. Quod ut clarè pateat, supponamus, quod  
hoc iudicium certò probabile, *Licet pictura*  
*die festo*, sit speculativè falsum: ecce hoc ju-  
dicium non elicitur, sed imperatur à pru-  
dentiâ; etenim iudicium à prudentiâ elici-  
tum est actus reflexus habens pro objecto  
non tantum licentiam picturæ die festo, sed  
eamdem licentiam, ut substantem iudicio  
certò probabili, aut probabiliori de ejus li-  
centia. Hoc autem iudiciū à prudentiâ elici-

F ij

tum



tum est speculative verum; verum enim est, quod liceat pictura supposito iudicio certo probabili, aut probabiliori, aut errore invincibili de ejus licentia. Similiter hoc iudicium, *Licet accedere ad mulierem invincibiliter à me putatam uxorem meam*, est iudicium à prudentia elicitedum speculative verum, etsi iudicium directum, in quod iudicium reflexum prudentiæ tendit, sit speculative falsum: ergo prudentia numquam errat per actus à se elicitedos, etsi imperare possit actus falsos, qui erunt prudentes denominative, quatenus à prudentia imperantur. Sive ergo actus elicitedi à prudentia debeant necessario esse speculative veri, sive non, nil inde contra nos, satis est, ut imperati sint falsi.

N. 273. Ad id quod dicit, *quemlibet facile posse rectè consultare de bonis, & malis existimatis*; dico æquè falsum esse hoc esse facile, ac certum est, quod P. Eliz. de se sæpe fatetur, se non intelligere artem reflexivam intellectus. Et enim qui certo cognoscit rem ut est in se, facile formare potest conscientiam, nec eget illo discurtu reflexo: ita facile formamus dictamen de non furando, non mentiendo, quia scimus esse mala. At si objectum non cognoscatur certo esse in se malum, sed tantum proponatur per iudicium certo probabile, aut probabilius, ut bonum, quod in se est malum, volunt plerique Probabilistæ, & aliqui Probabilioristæ recurrere ad syllogismum reflexum, ut formetur conscientia: ergo rectè consultare de bonis, & malis existimatis non est facile, sed difficile; nam considerandum prius est iudicium directum, an sit probabile, immo certo probabile, hoc autem exactam plurium diligentiam supponit: deinde assumenda sunt principia reflexa: demum formandus syllogismus, cujus præmissæ sint certæ, ut inde eruiatur certum conscientia dictamen de licentia sequendi illud objectum ut substantans iudicio certo probabili, aut probabiliori de ejus honestate.

N. 274. Paritas hominis in sylva enutriti, & iudicantis omnia opposito modo, ac in se sunt, est impossibilis; nullus enim est adeo bardus, ut aliqua directa, & nota naturæ rationalis principia non habeat. Quod si fingatur casus possibilis, dicam eundem hominem futurum prudentissimum formaliter, & imprudentissimum materialiter, seu prorsus stolidum: stolidum quoad iudicia directa, quæ omnia sunt falsa; iudicat enim mendacium, & alia non esse mala, sed bona; & iudicat, quod parere Deo, & parentibus sit malum, non bonum: prudentem quoad iudicia reflexa; iudicat enim mentiendum,

dato invincibili errore de præcepto mentiendi, furandi, & similibus.

Arguit 7. Si plura iudicia falsa pollunt N. esse prudentia, sicut datur conscientia erronea, ita daretur prudentia erronea: ut enim P. Eliz. conscientia recta est conscientia vera, & conscientia erronea est conscientia falsa; ita prudentia recta erit prudentia vera, & prudentia erronea erit prudentia falsa; sed nemo hanc dividit in rectam, & erroneam, ut dividitur conscientia: ergo nullum iudicium falsum potest esse prudens.

Sed contra; quia tantum abest, ut divisio N. prudentiæ in logicè veram, & logicè erroneam sit nova, quin adeo antiqua est, ac est antiquum prudentiam imperare posse actum falsum: ita prudentia imperat, ut credam talem hominem esse patrem, qui tamen fidei actus sæpe est falsus; & juxta omnes Probabilioristas, & Tutoristas, prudentia imperat assentiri probabiliori, & tutiori ut verum, cum tamen sæpe sit falsa: ergo actus falsi imperati à prudentia sunt vere, & propriè prudentes; etsi actus à prudentia elicitedi non possint esse falsi. Cur autem prudentia non dividatur in falsam, & veram, sicut conscientia, est, quia tunc considerantur actus elicitedi à prudentia, & hæc est virtus, & non est indifferens ad elicitedos utroque; conscientia autem non est talis.

Arguit 8. §. 7. Vbi postquam concessit N. tamquam verum, materiam prudentiæ non esse certam, sed probabilem, & ideo relictæ in parte intellectus opinativæ, ut hanc perficiat; negat tamen prudentiam falli, etsi probabilitas aliquando falsum dicat. Nec est, inquit, repugnantia in hoc, quod probabilitas aliquando fallat, prudentia numquam, immò ideo prudentia ponitur in parte opinativæ intellectus, ut minus deficiat & sic, quando intellectus deficit, non deficiat per virtutem, sed per se ipsum; quo modo fides Divina est virtus intellectus, & infallibilis, quia nixa motivo infallibili: quia autem fides eget præterea applicatione; potest autem revelatio indebitè applicari, ut accidit, dum Parochus dicit rusticis, Deum revelasse quatuor esse Trinitatis Personas; in quo casu rusticus non exercet actum fidei supernaturalis, etsi putet se eum exercere, immò errat: ita quod in fide accidit ob proximam applicationem, hoc contingit in prudentia propter objectum: & sicut fallitur credens, sed non per fidem supernaturalem, ita fallitur prudens, sed non per prudentiam; putat quidem se prudenter operari, sed fallitur, quia non habet veram, sed apparentem prudentiam. Sed



N. Sed contra; tum quia his satis occurri d.

278. 6. & hic *sect. ant.* §. 2. tum quia habent contradictionem. Si enim, ut initio §. 5. concedit prudentiam à probabilitate non distinguere, implicat, ut probabilitas aliquando fallat, & prudentia numquam fallat; & econtra implicat, ut prudentia numquam fallat, & probabilitas aliquando fallat: ergo vel implicat, ut probabilitas, & prudentia sint omnino idem; vel si sunt, quod de probabilitate dicitur, dicendum de prudentia, & econtra; nisi velimus idem affirmare, & negare. Dico itaque prudentiam non esse idem, ac probabilitatem. Ratio est, tum auctoritas Arist. & omnium dicentium, quod prudentia sit virtus, non ita opinio: ergo cum omnis opinio probabilis logicè vera, aut falsa, sit opinio, implicat, ut opinio probabilis, etsi vera, sit prudentia: tum quia si probabilitas idem est, ac prudentia, probabilitas fallens erit prudentia; sed implicat, ut prudentia strictè sumpta, quæ est virtus intellectus, aliquando fallat; ergo implicat, ut probabilitas sit prudentia: tum quia actus proportionantur habitibus: ergo habitus procedens ab actibus probabilibus falsis inclinabit ad actus falsos; sed habitus inclinans ad actus falsos non est virtus; ergo non est prudentia. Fallitur itaque P. Eliz. dum confundit probabilitatem cum actu à prudentia strictè sumptâ elicitio, ob rationes dictas; actus enim probabilis falsus potest quidem à prudentia imperari, non tamen elici.

P. Eliz. 279. Exempla, quæ trahit, retorquentur: Si enim verum est, ut sine dubio est, quod defectus non tribuitur virtuti, sed intellectui, eo ipso prudentiæ tribui non potest ullus defectus quoad actus ab habitu prudentiæ elicitos; ergo evidens est, quod, cum probabilitas ex naturâ suâ defectibilis sit, eo ipso distinguatur realiter à prudentiâ, quæ talis non est; eo modo, quo intemperantia actualis non elicitur ab habitu temperantiæ, nec fides falsa ab habitu fidei Divinæ: si autem prudentia non distinguitur à probabilitate, eo ipso actus probabilitatis, sive veræ, sive falsæ elicietur ab habitu prudentiæ, qui idem est cum habitu probabilitatis: ergo probabilitas non est actus à prudentiâ elicitus, sed imperatus, sive ille actus probabilitatis sit verus, sive falsus; vel enim est actus à prudentiâ elicitus ut probabilitas est, & sic etiam probabilitas fallens erit actus à prudentiâ elicitus, quod tamen negat; vel est ut vera probabilitas est? & sic omne verum, etsi temerarium, erit certò probabile, quod est falsum.

N. 280. Quæ dixi de prudentiâ, quod quoad actus elicitos non possit logicè errare, ad abundantiam dicta sunt, non ad necessitatem; adhuc enim admissio quod quoad actus elicitos prudentia possit logicè errare, sustineri potest prudentiam esse virtutem; ejusque finem non esse veritatem logicam, sed practicam, quæ semper inest actibus à prudentiâ imperatis, sicut elicitis, etsi sint logicè falsi: & ex hoc patet discrimen ad actum fidei supernaturalis; fides enim est virtus intellectus speculativi, non practici; econtra prudentia: ergo nullus actus logicè, seu speculativè falsus potest elici à fide; potest autem actus speculativè falsus, dummodo sit practicè verus, elici à prudentia. Hanc fidei paritatem trahit, & solvit etiam Palanco *qu. 5. Palancè a n. 145. ad 155.*

## §. III.

Argumenta P. Muniesse.

## SUMMARIUM.

*Vult nullum actum, nisi sit in re bonus, esse posse honestum, adeoque ut sit honestus, prærequiri semper judicium logicè verum, n. 281.*

*Ejus rationes, n. 282.*

*Veritas logica pendet ab objecto ut in re; non ita practica, n. 283.*

*Moralitas actus, seu bonitas, & malitia pendet à meâ cognitione, non ita esse justum, n. 284.*

*Actus respicit formalitates chimericas, n. 285.*

*Arguit, quia nemo potest consulere ignoranti homicidium esse malum, ut occidat, n. 286.*

*Retorqueo, n. 287.*

*Dico peccare consulentem, non occidentem. Cur? n. 288.*

*Deus punit, qui ponit opus in se bonum, si putetur vitium; & premiatur, qui ponit opus in se malum, putatum præceptum, n. 289.*

*Arguit, quia licet error invincibilis excuset, non tamen honestat actum, n. 290.*

*Retorqueo. Sicut ponens opus putatum peccatum, non tantum peccat existimativè, sed formaliter, ita ponens opus putatum bonum, obedit formaliter, & non tantum putativè, n. 291. 292. 293.*

*Cur actus, quo quis credit Hostiam esse consecratam, sit tantum putativè fidel Divinæ; non ita sit actus tantum putativè religionis, quo quis adorat Hostiam illam? n. 294.*

*Actus fidei Divinæ requirit revelationem in re, & non tantum putatam, quia debet esse logicè verus; ut honestas formalis virtutum moralium non pendet necessariò à materiali honestate, n. 295.*

*Explicatur id putativè, n. 296.*

*Adoratio Hostia credita invincibiliter consecrata est materialiter mala, & formaliter bona, ibid.*



*Actus sumunt suam speciem formalem ab objecto ut in mente, ibid.*

*Sibi contradicit P. Muniesia, dum negat, quod omnis actus prudentie debeat esse essentialiter verus, & simul affirmat iudicium probabile in re falsum esse prudens, n. 297. 298.*

*Si actus falsi non sunt prudentes, media pars Doctorum Ecclesia non fuit operata prudenter, n. 299.*

N. 281. **H**ic Author non tantum in *Stimulo conscientie*, sed etiam d. 24. de Grat. *scilicet* 3. n. 25. vult nullum actum esse posse honestum, & meritorium, nisi sit materialiter bonus, seu quod idem est, nisi procedat a iudicio speculativè vero; etsi autem pleraque, quæ trahit, solverim d. 6. & alibi, aliqua tamen delibanda.

N. 282. Arguit 1. quia nulla existimatio erronea facere potest, ut iudicium falsum sit formaliter verum, ex. gr. hoc iudicium, *mendacium est bonum*; ergo neque ut volitio mendacii materialiter mala sit formaliter bona. Confirmat 1. quia iudicium de propriâ iustitiâ non facit hominem formaliter iustum; ergo neque iudicium de honestate faciet volitionem mendacii formaliter honestam. Confirmat 2. quia invincibilis error de mendacii bonitate non tollit quominus volitio ab illo regulata sit volitio mendacii cogniti ut talis; ergo neque tollit quominus sit intrinsecè formaliter mala. Confirmat 3. quia alias si quis ex errore putaret, quod mentiri sit simul bonum, & malum, volitio mentiendi esset simul formaliter bona, & mala; & si quis putaret peccatum esse infinite malitiæ, ejus peccatum esset infinite malitiæ: ergo per iudicia erronea actus sit tantum putativè, non formaliter bonus.

N. 283. Sed contra: Vel arguens loquitur de vero practico, & tunc nego antecedens; qui enim ex invincibili errore iudicat mendacium esse nunc à Deo præceptum, habet iudicium practicè verum, seu conforme regulis morum reflexis, dictantibus sequendum iudicium sine culpâ erroneum: vel de vero speculativo, & tunc concedo antecedens; nam veritas logica non pendet à purâ cognitione nostrâ, sed à conformitate illius cum objecto ut est in re; & nego consequentiam.

N. 284. Ad 1. confirm. dixi d. 6. quod moralitas actus, seu bonitas, & malitia pendeat à nostrâ cognitione; non ita esse iustum, doctum, &c. immò siquid probant paritates, probant, quod volitio objecti in se boni, aut indifferentis, crediti tamen ex invincibili errore vetiti, non erit formaliter mala: ut enim iudicium erroneum de propriâ iustitiâ

non facit iustum; & de malitia infinitâ peccati non facit malitiam peccati infinitam; ita iudicium erroneum proponens ut vetitum, quod non est tale, non faciet volitionem ejus objecti cogniti ut vetiti esse formaliter malam. Sanè miror paritates tam diffitas; quantum enim moralitas actuum, quæ pendet ab objecto ut est in mente, distat à naturâ physicâ rerum, quibus nostrum iudicium nihil favet, tantum ad rem non faciunt; & siquid probant, probant invincibilem ignorantiam non excusare: ut enim invincibilis ignorantia de statu gratiæ non facit hominem esse, aut non esse in statu gratiæ; ita invincibilis ignorantia peccati nec accusabit, nec excusabit hominem.

Ad 2. dico esse volitionem mendacii cogniti quidem aliàs ut vetiti; hæc & nunc ut præcepti.

Ad 3. patet ex d. 6. ubi dixi, quod actus non respuat formalitates chimæricas.

Dices: Nemo prudens potest sine peccato consulere homini ignoranti malitiam objecti, idem objectum; ex. gr. ebrio, aut furioso homicidium; vel putanti mendacium licere, consulere non potest mendacium, etsi nullus eorum ea objecta cognoscat ut mala; ergo quia eorum volitio non est formaliter bona, sed manet intrinsecè mala, & turpis.

Sed contra 1. quia certum de fide est, N. adeoque etiam juxta P. Mun. quod volitio mendacii cogniti inculpabiliter ut boni, non sit formaliter mala; ergo certum est, quod error aliquid faciat: si ergo error ille tollit tunc malitiam formalem, cur tribuere non possit honestatem formalem? ut enim malitia formalis, non autem materialis, pendet à iudicio, ita honestas formalis, etsi non materialis, ab eo pendeat.

Contra 2. quia etsi ebrius occidendo, aut N. ignorans mendacium esse malum, mentiendo non peccet, peccat tamen qui ea consulit, quia consulit & vult objectum cognitum à se ut materialiter malum. At in nostro casu volitio mendacii licet sit materialiter mala, cognoscitur tamen ut formaliter bona, aut saltem ut non mala: ergo nulla paritas. Adde me valde timere similia argumenta; si enim sine peccato formali non possum ignoranti consulere mendacium, sequitur etiam, quod sine peccato formali operari non potero aliquid, quod in se est malum, etsi à me invincibiliter putetur bonum: rursus si volitio mendacii cogniti per errorem ut boni, est intrinsecè, & formaliter mala, ut vult P. Muniesia, non video, qualiter invincibilis ignorantia excuset; quod si hæc excuset



culat à peccato formali, cur non etiam addat bonitatem formalem?

N. 289. P. Mun. Omitto, quæ trahit n. 29. & 30. quomodo ea volitio mendacii esse possit supernaturalis, & Deus præmiare mentientem, furantem &c. hæc enim solvi d. 6. eaque P. Munniffa hausit ex P. Eliz. 1. p. lib. 3. qu. 4. quem laudat; nos tamen cum d. 6. impugnavimus. Addo hanc instantiam, quomodo Deus non puniat mentientem, furantem, aliosque putantes ex invincibili errore hæc, & alia non esse peccata? & quomodo Deus puniat æternò igne eum, qui ex invincibili errore opus in re non vetitum, aut leviter vetitum, putat esse à Deo graviter vetitum; immò eum, qui ex invincibili errore putans Deum vetuisse sacrum, aut sui amorem, illud audit, & hunc amat?

N. 290. P. Mun. Arguit 2. à n. 32. Ignorantia, & error invincibilis, etsi excusent à peccato, non tamen reddunt actum formaliter honestum: ergo neque opinio probabilis falsa honestabit formaliter actum: nam veritas non tantum prævalere debet errori, & ignorantia, sed etiam cuique opinioni probabilis falsæ. Nec dici potest, quod volitio mendacii ideo sit formaliter bona, quia cognoscitur ut à Deo præcepta, & sit ex intentione parendi, & placendi Deo. Contra enim est, (ait) tum quia etsi volitio placendi Deo in genere sit bona, non ramen bona est volitio placendi Deo per mendacium: quo modo etsi volitio succurrendi pauperi sit bona, non tamen volitio succurrendi huic putato pauperi, cum pauper non sit; hæc enim est tantum putativè bona: tum quia (ait num. 35.) putans mendacium invincibiliter ut à Deo præceptum, mentiendo non obediret re ipsa Deo, cum Deus hoc re ipsa non præcipiat; sed obediret existimativè, sicut penes ipsum errantem existimativè præcipit Deus.

N. 291. Sed contra 1. Ergo putans ex invincibili errore objectum in re non vetitum, esse à Deo in re vetitum, & illud exequens, non peccabit formaliter, sed existimativè: & exequens aliquid invincibiliter ignoratum ut vetitum, non excusabitur, nisi existimativè, non reverà à peccato formali: nam in illo casu, non datur lex Dei vetans illud objectum; in altero casu non datur lex Dei permittens, quin datur lex Dei vetans illud objectum: sed hæc omnia salvà fide non subsistunt: ergo neque dici potest, quod mentiens ex invincibili errore, quod Deus præceperit mendacium, & volens illud ex intentione obediendi Deo, obediatur tantum existimativè. Ut enim peccat formaliter, qui ponit opus à Deo vetitum, cum tamen

vetitum non sit; & inobedit non tantum existimativè; sed formaliter inobedit, qui tale opus ponit; ita in casu nostro.

Contra 2. quia in hæc impingunt qui uni- N. cè in Deo legem directam considerant, non autem reflexam, seu quam Deus habet, supposito invincibili nostro errore; ergo non tantum obedit, aut inobedit existimativè, sed verè; nam reverà datur in Deo lex jubens mendacium, posito errore nostro de mendacio, ut à Deo præcepto; & reverà datur in Deo lex vetans sub gravi verbum otiosum, posito errore nostro de verbo otioso ut graviter vetito à Deo.

Contra 3. quia cur volitio placendi Deo N. per mendacium non sit formaliter bona; & 293. non tantum, non sit formaliter mala; sicut volitio displicendi Deo per opus falso putatum à Deo vetitum, non tantum non est formaliter bona, sed est formaliter mala? Sanè hæc omnia procedunt ex eo quia supponunt, quod sola veritas speculativa honestet actionem; quod falsus impugnatum est tum ratione, tum abturdus, tum Sanctorum exemplis, & autoritate; media enim pars Ecclesiæ Doctorem, & Sanctorum, stantibus totidem sibi contradicentibus, nihil per intentionem operum particularium, sed tantum per intentionem generalem placendi Deo in genere meruissent; quia media pars non est secuta veritatem speculativam. Prætereò reliqua, in quibus nihil plus, quam in solutis.

Dices: Actus, quo quis in Hostiâ putatâ N. ex invincibili errore consecratâ credit esse 294. Deum, est tantum actus fidei existimativè, sicut etiam actus adorationis, & religionis; & sicut actus, quo quis hominem veneratur, quem credit patrem, & non est, est tantum actus pietatis putativè; ergo idem in casu nostro.

Sed contra 1. quia paritas fidei Divinæ N. non est ad rem; hæc enim implicat, nisi de- 295. tur veritas speculativa, & non pendet à revelatione ut est in mente, seu putatâ, sed ut est in re: ergo si ille actus non sit logicè verus, etsi putetur esse, non erit formaliter, sed putativè tantum actus fidei Divinæ supernaturalis. At in virtutibus moralibus earum honestas formalis non pendet ab honestate materiali; & ideo, qui pauperi putato dat eleemosynam, elicit actum formalem eleemosynæ.

Contra 2. quia vel tò putativè significat, N. quod illi actus adorationis, religionis, pie- 296. tatis, non habeant suum objectum materiale in re, & hoc concedo; vel significat, quod quia eà bonitate materiali carent, non sint



sint actus formaliter honesti? & hoc nego. Ut enim dari potest actus materialiter malus, qui non sit formaliter malus, quale est opus in re vetitum, putatum tamen ex invincibili errore non vetitum: rursus ut dari potest actus formaliter malus, qui non sit materialiter malus; qualis est omnis actus circa objectum putatum vetitum, cum tamen non sit in re vetitum: ita dari potest actus formaliter bonus, etsi materialiter non sit bonus, immo malus, ut est ex. gr. mendacium putatum ut praeceptum; vel actus adorationis, & religionis circa Hostiam putatam invincibiliter consecratam, cum tamen talis non sit: illi enim actus in re sunt materialiter mali, & species Idololatriæ; adhuc tamen sunt formaliter honesti, quia tendunt in eam Hostiam ut consecratam ex fine adorandi ibi Christum D. & sic ea adoratio relativè ad objectum materiale est falsa; & est tantum putativè adoratio; relativè ad objectum formale est vera, & est formaliter adoratio Hostiæ, quæ ut est in mente putatur consecrata, & continens Deum. Sæpe enim dixi, quod actus specificentur, seu speciei honestatis, aut malitiæ formalis fumant ab objecto ut est in mente, non ut est in re.

N. Arguit 3. *stim.* 2. n. 59. necesse non esse, ut actus prudentiæ sint essentialiter veri, 297.  
P. Mun. adeoque si actus incertus sit verus, erit positivè prudens, & elicitus à prudentiâ; si falsus, non erit positivè prudens, quia deest veritas necessaria ad virtutem intellectus; sed negativè, seu non imprudens, quia deest temeritas necessaria ad positivam imprudentiam.

N. Sed contra 1. quia ego insinuavi omnem actum à prudentiâ elicited esse speculativè verum; & adhuc toto hoc dato, nil contra nos. Ego tantum peto, ut hoc ipsum mihi probet P. Muncie, quod omnis actus elicited à prudentiâ esse debeat speculativè verus; ex eo enim quod prudentia sit virtus, non sequitur, quod omnes ejus actus elicited esse debeant logicè veri; satis ut practicè veri, cum prudentia sit virtus intellectus practici.

N. Contra 2. quia sibi contradicit, dum negat, quod omnis actus prudentiæ esse debeat essentialiter verus; & simul affirmat, quod judicium probabilius, si sit falsum, non sit positivè prudens. Rursus implicat dicere, quod nullus actus falsus sit positivè prudens; & deinde negare veritatem tamquam essentialem actibus prudentiæ. Demum si nullus actus falsus est positivè prudens, eo saltem modo quo esse possunt actus

imperati, media pars Doctorum Ecclesiæ caruit prudentiâ positivâ, & ad summum operata est non imprudenter; & altera tantum pars operata est positivè prudenter. Quis autem dicit quod vel S. Thomas, vel D. Bonaventura, dum sibi contradixerunt, non discurrerit prudenter positivè, sed unus tantum positivè prudenter, alter tantum non imprudenter discurrerit, & operatus sit?

## §. IV.

*Præcipuum Tutoristarum non Rigidorum argumentum prostrictâ veritatis speculative certitudine morali, & solutio Probabilioristarum.*

## SUMMARIUM.

*Tutorista Rigidi, & Non-Rigidi, qui? & eorum discrimen? n. 300.*

*Differentia à Probabilioristis, n. 301. 302.*

*Probabiliorista non nisi voce tenuis differant à Certitudinistis, n. 303.*

*P. Thyrsus ait, ad moralem certitudinem sui motivum clarè præeminens opposito, ibid.*

*Præcipuum Certitudinistarum argumentum, n. 304.*

*Responsio Probabilioristarum, vel non satisfactio Certitudinistis: vel evertit Probabilioristarum principia, n. 305. 306.*

*Idem exigunt Probabiliorista, & Certitudinista, n. 307.*

*Rejicio aliud discrimen inter eosdem, n. 308.*

*Ostendo Probabilioristas solâ voce à Certitudinistis differre, n. 310.*

*Si differunt, debent Probabiliorista respondere, qualiter sequens probabiliorum non possit prudenter formidare de peccato, n. 311.*

*Probabiliorista nequeunt, nisi utantur nostris principiis, satisfacere Certitudinistis obligationibus ad tutiorem, nisi minus tuta sit moraliter certa, n. 312.*

*Non est facile dicere, in quo Probabiliorista à Tutoristis Non-Rigidis differant, n. 313.*

**D**istinxit sæpe Tutoristas in Rigidos, & Non Rigidos. Rigidi obligant ad tutiorem, nisi veritas minus tutæ opinionis sit evidens, adeo ut negent licitum sequi minus tutam, etsi probabilissimam, & moraliter certam; & hi non sunt Catholici. Contra non Rigidos docent, licitum sequi minus tutam, etsi non sit evidens, dummodo sit moraliter certa; & hi Catholici sunt.

Similiter sæpe dedi discrimen inter Tutoristas Catholicos, seu non Rigidos, & Probabilioristas; nempe quod si adsit duplex opinio, una tutior, & verè probabili-



lis; altera minus tuta, & longè probabilior, Probabilioritas non obligant ad tutiorem probabilem, sed utrumque licitum asserunt, scilicet, quod sequi liceat tum tutiorem probabilem, tum minus tutam longè probabiliorē: contra Tutoristā non-Rigidi obligant ad tutiorem probabilem; ita ut sequi non liceat minus tutam longè probabiliorē, nisi minus tuta fiat moraliter certa. Tandem sepe innuit, quod inter DD. Catholicos non tantum dantur Anti-Probabilistae, qui sunt Probabilioristae; quales sunt Candelid. P. Thyri. M. Gon. P. Mon. P. Scild. M. Mar. de Prado. Palanc. non liceat minus tutam longè probabiliorē, nisi minus tuta fiat moraliter certa. En argumentum Tutoristarum non-Rigidorum, (de his enim hic unice loquor) 304. quod à Fagnano, & Riccio ut insolubile celebratur. Qui ponit actionem cum prudenti scrupulo de non licentiā actionis, peccat, ut constat ex iure; & ex ratione, vetantibus, ne quis prudenti periculo peccati se exponat: sed sequens minus tutam unice probabiliorē, non autem moraliter certam de licentiā, ponit actionem cum prudenti scrupulo, suspicione, dubio, aut credulitate, de non licentiā actionis; ergo eam ponens peccat; ergo ne peccet, debet opinio minus tuta esse operanti, strictè moraliter certa.

Quamvis autem alicui facile patere possit Probabilioritas differre à Tutoristis non-Rigidis, vel ex eo quia citati DD. se mutuo impugnant; vel ex eo quia Tutoristae non-Rigidi negant, licitum sequi minus tutam, nisi sit moraliter certa; contra Probabilioristae affirmant, licitum sequi minus tutam, dummodo sit longè probabilior; revera tamen, quod alicui facile patere potest, mihi utrorumque Doctorum doctrinam consideranti, hoc difficulter constat.

Primo, quia arbitror plurimū hic misceri de voce; & quod Probabilioristae vocant notabilem probabilioritatem, sit certitudo moralis; & quod Tutoristae non-Rigidi vocant certitudinem moralem, sit purè excedens probabilioritas. Secundo, quia si libremus argumenta, quae Probabilioristae pro se in Probabilistis armant, videbitur, quod notabilis probabilioritas sit revera stricta certitudo moralis; nam dicunt, quod, stante maiori longè probabilitate, tollatur omnis gravis probabilitas ab opinione opposita minus probabili: audiat unus, qui mihi instar est plurimorum, & quo nemo Probabilioritatis causam praestantiùs egit, nempe P. D. Thyri. diff. 10. n. 113. ubi haec habet: *Ad moralem certitudinem satis est, quod ob motiva vehementia, & clarè praeminentia morivis partis oppositae sibi quis per suadere rem esse honestam: ergo dum Probabilioristae docent, licitum sequi minus tutam, si tamen sit clarè, & notabiliter probabilior, non docent, nisi quod Tutoristae Catholici, seu non-Rigidi, nempe licitum sequi minus tutam, si tamen sit moraliter certa. Tertiò, si ponderentur responsiones, quas Probabilioristae dant argumentis Tutoristarum non-*

Rigidorum, apparebit, vel quod illis non satisfaciunt, si sibi non contradicunt; vel quod sibi contradicant, si illis satisfaciunt. Ut autem res tota exemplo illustrior fiat, produco praecipuum Tutoristarum Catholicorum, seu non-Rigidorum argumentum, pro non licito usu minus tuta, nisi sit moraliter certa de veritate speculativa; & responsionem Probabilioristarum.

En argumentum Tutoristarum non-Rigidorum, (de his enim hic unice loquor) 304. quod à Fagnano, & Riccio ut insolubile celebratur. Qui ponit actionem cum prudenti scrupulo de non licentiā actionis, peccat, ut constat ex iure; & ex ratione, vetantibus, ne quis prudenti periculo peccati se exponat: sed sequens minus tutam unice probabiliorē, non autem moraliter certam de licentiā, ponit actionem cum prudenti scrupulo, suspicione, dubio, aut credulitate, de non licentiā actionis; ergo eam ponens peccat; ergo ne peccet, debet opinio minus tuta esse operanti, strictè moraliter certa.

Respondent Probabilioristae, quod sequens minus tutam longè probabiliorē non operetur cum prudenti dubio, aut scrupulo non licentiā, quia ille scrupulus, aut dubium, aut suspicio sunt imprudentia, hoc ipso quod pro minus tuta derur motivum notabiliter probabilius, cui operans nititur; etsi non operetur cum omnimodā certitudine morali de veritate minus tuta.

Sed haec Probabilioristarum responsio, vel non satisfacit Tutoristis Catholicis; vel si illis satisfacit, contradicit doctrinæ Probabilioristarum: vel enim tutor, stante minus tuta longè probabiliori, manet certò probabilis, vel non? Si non manet, ergo ea minus tuta sit, & est moraliter certa; nam certitudini morali strictae, non autem purae probabilitati, juxta Tutoristas non-Rigidos, convenit omnem gravem ab opposita excludere probabilitatem: ergo si Probabilioristae hoc dicant, non satisfaciunt Tutoristis non-Rigidis, à quibus testantur se recedere; quin idem dicunt, etsi aliis verbis, ac Tutoristae non-Rigidi. Si verò Probabilioristae respondeant, quod tutor, stante minus tuta longè probabiliori, maneat certò probabilis; fateor, quod tunc recedunt à Tutoristis Catholicis; at simul sibi contradicent, cum per illos omnis notoria probabilioritas tollat ab opposita omnem gravem probabilitatem. Rursus fateor, quod Probabilioristae tunc declarare debent, qualiter sequens minus tutam notabiliter probabiliorē, stante tutiori verè probabili, non peccet; nam scrupulus, aut suspicio de non licentiā



licentiā erunt tunc prudentia: ergo vel Probabilioristæ non satisfaciunt Tutoristis Catholicis, vel sibi contradicunt.

N.

307.

Dices 1. Probabilioritas differre à Tutoristis non-Rigidis, quia isti omnimodam de licentiā certitudinem moralem requirunt; non ita Probabilioristæ. Sed contra; quia Tutoristæ non-Rigidi sunt Catholicis; ergo dum requirunt omnimodam certitudinem moralem, non requirunt evidentiam de veritate minùs tutā; alias Catholicis non essent: & ideo optimè P.D. Thyrsus *disf.* 10. *num.* 93. liberat Caietanum à damnatā, quod Probabilissima non sit satis; quia Caietanus unicè requirit certitudinem moralem ut distinctam ab evidentia morali; ergo differentia allata est nulla; quia per omnimodam certitudinem, non venit apud Tutoristas non-Rigidos evidentia, excludens etiam imprudentem oppositi formidinem, sic enim Catholicis non essent; sed venit stricta, & pura certitudo moralis excludens unicè prudentem oppositi formidinem: stricta, quatenus non est probabilioritas stans cum probabilitate oppositi; pura, quatenus non est evidentia moralis: sed hæc ipsa tanta Probabilioritas; quæ excludat omnem ab opposito prudentem probabilitatem, & formidinem, exigitur à Probabilioristis, ut quis licet sequatur minùs tutam: ergo idem exigunt Probabilioristæ, ac Tutoristæ non-Rigidi; ergo nullum inter utroque discrimen.

N.

308.

Dices 2. discrimen esse, quod Tutoristæ Catholicis exigunt certitudinem moralem de veritate speculativā opinionis; at Probabilioristæ certitudinem moralem de veritate practicā opinionis. Sed contra; quia recurrit argumentum: vel enim clara probabilioritas de veritate speculativā opinionis minùs tutæ, quam ad licitum minùs tutæ usum exigunt Probabilioristæ, tollit omnem prudentem à tutori probabilitatem de ejus veritate speculativā, & sic est certitudo moralis, & nullum erit inter Probabilioristas, & Tutoristas Catholicos discrimen; vel non tollit omnem prudentem de veritate speculativā opinionis tutoris probabilitatem? & sic explicandum erit à Probabilioristis, qualiter sequens minùs tutam, etsi probabilior, de veritate speculativā ejusdem opinionis minùs tutæ, stante gravi probabilitate de veritate speculativā opinionis tutoris, non peccet; nam exponit se periculo prudenti violandi materialiter saltem Dei legem, sequendo minùs tutam, etsi probabilior.

N.

310.

Hinc mihi patet 1. quod Probabilioristæ, vel non differant, nisi voce tenus, à Tutoristis Catholicis, seu non-Rigidis, quos tamen impugnant: hi enim stantem inter duas opiniones, unam tutiorem, minùs, verè tamen probabilem; & alteram minùs tutam longè probabilior, obligant, ut quis sequatur tutiorem, dummodo probabilem; ita ut non liceat sequi minùs tutam, etsi longè probabilior: illi autem ab hoc deobligant, quin licitum asserunt, sequi minùs tutam, dummodo longè probabilior: vel si Probabilioristæ revera differant à Tutoristis Catholicis, explicandum ab illis est illud idem, quod Probabilioristæ à Probabilistis explicandum petunt, proportionem servatā: ut enim à nobis petunt, quomodo sequens minùs tutam, minùs probabilem, stante oppositi tutiori, & probabiliori, non peccet, nam potest prudentius formidare de non licentiā; ita ego, & Tutoristæ, petimus à Probabilioristis, qualiter sequens minùs tutam longè probabilior, stante tutiori, certò tamen probabili, de non licentiā, non peccet, nam potest prudenter formidare de licentiā. Si responderint, non posse prudenter tunc formidari de non licentiā, quatenus notabilis probabilioritas pro licentiā facit, ne formido de non licentiā sit prudens; si hoc, inquam, Probabilioristæ responderint, eo ipso Probabilioristæ sicut Tutoristæ Catholicis, seu non-Rigidi, quatenus concedunt notabili probabilioritati totum ipsum, quod convenit soli certitudini morali.

Patet 2. Probabilioristas satisfacere non posse Tutoristis Catholicis obligantibus 311. semper ad opinionem tutiorem, dummodo probabilem, & verantibus semper usum minùs tutæ, etsi longè probabilioris, nisi fiat strictè moraliter certa: patet, inquam, satisfacere non posse, nisi tueantur nostram doctrinam de divisione certitudinis, in certitudinem de veritate speculativā, & in certitudinem de veritate practicā: ita ut omnis opinio certò probabilior, aut certò probabilis, sit intrinsece certa moraliter de veritate practicā; etsi non sit certa moraliter de veritate speculativā sui cum objecto, ut est in re. Hinc sequens minùs tutam longè probabilior, immò certò, etsi minùs, probabilem non peccat, quia nullatenus potest prudenter formidare de veritate practicā opinionis, etsi prudenter formidet de veritate speculativā opinionis, ut sæpe dixi, & dicam.

Patet 3. non esse adeo facile assequi qualiter Probabilioristæ differant à Tutoristis Catholicis, tum quia notoria probabilioritas est certitudo moralis, cum expellat prudentem oppositi probabilitatem; tum quia hoc ipso quod Probabilioristæ, ut minùs tutam velint



velint necessariam probabilioritatem de speculativâ veritate opinionis minus tutæ, volunt quod Tutoritâ Catholici, cum differentia, quod isti hanc vocent certitudinem moralem, illi probabilioritatem; utriusque tamen conveniunt in re, quod utraque excludat à tutiori omnem prudentem probabilioritatem de ejus veritate speculativâ. Hinc colligo, quod certitudo moralis necessaria ad operandum debet esse de veritate practicâ.

## S E C T I O VIII.

*An omnis opinio certò probabilis practicè, subje-  
ctivè sumpta, sit per se ipsam judicium mora-  
liter certum de non peccato formali,  
& de honestate formali actus?*

## §. I.

*Conclusio.*

## S U M M A R I U M.

Dico, quod omnis opinio certò practicè proba-  
bilis sit per se ipsam intransitive judicium mora-  
liter certum de non peccato formali, id est, cer-  
tum certitudine prudentis ad non peccatum  
formale, & ad honestatem formalem adhesio-  
nis, n. 314.

DD. nobis faventes, à n. 315. ad 324.

S. Anton. ex S. Thom. Arist. & Gersono probat  
solam moralem certitudinem necessariam, &  
hanc consurgere ex probabilibus conjecturis,  
n. 316.

Alij DD. n. 317. 318.

M. de Prado ait, quod cum prudenti probabili-  
tate peccati materialis stet certitudo de non  
peccato formali, n. 318.

Idem alij, ib.

Caram. ait, quod in omni opinione probabili de-  
tur certitudo honestatis formalis, & incerti-  
tudo honestatis materialis, n. 319.

P. Suar. ait esse dogma Theologorum unum-  
quemque operari posse juxta suam opinionem  
probabilem; & in moralibus satis esse judi-  
cium probabile, ib.

Alij DD. sentientes opinioni probabili inesse cer-  
titudinem, n. 320.

P. D. Thyrsus exponit certitudinem moralem, ib.

M. Bayo ait, veritatem practicam esse probabili-  
bus contentam, n. 321.

Cavet. ait probabile esse moraliter certum, ib.

M. Mercorus, idem esse certum in moralibus, ac  
verosimile, n. 322.

Ejusdem rationes ex S. Thom. & Arist. ib.

Contradictiones ejusdem, n. 323.

Nostre conclusionis rationes, à n. 324. ad 327.

Quia omnis certò probabilis est judicium pru-  
dens, adeoque pugnat cum peccato formali,  
& hujus formidine, n. 324.

*Quia implicat, ut prudenter operans peccet for-  
maliter, n. 325.*

*Quia judicium prudens est indefectibiliter ve-  
rum de honestate formali adeoque certum, n.  
326. 327.*

U Nica conclusio: Omnis opinio certò N.  
probabilis practicè est per se ipsam 314.  
formaliter, & intransitive judicium morali-  
ter certum de non peccato formali, seu cer-  
tum certitudine prudentis ad non peccatum  
formale, aut ad honestatem formalem adhe-  
sionis; & impossibilis cum peccato formali,  
aut formali inhonestate connexionis.

In hanc conclusionem veniunt, quos dedi N.  
sect. 1. §. 2. eo enim ipso quod Doctores ibi 315.  
citati n. 9. dicunt satis esse ad fine peccato,  
aut honestè operandum, judicium certò pro-  
babile de non peccato, aut de honestate ope-  
ris, eo ipso per probabile intelligunt non evi-  
dens, non autem non certum, nam omnes T. F.  
ut dixi sect. 4. conveniunt in hoc, quod ad  
fine peccato operandum, necessarium sit ju-  
dicium certum de non peccato; ergo per tò  
probabile unice excludunt evidentiam, &  
certitudinem veritatis speculativæ, non au-  
tem certitudinem moralem veritatis practi-  
cæ, seu compossibilem cum imprudenti pec-  
cati formalis formidine, & repugnantem  
cum prudenti peccati formalis formidine.

Similiter veniunt Arist. S. Thom. & S. N.  
Antoninus, qui ex Arist. & Gersono 1. p. tit. 316.  
3. cap. 10. §. 10. circa finem hæc habet: No-  
randum secundum Cancellarium, quod certitu-  
do, quæ requiritur in materia morali, non est cer-  
tutudo evidentia, sed probabilis conjectura: &  
postquam tres certitudinis species numera-  
vit, subdit: Tertia certitudo, scilicet mora-  
lis, seu civilis, tangitur in principio Ethic.  
ubi dicitur, quod disciplina est in unâqua-  
que re certitudinem querere juxta exigen-  
tiam materiæ; æquè enim vitiosum est per-  
suadentem querere Mathematicum, & mo-  
ralem demonstrantem; non enim confurgit  
certitudo moralis ex evidentia demonstra-  
tionis, sed ex probabilibus conjecturis gros-  
sis, & figuralibus, magis ad unam partem,  
quàm ad aliam se habentibus: dicitur autem  
probabile, quod pluribus, & maxime sapi-  
entibus apparet verum. Hæc D. Antoninus,  
qui eo ipso quod dicit aliquam in humanis  
actibus dari certitudinem juxta exigentiam  
materiæ, eo ipso concedit illis inesse certitu-  
dinem moralem, nam maiorem negat esse  
materiæ morali necessariam.

Veniunt quoque, quos dedi sect. 6. §. 2. N.  
nempe qui volunt omnem prudentiæ actum 317.  
esse certum certitudine conformitatis sui, &  
objecti



objectū cum regulis morum, quæ est certitudo moralis de veritate practicā, seu certitudo prudentis ad non peccatum adhesionis, & impossibilis cum peccato connexionis.

N. Apertissimè tamen stant pro meā conclusionē M. Mart. de Prado tom. 1. cap. 1. qu. 4.

M. Mar. §. 3. n. 12. dicens: Inter duas opiniones æquæ probabiles licet eligere minus tutam, nam qui unam eligit, habet certitudinem moralem, quod rectè operetur. Et tom. de Pœnit. qu. 84. dub. 4. de Peccatis dubis, circa finem ait:

Qui habet opinionem, format iudicium certum practicè, quod hic, & nunc non peccet, sicut in omni casu, quo sequitur opinionem probabilem, quia licet sit speculativè probabile, quod hoc facere sit peccatum, in praxi est certum, quod prudenter eligitur ut tutum, quod est rectum solum probabiliter.

Hæc M. de Prado. Ecce cum prudenti speculativè probabilitate de peccato stat certitudo de non peccato; id est, cum prudenti probabilitate, & formidine de peccato materiali stat certitudo de non peccato formali, ut dixi sect. 5. Idem docet M. Alvarez 1. 2. d. 89. art. 3. ad 4. ubi ait: Sufficit, quod homo operetur per cognitionem certam practicè, quæ habetur per opinionem practicè probabilem.

M. Alv. M. Arauxo in decis. mor. de Statu civili d. 3. n. 16. assert. 9. loquens de sequente opinionem probabilem ait: Iste est sibi certus moraliter, cum in moralibus sufficiat certitudo moralis ex probabilibus orta. M. Nider ait:

Probabilis certitudo sufficit in moralibus, ut

M. Arau lem. M. Arauxo in decis. mor. de Statu civili d. 3. n. 16. assert. 9. loquens de sequente opinionem probabilem ait: Iste est sibi certus moraliter, cum in moralibus sufficiat certitudo moralis ex probabilibus orta. M. Nider ait:

Probabilis certitudo sufficit in moralibus, ut

M. Nid. quis non se exponat periculo. M. Tapia tom. 2. lib. 4. de Prudentiā qu. 1. art. 7. n. 4. ait, loquens de iudicio prudentiā falso: Illud iudicium, quod fuit speculativè falsum, erat moraliter, & practicè verum, ac certum, & sufficiens regulare actionem rectam virtutis castitatis. Nota autem tō sufficiens.

M. Tap. N. Accedunt Angelus de Clavaſio Minorita, 319. vir suis temporibus doctissimus in Summā, quæ ab ejus nomine dicitur Angelica, verb.

Angel. Opinio; hic enim ut textum juris ex S. Aug. desumptum, Tene certum, dimitte incertum, solveret, utitur verbis Philosophi dicentis, quod alia sit certitudo in moralibus, alia in naturalibus; non enim exurgit certitudo moralis ex evidentiā demonstrationis, sed ex

conjecturis. Caram. in Apolog. epist. 3. n. 104. ait: Certitudo honestatis est duplex, formalis videlicet, & objectiva; in omni opinione probabili requiritur certitudo honestatis formalis, & incertitudo honestatis materialis, seu objectivæ; & probat hoc modo: In hac propositione, Deipara est sine labe concepta, & est actus, & est objectū;

objectū est probabiliter verum, & consonum Scripturæ; non enim est certo verum, ergo est tantum probabiliter honestum: actus autem non est probabiliter tantum, sed certo honestus; quamobrem non tantum qui cum esse malum, sed qui dubitaret, an sit bonus, damnatur ab Alex. VII. Hæc Caram. P. 1. Suar. tom. 4. in 3. p. d. 6. sect. 9. num. 5. ait: In moralibus licitum est uti opinione probabilī, nam qui illā utitur, moraliter certus est practicè se non peccare. Et tom. 5. in 3. p. d. 4. sect. 6. n. 6. ait esse dogma Theologorum, unumquemque operari posse juxta suam opinionem probabilem: & lib. 6. de Leg. cap. 8. n. 6. ait: Iudicium probabile in rebus moralibus sufficit ad prudenter operandum. Nota autem tō sufficit.

Idem sentiunt P. de la Fuente disp. 4. in N. 57. ubi ait, certitudinem moralem subire varios gradus; subdens, quod certitudo moralis probabilitatis de opinione non debet esse illa exacta, sed satis esse minus exactam, ut prudenter operemur; & ideo testimonium matris satis est, ut credam, & venerer hunc hominem tamquam meum patrem, ait S. D. Aug. ab eo citatus lib. de util. credendi cap. 12. ergo satis est certa probabilitas ipsi opinioni probabili inserta. P. Sanch. lib. 6. Sum. cap. 3. expresse ait: Cum omnimoda certitudo de rebus moralibus haberi nequeat, ad eam Deus non obligat, sed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. M. Sylvest. verb. opinio, ubi querit, an Discipuli suorum Magistrorum opiniones sequi possint, & sibi obicit axioma ex jure Canonico, Tenendum certum, & dimittendum incertum, respondet, quod sequens opinionem probabilem sui Magistri, teneat certum sibi moraliter, cum in moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus secundum Philosophum. P. D. Thyrsus diss. 10. n. 2. 87. ubi ait: Opinioni non repugnat certitudo moralis, sed tantum omnimoda certitudo, & evidentiā. Definit autem certitudinem moralem: Est certitudo secundum quid fundata in magnā verisimilitudine, in qua non apparet infallibilis connexio cum veritate. Palanco qu. 33. & 34. in 2. n. 27. ait: In Palanco opinione probabili subjective exercitā invenitur certitudo moralis subjectivæ, seu certitudo probabilis. P. Eliz. qui docet quemlibet per iudicium probabile de sufficienti diligentia excusari à peccato.

Adhærent etiam M. Baro 2. p. Manuduct. N. d. 1. sect. 1. Consensus Franciscanorum pag. 221. 29. & 30. & Scrista ab eo laudatus, qui M. Baro probabile practicum ita definit: Iudicium prudens legi, fini ultimo, & recto sapientum in

objectū est probabiliter verum, & consonum Scripturæ; non enim est certo verum, ergo est tantum probabiliter honestum: actus autem non est probabiliter tantum, sed certo honestus; quamobrem non tantum qui cum esse malum, sed qui dubitaret, an sit bonus, damnatur ab Alex. VII. Hæc Caram. P. 1. Suar. tom. 4. in 3. p. d. 6. sect. 9. num. 5. ait: In moralibus licitum est uti opinione probabilī, nam qui illā utitur, moraliter certus est practicè se non peccare. Et tom. 5. in 3. p. d. 4. sect. 6. n. 6. ait esse dogma Theologorum, unumquemque operari posse juxta suam opinionem probabilem: & lib. 6. de Leg. cap. 8. n. 6. ait: Iudicium probabile in rebus moralibus sufficit ad prudenter operandum. Nota autem tō sufficit.

Idem sentiunt P. de la Fuente disp. 4. in N. 57. ubi ait, certitudinem moralem subire

varios gradus; subdens, quod certitudo moralis probabilitatis de opinione non debet

esse illa exacta, sed satis esse minus exactam, ut prudenter operemur; & ideo testimonium

matris satis est, ut credam, & venerer hunc hominem tamquam meum patrem, ait S. D. Aug.

ab eo citatus lib. de util. credendi cap. 12. ergo satis est certa probabilitas ipsi

opinionī probabili inserta. P. Sanch. lib. 6. Sum. cap. 3. expresse ait: Cum omnimoda certitudo

de rebus moralibus haberi nequeat, ad eam Deus non obligat, sed ad operandum

cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. M. Sylvest. verb. opinio,

ubi querit, an Discipuli suorum Magistrorum opiniones sequi possint, & sibi obicit

axioma ex jure Canonico, Tenendum certum, & dimittendum incertum, respondet, quod

sequens opinionem probabilem sui Magistri, teneat certum sibi moraliter, cum in

moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus secundum Philosophum. P. D. Thyrsus diss. 10. n. 2.

87. ubi ait: Opinioni non repugnat certitudo moralis, sed tantum omnimoda certitudo,

& evidentiā. Definit autem certitudinem moralem: Est certitudo secundum quid

fundata in magnā verisimilitudine, in qua non apparet infallibilis connexio cum

veritate. Palanco qu. 33. & 34. in 2. n. 27. ait: In Palanco opinione probabili subjective exercitā

invenitur certitudo moralis subjectivæ, seu certitudo probabilis. P. Eliz. qui docet quemlibet

per iudicium probabile de sufficienti diligentia excusari à peccato.

Adhærent etiam M. Baro 2. p. Manuduct. N. d. 1. sect. 1. Consensus Franciscanorum pag. 221.

29. & 30. & Scrista ab eo laudatus, qui M. Baro probabile practicum ita definit: Iudicium

prudens legi, fini ultimo, & recto sapientum in



in illum appetitui conforme, quod formidinem sibi adjunctam nihil moretur; nec impediatur certam destinationem; & directionem boni operis, quare illam formidinem dicit simplicem esse, non firmam dubitationem; & ad intellectum speculativum pertinere, quia non impellit ad operationem.

Hæc M. Baro ex Scotistâ. Rursus 4. p. Manuduc. pag. 94. ait veritatem practicam, quia dirigit voluntatem, & affectum, probabilitibus tutam, & contentam. Caietanus in Sum.

verb. opinio ait: *Non enim propterea aliquid opinione tenetur, (id est, cum formidine oppositi) quia diversi DD. contraria sentiunt, quoniam cum huiusmodi contrarietate stat, quod una pars sit ratione sufficienti ad moralem certitudinem fulta: & jam non est opinio apud sapientes illam rationem, (id est, unita prudenti formidini de peccato formali) sed quia nesciunt multi discernere inter certitudinem moralem, & mathematicam, omnia quodammodo locant sub opinionibus.* Addit: Per accidens contingit nescientes discernere inter notum opinionem, & notum certâ ratione morali, errare, & excusari, credentes absque formidine alterius partis, viris probis, & doctis dicentibus, Facite sic, quia potest licitè fieri. Non enim Deus exigit ab homine plus quam conditio hominis habet, quia Divina Sapientia disponit omnia suaviter. Hæc

Caietanus. Stat etiam Philal. pag. 10. dicens: *Ut certus quis sit se non peccare, sufficere, quod sequatur probabile iudicium honestè agendi in hac, vel illâ materiâ, quia alioquin requireret Deus à nobis impossibilia; cum habere certum iudicium in particulari de omnibus eligibilibus impossibile sit, nam moralia ut plurimum non sunt demonstrabilia.* Et pag. 15. expressè ait, quod huiusmodi iudicium probabile de honestate actionis dici possit certum certitudine morali; quæ tamen minor est illa, quæ excludit formidinem. Probat hoc; quia si intellectus non est moraliter dubius, est moraliter certus: sed habens opinionem probabilem de aliquo, non est moraliter dubius; ergo est moraliter certus. Hæc Candidus; ex quo nihil pro licito minus probabilis usui clarius; & nihil contra argumenta, quæ in nos adducit ex dubio, incertitudine, & similibus deducta, nihil, inquam, robustius.

Demum M. Mercorus 1. part. art. 15. ex 322. Arist. & S. Thom. ait, certum in moralibus idem esse ac verosimile, & probabile, quod sedulo tenendum. Probat autem 1. quia Arist. 1. Ethic. cap. 1. docens modum procedendi in scientiâ morali ait: *Oportet grosse, & figuratè veritatem ostendere;* glossat S. Thomas:

Tom. III.

*Id est, verosimiliter, & probabiliter, quia probabile est, quod est simile vero: ergo cum scientia moralis procedat ex certis, consequenter certum moraliter idem est, ac verosimile, seu probabile.* Probat 2. quia Arist. in Topicis agens de syllogismo probabili, & de modo inferendi probabilitatem, supponit media inferentia probabilitatem, caulare certitudinem moralem. Probat 3. quia Arist. lib. 1. Top. cap. 1. & S. Thom. de Fallaciis cap. 2. ait, probabilia dici, quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel precipuis, vel maxime notis; sed quæ ita videntur, sunt moraliter certa; ergo probabile, & moraliter certum idem est. Probat 4. quia S. Thom. lib. 1. Poster. ait: *Aliquando in processu, si non sit scientia, sit fides, vel opinio, vel probabilitas, in quibus ratio inclinat in unam partem cum formidine alterius:* ergo juxta S. Thom. fides humana, dummodo sit prudens, etsi sit juncta formidini imprudenti, facit certitudinem moralem, seu prudentialem. Hæc ferè M. Mercorus.

Combinet modo meus Lector ea, quæ ex N. M. Merc. dedi sct. 6. §. 6. cum illis, quæ hic 323. ex eodem dedi, & colliget contradictionem; nam hic asserit idem esse probabile, ac moraliter certum; ibi autem asserit nihil opinativum esse posse certum: ergo sibi contradicit. Secundò colliget, quod cum M. Mercorus 1. p. art. 8. doceat satis esse, ut iudicium prudentiæ sit moraliter certum; rursus ut constat ex verbis nunc allatis, doceat probabile esse moraliter certum; ideo iterum sibi contradicit, dum negat, quod ultimum dictamen esse possit opinativum, seu probabile, nam adhuc ut tale, erit moraliter certum. Tertiò, quod dum pag. 19. dicat, quod certitudo moralis sit certitudo simpliciter, & absque omni dubietate, iterum sibi contradicit, nam certitudo moralis non excludit imprudentem formidinem; immò contradicit Divo Thom. 1. Ethic. & 2.2. qu. 5. Thom. 60. art. 3. ad 1. neganti omnimodam certitudinem convenire materiæ morali. Quartò, quàm nulla sint ejus contra licitum usum cuiusvis opinionis certò probabilis practicæ, argumenta, ut constat ex ejus doctrinâ mox abiatâ, quæ asserit omne probabile esse moraliter certum; ergo dum negat licere sequi quamlibet probabilem, negat licere sequi quamlibet moraliter certam.

Probat 1. quia quælibet opinio certò N. probabilis practicæ est per se ipsam formaliter, & intransitive, seu ex sua formali essentia iudicium pugnans non tantum cum omni iudicio prudenti, sed etiam cum omni imprudenti iudicio peccati, etsi non pugnet cum omni imprudenti formidine peccati;

G

sed



sed omne iudicium essentialiter pugnans cum iudicio peccati est iudicium essentialiter pugnans cum omni peccato; nam implicat peccatum sine cognitione intimante peccatum: ergo omnis opinio certo probabilis practice est per suam essentiam iudicium pugnans cum omni peccato; ergo est iudicium essentialiter connexum cum non peccato, atque adeo est certum certitudine prudentis adhesionis ad non peccatum, & exclusionis omnis peccati. Maior est, juxta nos, certa ex definitione opinionis probabilis practice, quæ non est nisi iudicium prudens de non peccato; & ita est prudens, ut non tantum omne iudicium prudens, aut imprudens peccati, sed etiam omnem prudentem peccati formidinem excludat. Rursus ea maior à Probabilistis negari non potest, nam dictam definitionem admittunt. Quod si à Probabilioristis negetur, dicam contra illos, quod sicut quælibet opinio certo probabilior practice est iudicium per se ipsum formaliter pugnans cum omni prudenti, & imprudenti iudicio peccati, etsi non cum imprudenti peccati formidine; ita, per me, quælibet certo probabilis erit tale iudicium; non enim sola probabilior est prudens, etsi sit prudentior; sed quælibet certo probabilis est iudicium prudens pugnans cum omni peccato.

N. 325. Confirmo: Implicat, ut peccet, qui operatur prudenter, & cum bonâ fide non peccati, aut honestatis: sed omnis opinio certo probabilis practice est intransitive iudicium prudens, & bona fides non peccati: ergo implicat, ut eam sequens peccet; ergo eam sequens est certus exercitè certitudine prudentis adhesionis ad non peccatum, & repugnantia ad peccatum.

N. 326. Probatur 2. quia omne iudicium prudens est necessario certum: sed omnis certo probabilis est iudicium prudens: ergo omnis certo probabilis est iudicium certum. Maior probatur tum ex dictis sect. 6. & 7. quia prudentia est recta ratio agibilium; ergo est necessario, & indefectibiliter verum, sive veritate practica, quæ semper adest, sive veritate speculativa, quam etiam loquendo de actibus elicitis admisimus, & quidem gratis, cum ad præsens institutum non sit necessarium. Si ergo prudentia est necessario recta ratio agibilium, adeoque est iudicium necessario verum, eo ipso est certum, quod talis sit, nam omne quod est essenziale alicui, certo illi convenit: tum quia licet actus prudentia esse possit speculative falsus, omnis tamen est necessario practice verus: ergo certum est, quod omni actui prudentia con-

veniat veritas practica. Hinc est, quod licet plura moraliter certa sæpe sint in re falsa, omnia tamen sunt indefectibiliter vera, veritate prudentiali, & practica: ergo cum omnis opinio certo probabilis, aut probabilior, sit prudens, aut prudentior, omnis est certa certitudine veritatis practica, seu prudentiali, & implicat, ut qui ex fundamento certo gravi, aut graviori opinatur, non opinetur prudenter; etsi sæpe deficiat veritas speculativa, numquam tamen deficit practica.

Omitto plura argumenta, quibus vel Probabilistæ utrum licitum cuiusvis certo probabilioris suadent contra obligantes vel ad speculative certam, vel ad tutiorem: omnia enim probant quilibet certo probabilem, aut probabiliorē practice, esse certam certitudine prudentis adhesionis ad non peccatum, & repugnantia cum peccato; & hoc, ex essentia ipsius opinionis certo probabilis practice: ergo quilibet opinio practice probabilis est formaliter per se ipsam certa de non peccato formali, aut de honestate formali, si sit iudicium prudens honestatis formalis.

## §. II.

## Objectiones.

## SUMMARIUM.

Obiectio, quia omnis probabilis est incerta, n. 328.

Dico esse incertam de veritate speculativa, seu de honestate materiali, & certam de honestate, & non peccato formali, n. 329-330.

Si certo speculative falsum potest esse practice verum, ut constat in iudicio inculpate falsi, multo magis incerto speculative falsum poterit esse certo practice verum, ib. & n. 331.

Obiectio, quia nullum probabile potest reddere securum operantem, n. 332.

Conscientia probabilis dicitur probabilis respectu ad veritatem speculativam, etsi sit certa quoad practicam: hinc non nisi speculative, non practice, fallere potest operantem, n. 333.

Obijcies 1. ex P. Carden. tom. 3. d. 55. N. 328. & d. 56. n. 6. repugnare, ut certitudo reperiatur in ipsa opinione probabilis, aut probabiliori, cum quilibet probabilis sit essentialiter incerta: reperitur quidem ea certitudo in dictamine conscientia dictante licitum usum opinionis probabilis practice; hoc enim dictamen nititur argumentis, aut moraliter saltem evidentibus, quæ trahit cap. N. 15. 16. 17.

Sed contra 1. quia quæro quæ certitudo con-



conveniat opinioni morali moraliter certe? Non veritatis speculativæ, nam sæpe hæc non inest; ergo veritatis practicæ: sicut ergo, licet moraliter certa, sit incerta de veritate speculativâ, est tamen essentialiter certa de veritate practicâ; ita dico de quâlibet certò probabili, quòd licet sit incerta de materiali peccato, aut honestate, est tamen certa de non peccato formali, aut de honestate formali.

N. 330. *P. Card.* Contra 2. quia evidenter probavi, quòd certitudo adhesionis ad non peccatum sit formaliter intrinseca cuique opinioni certò probabili practicæ, quia quælibet est formaliter, & intransitivè iudicium prudens de non peccato formali. Quare si P. Card. distingueret duplicem certitudinem, unam speculativam, seu de conformitate logicâ opinionis cum objecto à se enuntiato; aliam practicam, seu de conformitate morali opinionis certò probabilis cum regulis prudentiæ; & de conformitate actus per eam directi, cum eadem opinione, & regulis prudentiæ; clarè pateret posse opinionem practicam certò probabilem esse incertam quoad conformitatem logicam opinionis cum objecto à se enuntiato; & esse certam quoad conformitatem moralem sui, & objecti à se enuntiati cum regulis morum: eo modo, quo conscientia invincibiliter erronea non tantum est incerta de veritate practicâ, sed est certò falsa; caret enim conformitate speculativâ cum objecto enuntiato; & simul est certa de veritate practicâ sui, & objecti; habet enim conformitatem moralem cum regulis morum, & iisdem conformatur actum directum; etenim objectum ut est in iudicio invincibiliter erroneo, videtur conforme regulis morum. Sanè si certò falsum speculativè potest esse practicè verum, ut accidit in iudicio prudenti invincibiliter erroneo; multò magis incertò falsum speculativè, poterit esse practicè verum, ut accidit in omni opinione certò probabili practicæ.

N. 331. *M. Merc.* Ad id quod addit, certitudinem reperiri in dictamine conscientie reflexo supra probabilitatem, contra est 1. quia M. Mercorus 1. p. art. 14. & omnes Anti-Probabilistæ hoc negant; dicunt enim quòd ultimum iudicium conscientie, cum sit conclusio, nequeat esse certius præmissis, immò sequitur debiliorem; ergo cum una ex præmissis sit hæc, *Licet sequi minus probabilem practicè*, hæc autem sit tantum probabilis, vel ad sum-

mum probabilior, non autem certa; eo ipso ultimum dictamen ex eâ sequens non poterit esse certum. Vide quæ dixi *sect. 2. §. 1. n. 16.* Contra 2. quia dare volo, quòd sit certum dictamen reflexum, quatenus putò certum esse certitudine saltem respectivâ, seu respectu mei, quòd liceat sequi omnem minus, certò tamen probabilem practicè, ob rationes à nobis in hunc finem allatas; hoc tamen non probat, quòd ipsa opinio certò probabilis non sit formaliter per se ipsam etiam intransitivè certa, quatenus est iudiciū essentialiter prudens, ut constat ex definitione opinionis certò probabilis practicæ; atque adeo est essentialiter connexum cum non peccato formali, & repugnans peccato formali. An autem tale iudicium reflexum sit necessarium, dicam *disp. sequ.*

Objicies 2. ex P. de la Fuente *dis. 5. n. N. 53.* quòd dictamen opinabile, adeoque fallibile non possit esse certum, & elicatum ab habitu prudentiæ, & multò minùs possit ex se formaliter reddere operantem securum de usu suo prudenti, & licito; si enim fallibile est, accidere potest, ut ipsum sequens fallatur, & dum putat se prudenter agere, imprudenter agat.

N. 332. *Fuente.* Respondeo, quòd cum hoc dictamen sit certò probabile, eo ipso est per se formaliter connexum cum non peccato formali, & est per se formaliter prudens, ut immediatè dixi. Quare dum dicitur accidere posse, ut quis imprudenter agat, dum putat se prudenter agere: dico, quòd si putet ex certo gravi fundamento, repugnare, ut tunc imprudenter agat, nisi tò imprudenter sumatur pro falsitate speculativâ. Rectè autem notat *Herincx tom. 2. d. 4. n. 15.* quòd sicut conscientia invincibiliter errans, etsi sit certa, & vera practicè, dicitur invincibiliter errans, etiam si circa proprium suum ministerium non erret; est enim certa, & vera practicè, & tenemur eam sequi; dicitur autem errans, quia est speculativè falsa: ita ego dico, quòd conscientia probabilis, cum, juxta me, sit practicè certa, quatenus conformis regulis prudentiæ, adhuc tamen ea conscientia dicitur probabilis, quia non est speculativè certa de suo objecto, in quòd tendit, seu non est certa de veritate speculativâ sui, & objecti, ita ut objectum ita sit in iudicio conscientie, sicut est in re; & ita sit in re, ut est in iudicio conscientie; quòd ipsum docet *Herincx l. c. n. 24.*



## DISPUTATIO XIX.

*De sufficientiâ conscientiæ certò probabilis practicæ, sub-  
jectivè sumptæ.*

## SUMMARIUM.

*Synopsis dictorum, n. 1.*

*An se sola satis sit opinio probabilis, an neces-  
sarium reflexum de usu opinionis probabilis ju-  
dicium? n. 2.*

N. 1.



OCUI *disp. antec.* quòd ad sine peccato formali, aut honestè formaliter operandum necessarium sit iudicium aliquod certum de non peccato formali, & de honestate formali; eam autem certitudinem non debere esse de conformitate logicâ iudicii cum suo objecto ut est in re, ita ut operans debeat esse certus, quòd objectum ita sit in re, ut est in conscientiæ iudicio; & ita sit in conscientiæ iudicio, ut est in re, asserui cum omnibus Catholicis, docendo simul cum illis, quòd satis sit, ut conscientia sit certa de practicâ conformitate iudicii cum regulis morum; & actus, & objecti cum eodem iudicio, & regulis morum. Demum asserui satis esse, ut hæc certitudo de practicâ veritate iudicii actus, & objecti cum regulis morum, sit moralis excludens omne prudens dubium, & formidinem peccati formalis. Immo asserui talem certitudinem moralem de non peccato formali, aut de honestate formali inesse formaliter, & intransitivè cuique opinioni certò probabili practicæ.

N. 2.

Videndum modò, an ad operandum sine peccato formali, aut cum honestate formali, satis sit se sola ipsa opinio certò probabilis subjectivè, ita ut hæc sit regula formalis, immediata, & proxima ipsius volitionis non peccaminosæ formaliter, aut formaliter honestæ? An verò, ut plerique Probabilistæ, M. Mar. & ex Probabilioristis M. Mart. de Prado, & P. Scild. sentiunt, necessarium sit aliud iudicium certum, & evidens reflexum, habens pro objecto operationem, ut substantem ei iudicio directo certo probabili, aut probabiliori de non peccato formali, aut de honestate formali operationis; ita ut hoc iudicium certum reflexum, & evidens sit formalis, & proxima regula volitionis; ipsa autem probabilitas, aut probabilioritas sit re-

gula objectiva, & remota? Quia verò plerique Anti-Probabilistæ iudicant, quòd sit impossibile, ut iudicium reflexum de licito usu minùs probabilis sit certum, & evidens, ideo hoc priùs examinandum; & subinde discutendum erit, an præter iudicium certò practicè probabile, aut probabilius directum de non peccato, aut honestate formali necessarium sit ad licitè operandum ipsum iudicium reflexum de licito usu opinionis probabilis, aut probabilioris, aut tutioris, tanquam ultimum conscientiæ dictamen, à quo proximè dirigatur volitio operandi.

## SECTIO I.

*An implicet, ut iudicium reflexum supra dictum usum opinionis certò probabilis practicæ subjectivè sumptæ, sit saltem moraliter certum?*

§. I.

Recolenda.

## SUMMARIUM.

*Præfens questio locum habet in omni sententia, tum Probabilistarum, tum Probabilioristarum, tum Tutioristarum, n. 3.*

*Ostendo dici non posse, quòd opinioni probabiliori infir certitudo moralis de veritate speculativa, n. 4.*

*Ostendo hanc questionem esse communem omni sententiæ; undenam sumatur certitudo non peccati requisita ad non peccandum? n. 5.*

*Iudicium probabile subjectivè, & objectivè quid? n. 6.*

*Cur plerique Probabilistæ requirant iudicium reflexum? ib.*

OCUI *disp. 18. sect. 1. §. 1.* quòd præfens N. 3. questio agitari possit in omni sententia, sive Probabilistarum, sive Probabilioristarum, sive Tutioristarum; quòd ipsum post hæc à me exarata notatum vidi à P. de la Fuente *diff. 4. à num. 52.* Hinc est, quòd non est, cur Anti-Probabilistæ contra Probabilistæ exultent: vel enim in ipsa opinione probabiliori, et si minus tutâ, certitudinem admittunt ipsi Probabilioristæ, vel non? Si admittunt, habeo intentum, quòd dari



dari debeat moralis certitudo de veritate practica, ut dixi d. 18. & mox dicam. Si non admittunt, contra est: tum quia aliqua certitudo de non peccato formali necessaria est, ut sine eo operemur, ut ferè omnes Antiqui, & Moderni sentiunt; & nefas est in re tam feri, & ad conscientiam formandam universali à communi omnium mente discedere; adeo ut vel ipsi Probabilistæ, qui iudicii reflexi necessitatem inficiantur, doceant, ut ostendi d. 18. sect. 8. ipsi opinioni minùs, certò tamen probabili inesse certitudinem moralem, non quidem de veritate speculativà ipsius opinionis cum objecto, & de naturà objecti ut est in re; sed certitudinem moralem de practica conformitate iudicii, actus, & objecti cum ipso iudicio, & regulis morum: tum quia ipsi Probabilistæ saepe dicunt, quòd probabilior sit quasi moraliter certa. Quæro modò, an hæc moralis certitudo, quam dant iudicio probabiliori, sit certitudo moralis de veritate speculativà iudicii, seu opinionis probabilioris cum objecto, ut est in se, & de naturà objecti, ut est in se? An sit certitudo moralis de veritate practica, seu conformitatis iudicii probabilioris cum regulis morum; & conformitatis actus, & objecti ut substantis tali iudicio probabiliori cum ipso iudicio probabiliori, & regulis morum?

N. 4. Si dixerint primum, rem mirabilem, & incredibilem dicent. Primò, quia omnis opinio probabilior non tantum est invidens, sed est incerta de suo objecto materiali; ergo non tantum imprudenter, sed est prudenter formidolosa de suo objecto materiali, ut est in re; nisi ostendatur, quomodo ipsum iudicium probabilius, etsi incertum, excludat, quatenus est prudens, ipsam prudentem formidinem de peccato materiali in objecto. Secundò, quia implicat certitudo moralis tam obvia, quam familiaris est inter DD. contradictio de incertà veritate speculativà utriusque contradictorii: ergo non potest utraque contradictoria, etsi una sit uni, altera sit alteri probabilior, esse una uni, altera alteri certa moraliter de veritate speculativà. Tertiò, quia si non omnis mihi probabilior est mihi vera, tum quia utraque contradictoria esset mihi diversis temporibus vera, quoties esset mihi probabilior; tum quia error invincibilis non excusaret; multò minùs quolibet probabilior erit moraliter certa de veritate speculativà objecti, & sui ipsius. Quartò, quia si, ut sine peccato formali operemur, necessaria non est veritas logica, seu ut iudicium ita sit in representando, ut est in re objectum; & objectum ita sit in re, ut

Tom. III.

est in iudicio representante; multò minùs necessaria erit opinio probabilior, quasi moraliter certa de veritate logica iudicii cum objecto ut est in re; & de objecto ut est in re, secum ipso ut est in mente. Quintò, quia mirabile est asserere, quòd insit cuicque opinioni probabiliori quasi certitudo moralis de veritate logica sui cum objecto, & de objecto ut est in re; & deinde negare, quòd opinioni probabiliori insit certitudo moralis de veritate practica, seu de non peccato formali; ergo ea quasi certitudo moralis, quam Probabilistæ dant cuicque opinioni probabiliori, non est certitudo moralis de veritate speculativà sui cum objecto ut est in re, & objecti ut est in re, secum ipso ut est in mente; aliàs malè impugnassent tum Janse-<sup>Janfen.</sup>nistas requirentes ad sine culpà formali operandum veritatem logicam; tum Fagnan-<sup>Fagnan.</sup>num, Baronum, Mercorum, & alios Catho-<sup>M. Mer.</sup>licos requirentes certitudinem moralem de eadem veritate logica; ergo est certitudo moralis de veritate practica: ergo, velint, nolint, debent Probabilistæ declarare, qualiter opinio probabiliter incerta de malitià materiali objecti sit formaliter certa de non malitià formali actus; & an hæc certitudo moralis de non peccato formali sumi possit à iudicio reflexo certo de licito usu probabilioris; ergo non est, quòd contra Probabilistas exultent. Idem dico proportiona-<sup>M. Bar.</sup>liter de Tutoriis, & paulò post patebit.

Confirmo; quia Anti-Probabilistæ ita arguunt contra Probabilistas: Nec in iudicio minùs probabili directo, nec in iudicio reflexo supra licitum usum minùs probabilis datur certitudo de non peccato, necessaria, juxta plerosque Theologos, ad sine culpà formali operandum: ergo, juxta Probabilistas, non datur certum de non peccato, & necessarium ad non formaliter peccandum dictamen. Sed tota hæc difficultas integra est in omni sententià. Vel enim requiritur certitudo de non peccato, vel non? Si non; cur exaggerant contra Reflexistas, quòd nec opinio probabilis sit certa, nec iudicium reflexum, cum certitudo non requiratur? Si requiritur, ut ferè omnes docent, contra est: vel enim ipsa opinio tutior, aut probabilior de non peccato est intransitivè, & formaliter per se ipsam certa de non peccato, vel non est? Si est; ergo etiam opinio minùs probabilis erit per se ipsam certa de non peccato. Si non est, quæro à Tutoriis, & Probabilioristis, undenam sumatur certitudo non peccati requisita ad non peccandum? Non enim inest ipsi opinioni tutiori, aut probabiliori, quo modo, juxta eos,

G. iij

non



non inest ipsi opinioni minus probabili. Si igitur dicant certitudinem non peccati oriri a iudicio reflexo, & necessario, nempe hoc, *Licetum, immo obligatorium est sequi probabiliorem, aut tutiorem*, contra est; quia hoc iudicium, *Ergo licet sequi hanc opinionem probabiliorem de licentiâ picturæ die festo*, deducitur ex hac præmissâ, *Licet sequi probabiliorem*, quæ non est certa, immo tantum abest, ut sit certa, quin & à Tutoristis, & à Probabilistis negatur ut vera; eò quia, juxta Probabilistas, tape impossibile est sequi probabiliorem; & juxta Tutoristas, numquam licitum est sequi probabiliorem minus tutam, quin tutior minus probabilis sequenda est. Multo minus est certa hæc præmissâ, *Neceste est sequi probabiliorem, aut tutiorem*; tum quia negatur a Probabilistis ut vera, tantum abest, ut sit certa; tum quia à Probabilioristis negatur necessitas sequendi tutiorem, quin asseritur licentia sequendi probabiliorem minus tutam; tum quia à Tutoristis negatur tum licentia, tum necessitas sequendi probabiliorem, omisâ tutiori minus probabili: ergo ultimum illud dictamen non est certum. Ecce igitur in omni sententiâ, five negante, five affirmante licitum opinionis minus probabilis usum, integram difficultatem. Cur igitur Tutoristæ, aut Probabilioristæ insultant Probabilistis, præsertim illis, qui opinioni probabili negant inesse certitudinem?

N. 6. Modo adverto, iudicium probabile (idem dicito de probabiliori, est enim, ut dixi, par difficultas) posse dupliciter esse in intellectu. Primò subjectivè directè; & non est nisi ipse actus opinativus, seu opinio formalis, & iudicium probabile (aut probabilius) directum de non peccato, aut honestate operationis; ex. gr. hoc, *Licet pingere die festo*; quod iudicium suppono probabile, aut probabilius. Secundò potest esse in intellectu objectivè reflexè, ex. gr. *Licet sequi opinionem minus, aut æquè probabilem* (immo probabiliorem) *de licentiâ picturæ die festo*. In quo casu iudicium probabile (aut probabilius) directum habet pro objecto *licentiâ picturæ die festo*; iudicium reflexum habet pro objecto *probabilitatem* (aut probabilitiorem) *de licentiâ picturæ die festo*. Jam verò plerique ex Probabilistis docent necessariò requiri hoc iudicium reflexum ut licitè pingam, nec satis esse illud directum, eò quia iudicium directum, inquit, est tantum probabile; ergo aliud iudicium certum reflexum de licentiâ picturæ die festo est necessarium: & consequenter docent, quod iudicium directum probabile de licentiâ pi-

cturæ die festo sit tantum regula objectiva remota conscientia, quatenus est objectum ultimi iudicii certi reflexi, quod volunt esse regulam immediatam formalem, & proximam licitæ volitionis pingendi. Porro idem dicere debent Probabilioristæ, & Tutoristæ, ut constât ex mox dictis; vel si necessitatem iudicii reflexi negent, concedere debent ipsi iudicio probabiliori, aut tutiori directo inesse certitudinem de non peccato; vel negare debent requiri iudicium moraliter certum de non peccato formali; hoc autem est contra omnes Theologos, & rationem: si enim necessarium non est iudicium moraliter certum de non peccato formali, dabitur prudens formido de peccato formali, cum quâ non licet operari.

## §. II.

## Conclusio.

## SUMMARIUM.

*Non repugnat formare iudicium certum moraliter speculative reflexum de hac veritate, Licet opinari, & operari juxta minus tutam, certo tamen probabilem prædictæ, n. 7.*

*DD. nobis oppositi, n. 8.*

*Nobis faventes, ib.*

*Dico tantum abesse, quod in solâ sententiâ Probabilioristarum formari possit distamen reflexum certum, quin in eâ non potest, in ipsâ potest, n. 10.*

*Cur? ib.*

*Litigatur obligatio, & non tantum usus probabilioris inter Probabilistas, & Probabilioristas, ib.*

*Similiter dico, tantum abesse, ut Probabilioristæ ostendere possint repugnare certum moraliter distamen de usu minus probabilis, quam stando Probabilioristarum principis, demonstrâ, quod Probabilistæ certum moraliter iudicium de usu licito minus probabilis formare possint, n. 11.*

*Denum dico, quod Probabilioristæ, nisi sui principis renuntient, & nostris manent, ostendere ad summum possint repugnantiam iudicii reflexi moraliter certi à Probabilistis admissi, n. 13.*

*Explico, n. 14.*

*Principium Probabilioristarum, quod sola probabilior sit probabilis, & quod minus non sit probabilis, ib.*

*Quod probabilior sit certa moraliter, ib.*

*Ostendo his suppositis, quod opinio Probabiliorum sit ipsis Probabilistis moraliter certa, n. 15.*

*Durum videtur negare, quod sententiâ Probabilioristarum sit probabilis, n. 16. 17. 18.*

*Reponit*



Posunt tamen hoc negare Probabilista, cur?  
n. 18.

Infirmas principiorum Probabilistarum, 19.  
Probabilista dupliciter possunt dicere propriam  
sententiam esse sibi moraliter certam, tum  
attendendo argumentis Probabilistarum, tum  
propriis, ibi.

N. 7. Non repugnat iudicium certum mora-  
liter speculative reflexum de hac veri-  
tate, Licet sequi, & opinari juxta opinionem  
minus, certo tamen probabilem practice.

N. 8. Est contra P. Eliz. lib. 3. qu. 2. M. Mercor.  
1. p. art. 14. Palanc. qu. 33. a. n. 17. P. Muniel.  
Sim. 7. §. 4. P. D. Thyrius dis. 4. n. 81. di-  
centem, quod solum in suis principis defen-  
di possit possibile, & necessarium ad recte  
operandum iudicium practicum certum, &  
evidens.

Sed est omnium Probabilistarum Refle-  
xistarum, nempe P. Suar. P. Terilli qu. 13.  
P. Moy. tom. 1. qu. 6. §. 6. & tom. 2. qu. 6. &  
P. Card. qu. 8. P. Carden. tom. 1. d. 15. art. 4. cap. 5. P.  
P. Moy. Ovied. 1. 2. contr. 1. pu. 2. Perea sect. 4. & 5.  
P. Poll. Mastrii in 2. d. 5. Raphaelis a S. Joan. P. Pol-  
lenter, & aliorum sine numero, immo P.  
Scild. & M. Mart. de Prado.

N. 9. Antequam non repugnantiam certitudi-  
nis in iudicio reflexo supra licitum minus  
probabilis usum suadeam, digressiuncula  
mihi est necessaria contra Probabilistas;  
contra quos

N. 10. Affero 1. tantum abesse, quod in sola Pro-  
babilistarum sententia formari possit di-  
ctamen reflexum certum, quin in ea non  
potest, in nostra potest.

Prima pars probatur; nam non est que-  
stio, an liceat sequi tutiorem probabiliorem,  
sed an detur obligatio sequendi illam; ergo  
licet formari possit dictamen reflexum non  
tantum certum, sed evidens de licito usu tu-  
toris probabilioris, non tamen formari po-  
test ullum dictamen reflexum, non tantum  
certum, sed nec probabile, de obligatione  
sequendi tutiorem probabiliorem; ergo di-  
cere, ut dicit P. D. Thyrius, quod in sola  
sua sententia formari possit dictamen refle-  
xum certum, si loquatur de licito usu, non  
est ad rem; non enim litigatur licentia tu-  
toris probabilioris, sed obligatio: si loqua-  
tur de obligatione sequendi tutiorem proba-  
biliorem, est falsa; nam sententia Probabi-  
listarum, ut asserit hanc obligationem,  
non est mihi probabilis. Hinc patet secunda  
pars; si enim probabile non est, quod detur  
obligatio tutoris, & probabilioris, eo ipso  
certum est, quod liceat uti minus tutæ mi-  
nus probabilis.

Affero 2. tantum abesse, ut Probabilio-  
ristæ ostendere possint repugnare certum  
moraliter iudicium de usu minus probabi-  
lis, quin stando Probabilistarum princi-  
piis, ostenditur evidenter, quod Probabi-  
listæ certum moraliter iudicium de licito  
usu minus probabilis formare possint.

N. 12. Demostro; quia, juxta Probabiliori-  
stas, non tantum licitum, sed necessarium  
est sequi probabiliorem, omnia minus pro-  
babili: sed opinio Probabilistarum stans pro  
licito usu minus probabilis est Probabilistis  
probabilior; omne autem probabilius, juxta  
Probabilioristas, est moraliter certum: ergo  
opinio docens licitum sequi minus probabi-  
lem est Probabilistis moraliter certa: ergo  
Probabilistæ nitendo doctrinæ Probabilio-  
ristarum formare possunt iudiciū moraliter  
certum de licito usu minus probabilis. Cō-  
firmo; quia consequentia hujus syllogismi  
est moraliter certa, Licitum est sequi proba-  
bilius: sed opinio docens licitum sequi mi-  
nus probabilem est Probabilistis probabi-  
lior; ergo licitum est illis illam sequi. Maior  
est evidens: minor etiam respectu Probabi-  
listarum est evidens. Consequentia est  
legitima: Ergo tantum abest, ut Probabi-  
listæ ostendere possint repugnare Proba-  
bilistis iudicium moraliter certum, immo  
evidens de licito uti minus probabilis, quin  
Probabilioristæ numquam hoc ostendere  
possunt, nisi suam destruant doctrinam,  
quod idem sit probabilius, ac moraliter cer-  
tum.

Affero 3. Probabilioristas, non nisi suis  
principiis renuntiando, & ad summum uten-  
do principiis Probabilistarum, ostendere  
posse, quod iudicium reflexum a Probabi-  
listis admissum esse non possit moraliter  
certum.

N. 14. Explico, & probo. Principium Probabi-  
listarum est, quod nulla minus probabi-  
lis, stante probabiliori opposita, maneat  
probabilis; & quod sola probabilior sit pro-  
babilis; & quod omnis longè probabilior sit  
quasi moraliter certa. Principium Probabi-  
listarum est, quod minus probabilis, stante  
opposita probabiliori, maneat probabilis;  
& quod nec minus probabilis idem sit, ac  
non probabilis; & quod nec probabilior  
idem sit, ac moraliter certa: sed si omnis  
probabilior idem est, ac moraliter certa; &  
omnis minus probabilis idem est, ac non  
probabilis, eo ipso sententia docens licitum  
usum minus tutæ minus probabilis est ipsa  
dem Probabilistis moraliter certa, quia est  
illis longè probabilior, omnis autem longè  
probabilior est, juxta Probabilioristas, mo-  
raliter



maliter certa, & omnis minus probabilis est non probabilis; ergo nisi Probabilioristæ suis principiis renuntient, ostendere non possunt, quod repugnet certitudo in iudicio reflexo Probabilistarum, seu quod iudicium reflexum non sit, nec esse possit ipsis Probabilistis moraliter certum.

N. 15. Confirmo; quia tantum abest, ut Probabilioristæ nixi suis principiis ostendere possint repugnantiam certitudinis, quin iisdem admissis evidenter sequitur, quod sententia affirmans licitum usum minus tutæ minus probabilis sit ipsis Probabilistis moraliter certa: etenim omnis longè probabilior est moraliter certa, & nulla minus probabilis est probabilis: (sunt principia Probabilioristarum) sed sententia stans pro licito usu minus tutæ minus probabilis est Probabilistis longè probabilior oppositâ negante; & sententia negans est iisdem Probabilistis minus probabilis, adeoque non probabilis: (nam omne minus probabile, juxta Probabilioristas, est non probabile) ergo sententia affirmans licitum usum minus tutæ minus probabilis, stantibus Probabilioristarum principiis, est ipsis Probabilistis moraliter certa: ergo tantum abest, ut Probabilioristæ, stantibus suis principiis, probare possint, quod sententia stans pro licito usu minus tutæ minus probabilis nequeat esse Probabilistis moraliter certa, quin stantibus Probabilioristarum principiis, ipsi Probabilioristæ (immò & Probabilistæ, si iisdem utantur) evidenter probant, quod opinio stans pro minus tutâ minus probabili sit ipsis Probabilistis moraliter certa.

N. 16. Dixi in assertione, quod Probabilioristæ ad summum, si utantur Probabilistarum principiis, probare possint, quod iudicium Probabilioristarum de licito usu minus tutæ minus probabilis nequeat esse Probabilistis moraliter certum: (at si Probabilioristæ utantur principiis Probabilistarum, eo ipso sua principia destruunt) etenim Probabilistarum principium est, quod minus probabilis, stante oppositâ probabiliori, maneat probabilis; adeoque possunt Probabilioristæ ex hoc principio ita arguere: Quoties minus probabilis manet probabilis, eo ipso opposita probabilior non est moraliter certa: sed sententia negans licitum usum minus tutæ minus probabilis manet saltem probabilis: ergo sententia affirmans ejus usum esse licitum, non est moraliter certa.

N. 17. Ecce si Probabilistæ concludi nolint, negare debent, quod sententia negans maneat probabilis; quod durum videbitur; si enim tucantur, quod negans maneat probabilis,

eo ipso affirmans erit tantum probabilior, non autem moraliter certa iisdem Probabilistis: ergo Probabilioristæ ad summum probare possunt sententiam stantem pro licito usu minus tutæ minus probabilis non esse ipsis Probabilistis moraliter certam, si Probabilioristæ principiis Probabilistarum utantur; & ipsi Probabilistæ concedant esse sibi probabilem sententiam negantem licitum usum minus tutæ minus probabilis.

Quod si Probabilistæ negent, ut revera negare possunt, sententiam negantem licitum usum minus tutæ minus probabilis esse sibi probabilem; quatenus certum illa videtur, quod nulla lex obliget, nisi sit certa; & quod nemo teneatur lege naturali ad perfectius, adeoque nec ad tutius, nec ad probabilius, sed satis ad tutum, & certo probabile; tunc Probabilioristæ ne quidem utendo Probabilistarum principiis probare poterunt, quod repugnet, ut sententia de licito usu minus tutæ minus probabilis sit ipsis Probabilistis moraliter certa.

Ex hoc constat, quàm infirma sint Probabilioristarum principia; iis enim admissis, evidenter probatur oppositum ejus quod intendunt. Quod enim Probabilioristæ intendunt est, ostendere repugnantiam certitudinis in iudicio reflexo Probabilistarum. Quod probant, est, quod tale iudicium sit ipsis Probabilistis moraliter certum. Constat etiam, quod Probabilistæ dupliciter probare possunt sententiam affirmantem esse sibi moraliter certam: 1. utendo ad hominem principiis Probabilioristarum, hoc modo: Omnis propria post diligens rei examen apparet longè probabilior oppositâ est moraliter certa: sed sententia affirmans licitum esse usum minus tutæ minus probabilis, inquit Probabilistæ, est propria, eaque nobis post diligens examen est longè probabilior oppositâ negante: ergo est nobis moraliter certa: 2. utendo argumentis adeo robustis, quæ omnem ab oppositâ tolerant probabilitatem; qualia sunt, quod nisi lex certò constet, nec certò obligat; quod nemo ex obligatione naturali teneatur ad perfectius, adeoque nec ad probabilius; & sic negando, quod sententia obligans ad probabiliorem, aut tutiorem, sit sibi probabilis.

### §. III.

*Nostra pro principalis conclusionis argumenta.*

### SUMMARIUM.

*S. Thom. ait, quod stans inter contrarias opiniones possit esse certus de non peccato, nempe formalis.*



formali, et si sit incertus de materiali, n. 20.  
Laudatur Caietanus, n. 21.

Qualiter ex Caietano, stans inter oppositas opinio-  
nes fieri possit certus de non peccato, n. 22.

Scholium in doctrinam Caietani à n. 23. ad 26.

Distinguit inter iudicium directum, & reflexum, n. 23.

Videtur Probabilista Reflexista, n. 24. & 25.

Non repugnat, ut vult P. Elizab. & P. Man.  
ut iudicium reflexum sit certum, directum sit  
incertum, ibid. & n. 26.

Utraque praemissa, ex qua deducitur iudicium  
reflexum, potest esse certa, n. 27.

Si formari potest duplex praemissa certa ex qua  
inferatur licitus, immo necessarius usus opi-  
nionis probabilioris, etiam formari poterit  
utraque certa de licito usu minus probabilis,  
n. 28.

Peto à Probabiliorista praemissas certas, ib. &  
n. 29.

Probo paritatibus, n. 30.

Possum de incerta licentiâ formare dictamen re-  
flexum certum de licentiâ, ib.

Patet in obediēte, ib.

Sicut ex errore invincibili elici potest certitudo  
de eo sequendo, ita ex probabilitate certitudo  
de ea sequenda. Est contra P. Elizab. dicentem  
se hoc non posse capere, n. 31. 32.

Nullus Anti-Probabilista impugnare potest cer-  
titudinem iudicii reflexi, nisi se impugnet,  
n. 33.

Cum usus probabilissima sit licitus, ergo inde su-  
matur certitudo de illius usu licito, n. 34.

Offendo quod inaniter ex incertitudine dictami-  
nis Anti-Probabilista impugnet Probabili-  
stas, n. 35.

In omni opinione integra difficultas, ib.

quam sequitur; & simul esse practice certus  
se non peccare eam sequendo: ergo stante  
speculativa incertitudine opinionis directae,  
seu an sit licitum tale opus, potest quis esse  
reflexe certus practice, quod tale opus sibi  
hic, & nunc liceat.

Quia verò Probabilistae Reflexistae, vio-  
lata urbanitatis regula, excipiuntur à P. Mu-  
nieffa alligente eos ad suum reflexionum vo-  
luntarium reverti; & quia P. D. Thyrsus,  
modestissime tamen, ait nullum Cardinalem  
stare pro Probabilistis, ideo opera pretium  
erit uberius exponere, quae tradit D. Perea à  
n. 56. ex C. Caietano; quem nemo negabit,  
sive ingenium, sive autoritas spectetur,  
Modernis Purpuratis parem, si non supe-  
riorem.

Tantus ergo vir tom. 1. opusc. tr. 31. respons.  
23. quærens, qualiter, stantibus contrariis  
circa licitum, & illicitum opinionibus, pos-  
sit quis omnem prudentem peccati formidi-  
nem tollere, & fieri certus de non peccato,  
refert quasi tres sententias. Una dicit, quod  
siquis magis habeat scrupulum de illicito,  
peccat, si opus exequatur. Altera, quod si  
quis magis credat esse licitum, adhuc tamen  
hesitet, an sit licitum, non peccat. Postre-  
ma dicit, quod ut quis licite operetur, adeo  
certa fides haberi debet, ut excludat omnem  
dubitationem, alias peccabit contra consci-  
entiam, si cum formidine alterius partis ope-  
retur. Ipse autem Caietanus refutat secun-  
dam, quæ videtur ipsissima Probabiliorista-  
rum sententia, & amplectitur postremam; &  
subdit: Dicendum, quod si scrupulus  
occurrat ex parte appetitus, ut contingit ti-  
mentibus peccare in aliquo casu, & nesciunt  
quare; sive ex parte rationis, ut contingit  
eis, qui ex aliqua ratione magna, medioeri,  
vel levi fluctuant, distinguere oportet de  
modo, an huiusmodi hesitatio, seu vacilla-  
tio sit modo speculativo, vel modo practico;  
hoc est, an dubitet de licito, vel illicito se-  
cundum se; vel ut est ratio operis sui hic, &  
nunc. Hæc Caietanus.

Ecce acutus vir, ut scite notat D. Perea N.  
n. 57. aperte distinguit opinionem directam, 23.  
quam vocat speculativam, à iudicio reflexo D. Perea  
practico, quo homo hic, & nunc stantibus Cale,  
omnibus principiis, cum quibus operatur,  
iudicat sibi hic, & nunc licere pulsare die  
festo. Ecce etiam quomodo combinet certi-  
tudinem iudicii reflexi de non peccato cum  
probabilitate opinionis directæ.

Prosequitur Caietanus: Nam si quis du-  
bitaret, an pulsare die festo sit illicitum, &  
tamen non dubitaret sibi hic esse licitum  
pulsare, iste non peccaret pulsando, quan-  
tum-

N. 20. S. Tho. Caiet.  
Am verò principalis conclusio probatur  
ex S. Thom. dicente, quod quis stans  
inter probabiles opiniones contrarias ha-  
bere possit certitudinem exclusivam omnis  
dubii, ita ut certus sit se non peccare. Simi-  
liter C. Caietanus in Sum. verb. Opinio, ait,  
quod licet qui se committit opinioni, com-  
mittat se regulæ ambiguae, adhuc tamen  
homo opinans habere potest certitudinem;  
& subdit: Hæc intellige de opinione proprie di-  
ctæ, quæ est cum formidine alterius partis. Ne-  
que enim propterea aliquid opinione tenetur, quia  
diversi Doctores contraria sentiunt, quoniam  
cum huiusmodi contrarietate stat, quod una pars  
sit ratione sufficienti ad moralem certitudinem  
soluta. Ecce S. Thom. ejusque acutissimus  
Interpres conveniunt, quod homo stans  
inter contrarias Doctorum opiniones adhuc  
esse possit certus de non peccato; id est, esse  
incertus de veritate speculativa opinionis,



tuncumque magna esset dubitatio apud eundem de actu pulsandi secundum se, an sit licitus, vel illicitus; & quantumcumque esset maximus timor de eodem. Hæc Caietanus. Ecce in terminis sententia Probabilistarum Reflexistarum, nempe quod ego possim esse certus practicè de non peccato pulsando, etsi prius directè dubitem, aut habeam maius, vel minus fundamentum asserendi, quod pulsare sit licitum.

N. Progredditur: Quod si certitudo speculativa requireretur, non tantum rudes, sed Doctores passim se periculo exponerent, etsi se habere certitudinem, & evidentiam veritatis speculativæ pertinaciter assererent: quare hæsitatio magna, vel parva de fide certâ, aut incertâ liciti, vel illiciti non est spectanda absolute; id est, non est curanda hæsitatio præcedens, & nixa iudicio directo de licito, vel illicito; sed ipsa ratio operandi in singulari consideranda: si enim applicatio ad operandum sit certa, quidquid in ratione fluctuat, est scrupulus despicendus: si autem applicatio ipsa fluctuet circa rectum, vel obliquum moris, est scrupulus conscientiæ, contra quem non licet agere. Hæc fere ad litteram Caietanus, vel in se legendus, vel in Perea, qui eum fideliter citat. Ego sanè non sum Probabilista Reflexista; at negare non possum luce clarius mihi esse, quod Caietanus talis sit; nam totam rationem operandi licite refundit in dictamen reflexum, seu applicationem, nil curans formidinem, sive magnam, sive parvam, quæ est in directo. P. Eliz. Hæc si legisset P. Eliz. rejectus à me d. 18. sect. 7. §. 1. & P. Muniesia, non dixissent repugnare, ut iudicium reflexum sit certum, quoties directum est incertum.

N. Affert Caietanus rationem suâ mente dignam; quia conscientia non est scientia, sed applicatio cognitionis ad opus, & ideo scrupulus conscientiæ est ille tantum, qui est in applicatione; omnis autem alius scrupulus, seu formido, quæ non tangit applicationem, non opponitur conscientiæ. Ecce Caietanus despicendam dicit omnem formidinem in istam ipsam iudiciis directis, dummodo nulla detur formido circa applicationem eorum iudiciorum, seu circa dictamen reflexum. Quare Caietanus non tantum est Probabilista, quatenus non distinguit inter iudicium directum probabile, & probabilius, sed universalem tradit operandi regulam per iudicium reflexum certum, sive iudicium directum sit magis, sive minus formidans speculative: sed est Probabilista Reflexista, quatenus totum refundit in applicationem iudicii directi, seu in dictamen reflexum; imò

ita est Reflexista, ut contentus sit dictamine certo reflexo de probabilitate; non enim requirit, ut operaturus assentiat ex motu vis directis opinioni de licito, sed quod ex reflexis hic, & nunc iudicet se non peccare. Alia pro se ex Caiet. dat D. Perea n. 59. contra C. Aguirre, & P. D. Thyrsium.

Probatur 2. Eatenus repugnaret iudicium N. speculativum moraliter certum reflexum supra licitum utum opinionis minus, certamen probabilis practicæ, quatenus formari non possunt præmissæ certæ reflexæ, ex quibus sequatur hoc iudicium speculative moraliter certum, *Ergo mihi licet operari iuxta opinionem minus, certo, tamen practica probabilem*: sed falsum est dari non posse præmissas certas, ex quibus illud iudicium sequatur: ergo &c.

Minor probatur 1. quia iidem Probabilioristæ, qui dicunt iudicium certum reflexum supra usum licitum opinionis minus, certum tamen probabilis repugnare, iidem docent formari posse iudicium certum, & evidens de licito usu opinionis probabilioris; ita in terminis P. D. Thyrsius diff. 4. a. n. 50. Palanco, & alii: immò aliqui ex Probabilioristis docent tale iudicium reflexum certum, & evidens de licito usu probabilioris esse necessarium; ita P. Scildere, & M. Mart. de Prado: sed si de licito usu, immò de obligatione sequendi probabiliorum, & omittendi minus probabilem, formati potest dictamen reflexum certum, & evidens, multo magis formare poterit dictamen falsum certum, si non evidens, de licito usu minus probabilis: ergo &c. Minor probatur, tum quia rogo Probabilioritas, ut mihi dent præmissas certas, & evidentes, ex quibus deducatur contra Tutoristas, quod liceat sequi minus tutam probabiliorum, omittâ tutiori minus probabili; & quales illi daturi sunt præmissas certas pro licentiâ probabilioris minus tutæ contra tutiorem minus probabilem, tales dabunt Probabilistæ pro licentiâ minus tutæ minus probabilis contra tutiorem probabiliorum: tum quia tanta est distantia inter certitudinem dictaminis reflexi de licito, immò obligatorio usu probabilioris, & certitudinem dictaminis de licito usu minus probabilis, quanta est distantia inter præmissas utriusque dictaminis, seu rationes utriusque sententiæ; una, quæ ita obligat ad probabiliorum, ut obliget ad omissionem minus probabilem; altera, quæ ita deobligat à probabiliori, ut approbet tamquam licitum usum minus probabilis: ergo cum ex dictis d. 12. 13. & aliis, quibus rationes Adversariorum solvi-



solvimus, constat earum rationum, quantum ad obligationem sequendi tutiorem probabiliorum, nullitas; & simul ex dictis d. 11. constat nostrarum rationum saltem collectivè fumptarum, quoad licitum minus tutæ minus probabilis usum, certitudo moralis, eo ipso si ab Adversariis formari potest dictamen illis certum, & evidens de licito, immò de obligatorio usu probabilioris, omisâ minus probabili; cur non poterit à Probabilistis formari dictamen evidens, aut saltem sibi moraliter certum de licito usu minus probabilis? Ergo non repugnat iudicium saltem moraliter certum de hac speculativâ veritate, Licet sequi minus tutam minus probabilem.

N. Consulat Lector nostras rationes, & col-  
29. liget eas esse tales, ut illis opus habeant Probabilioritas, tum ut se liberent à nostris instantiis, tum ut se eximant à rationibus Tutoristarum negantium licentiam sequendi probabiliorum minus tutam, omittà tutiori minus probabili: & legat rationes Probabilioristarum, & colliget eas ab illis deferendas, ut se liberent à modernis erroribus.

30. Eadem minor probatur 2. paritatis, quibus subscribunt Adversarii: nam de re incertà, an liceat, formari potest syllogismus reflexus evidens de ejus licentiâ: ex. gr. incertum mihi est, an liceat pingere die festo, an licitè possim omittere pensum diurnum; & tamen accedente Superioris præcepto formare possum syllogismum evidentem de licentiâ picturæ die festo, & de omissione pensu diurni, hoc modo: Omne quod est incertò licitum, fit, Superiore præcipiente, certò licitum: sed, an pictura liceat die festo, est mihi incertò licitum: ergo accedente Superioris præcepto fit mihi certò licita pictura die festo: ergo à pari, etsi opinio de licentiâ picturæ sit mihi incerta, potest tamen accedente principio mihi certò de licito usu minus probabilis, ipsa opinio minus probabilis, ut subsistans syllogismo reflexo certa de licito ejus usu, fieri nobis certò licita, hoc pacto: Sequens opinionem invincibiliter probabilem practicè, seu prudentem de non peccato non peccat: sed opinioem pro licentiâ picturæ apparet mihi invincibiliter certò probabilis; ergo eam opinionem de licentiâ picturæ sequens non peccatio. Maior est nobis moraliter saltem certa ob tot argumenta allata d. I. I. & longo excessu probabilior oppositâ; quomodo enim peccat, qui prudenter agit, & qui operatur contra legem, cujus existentia prudenter negatur, etsi prudentius etiam affirmari possit? Consequentia est legitima, adeoque



probabiliorem præ minus probabili; & Tutioritæ esse certum, quia deducitur ex his, *Licitum, immo necessarium est sequi tutiorem minus probabilem*: si, inquam, hoc dixerint, utique nihil dicent; tantum enim abest, ut hæc duæ præmissæ sint certæ, quin sunt nobis certò falsæ.

N. Demum de fide est ab Alex. VIII. quòd  
34. liceat sequi probabilissimam: quæro igitur,  
Alex. undenam in opinionem probabilissimam deri-  
VIII. vetur certitudo? non enim ideo est specu-  
lative certa ex se, ut omnes docent. Si dicant  
non requiri certitudinem speculativam,  
verum dicent, & catholicè dicent. Si dicent  
esse practicè certam ex se, dicent quod  
nos diximus *disp. 18. sect. 8.* atque adeo  
omnia argumenta contra certitudinem pra-  
cticam, quam docuimus, intrinsecam cuique  
opinionem certò probabili, infringentur pari-  
tate liciti usus opinionis practicè probabi-  
lissimæ. Si dicant opinionem probabilissi-  
mam non esse regulam immediatam, forma-  
lem, & proximam operationis, sed aliud ju-  
dicium reflexum speculative certum de li-  
cito usu opinionis probabilissimæ; tunc ad-  
huc toto hoc admissio, dabunt mihi, quod  
volo; eo enim ipso concedent, quòd possit  
dari actus reflexus speculative certus circa  
opinionem probabilissimam; ergo etiam cir-  
ca minus probabilem; ergo non repugnat  
judicium moraliter certum de hæc specula-  
tiva veritate, Licet sequi opinionem certò  
practicè, etsi minus probabilem. Quare ego  
dictum judicium certum reflexum supra li-  
citurum usum opinionis probabilis, aut pro-  
babilioris refutabo infra tamquam non ne-  
cessarium, non tamquam chimericum; nam  
eadem utriusque ratio.

N. Ex quo patet, quàm inaniter Anti-Pro-  
35. babilistæ impugnent licitum minus proba-  
bilis usum; cum enim, inquirunt, nec mi-  
nus probabilis sit certa, nec certum sit reflexum  
judicium supra licitum minus proba-  
bilis usum, consequenter operans operabitur  
sine dictamine certo. Inaniter, inquam,  
cum enim omnis opinio probabilior, aut tu-  
tior non sit ex se certa, nam probabilior stat  
semper intra sphaeram probabilitatis, etsi  
maioris, non autem attingit certitudinem;  
tutior autem sæpe sit minus, immò nullo  
modo probabilis, & sæpe sit falsa; quin etsi  
tutior sit probabilior, sit semper incerta de  
veritate: rursus cum nec certum sit licere  
semper, tantum abest, necessarium esse sequi  
tutorem, & probabiliorem, nam sæpe est  
impossibile eas sequi, consequenter sequens  
tutorem, aut probabiliorem operabitur sine  
dictamine certo. Ecce igitur integra semper

difficultas contra omnem sententiam, sive  
Probabilistarum, sive Probabilioristarum,  
sive Tutoristarum: ergo inaniter ex incertu-  
dine dictaminis Probabilioristæ, & Tutori-  
stæ impugnant Probabilistæ; quæcumque  
enim sententiâ admittat, sive affirmante ulum  
licitum, cujusvis opinionis certò practicè  
probabilis, sive negante, quæram semper,  
undenam certitudo derivetur in ultimum  
dictamen? Si certitudo practica est illi in-  
trinseca; dicent quod ego dixi d. 18. sect. 8.  
Si extrinseca ab alio dictamine reflexo supra  
licitum usum opinionis certò probabilis, aut  
probabilioris, aut tutioris, quæram præmis-  
sas speculative certas syllogismi reflexi.

## SECTION II.

Argumenta P. Elizaldæ, quibus possibilitatem  
certitudinis in judicio reflexo a Probabilistis  
Reflexivis admittisse negat.

## S. I.

Ejus argumenta.

## SUMMARIUM.

Ait quæstionem esse de subiecto non supponit,  
n. 36. Cur? Ibid.  
Ait impossibile, & non necessarium dictamen  
certum de non peccato, ne peccemus, n. 36. 37.  
Ait hanc præmissam, Licet sequi minus probabi-  
lem, non esse certam, n. 38.  
Quia hæc propositio, consului, ergo non pecco,  
tantum abest ut certa sit, quin est radix plu-  
rium malorum, n. 39.  
Quia tantum tribuimus consilio humano, si ha-  
bet certitudinem, quantum si Deum consula-  
torem haberemus, n. 40.  
Quia ut quis habeat certitudinem conscientia  
debet esse certus se sollicitudine peccata  
usum, adeoque se esse humilem, misericordem,  
Dei amantem, immò mensura diligentia  
necessaria est incerta, n. 41.  
Ait hanc maiorem, Omnis hic, & nunc putans  
se non peccare, non peccat, esse tantum ve-  
ram cum hac conditione, si nil omisit earum,  
quæ debuit; nemo autem est certus semper  
de hoc, n. 42.  
Quia certitudo conscientia opponitur timori,  
quem Scriptura inculcat, n. 43.  
Quia homo esset certus se esse in gratiâ, quod est  
contra Tridentinum, ib.  
Quia nil plus requiritur, ut quis sit certus de  
gratiâ, quam quòd sit certus se in nulla suo  
actu peccasse, n. 44.  
Quia non darentur peccata occulta, quod est  
contra Fidem, n. 45.  
Quia nulla datur certitudo de dignâ susceptione  
Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, n. 46. Quia



*Quia implicat, ut sim incertus, an meus actus sit peccatum, & simul certus sim non esse peccatum, n. 47.*

*Hinc aut non requiri certitudinem ad non peccatum. Cur? n. 48.*

*Quia opinio probabilis raro fallit, ergo satis ad non peccatum, n. 49.*

*Quia operans ex opinione probabili non dicit, volo hoc facere, licet forte sit contra legem, sed dicit, possibile est quod sit, ergo satis opinio probabilis ne quis peccet, n. 50.*

*Quia homo non est certus de resistentiâ tentationum, n. 51.*

N. P. At. Eliz. lib. 3. qu. 1. postquam docuit  
36. probabiliter esse conscientie regulam  
P. Eliz. in omni materia, illiusque palinodiam dedi  
disp. 11. sect. 10. §. 1. ibique ostendi sylvam  
contradictoriorum, immo esse omnium la-  
xissimum, nam quamlibet probabilitatem  
et si speculativam ait sufficientem esse con-  
scientie regulam, quod nullus dicere potest;  
tandem qu. 2. quaerit, quomodo ex probabi-  
libus formari possit dictamen certum con-  
scientie, & ibi tractat de hujus dictaminis  
certitudine? Cui respondens §. 1. pag. 133.  
ait difficultatem esse de subiecto non suppo-  
nente, & sic negat, quod conscientie dicta-  
men debeat esse certum. Mirabile mihi vi-  
sum est hoc ejus opinatum, & eo magis, quod  
est contra omnes Theologos. Ecce autem  
ejus argumenta in unum simul collecta.

N. Primum est ex D. Thom. qu. 17. de Ve-  
rit. art. 2. ubi quaerens, an conscientia erra-  
re possit, trahit illud Joannis cap. 16. dicen-  
37. tis, Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, ar-  
bitretur obsequium se prestare Deo: ergo con-  
scientia potest errare; nam conscientia eorum,  
qui Apostolos occidebant, dictabat illis, se  
placere Deo. Prosequitur ostendendo con-  
scientiam dupliciter errare posse, vel assu-  
mendo aliquid falsum, vel male applicando  
aliquid verum: ergo dictamen conscientie  
potest errare. Hinc ait quaestionem esse de  
subiecto non supponente, supponitur enim,  
quod dictamini conscientie insit certitudo  
de non peccato, aut de honestate, quod est  
prout falsum, cum ipsum dictamen errare  
possit. Quare, inquit, dici potest, S. Thom.  
docere conscientiam erroneam posse errare,  
quando non excusat à peccato; non autem  
errare posse conscientiam rectam: contra  
enim est; quia S. Thom. universaliter que-  
rit, an conscientia errare possit, & affirmat  
sine addito, quod possit: ergo omnis con-  
scientia errare potest. Rursus S. Thom. sibi  
objicit scientiam nunquam errare; ergo nec  
conscientiam: & respondet, quod consci-  
Tom. III.

entia superaddat scientie applicationem par-  
ticularem, in qua potest esse error: ergo  
conscientia potest errare. Hinc P. Eliz. §. 1.  
ad finem duo infert: primum, quod sit im-  
possibile formare certum, & evidens dicta-  
men de non peccato, aut honestate operatio-  
nis in probabilibus, quæ possunt aliter se  
habere; quin nec in aliis materiis sæpe hoc  
est possibile: alterum est, quod nec certitu-  
do, nec evidentia de non peccato, aut hone-  
state necessaria sit ad non peccandum, & ad  
honestè operandum, sed satis sit dictamen  
probabile, & conscientia probabilis. Ita au-  
tem §. 2. probat impossibilitatem habendi  
saltem semper dictamen certum, & evidens  
in probabilibus; & potest esse secundum ar-  
gumentum.

Secundum est, si certum conscientie di-  
ctamen ex opinione purè probabili elici  
posset, illud esset ex vi alicujus principii re-  
flexi per syllogismum reflexum; sed hoc est  
impossibile, ut patet ex impugnatione no-  
strorum syllogismorum reflexorum: ergo ex  
probabilibus formari non potest dictamen  
certum. Minorem probat inductione hujus  
syllogismi reflexi: *Licet sequi opinionem pro-  
babilem; sed opinio docens contractum A non esse  
usuram, est probabilis; ergo licet eam opinionem  
sequi; ergo in eundo eum contractum non pecco.*  
Si hunc syllogismum reflexum considere-  
mus, ait P. Eliz. §. 2. pag. 134. quod aliqui  
probabilitatem omnium impugnatores ne-  
gabunt maiorem esse veram, multo magis  
esse certam, & evidentem; & quidem si lo-  
quantur de probabilitate contradictorij commu-  
ni, verissimum dicent: at loquendo de probabili-  
tate à nobis declarata, & posita, scilicet cum  
onere, (ait P. Eliz.) mihi tam evidens est ve-  
ritas illius maioris, quam evidens est licere usum  
humanarum legum, & scientie moralis. Quare  
tota difficultas est in minori, quæ est propo-  
sitiio particularis assumpta, & nec certa, nec  
evidens est, sive sermo sit de extrinsecâ, sive  
de intrinsecâ probabilitate. Non est certa  
probabilitas extrinsecâ ejus minoris, quia  
opinionem etiam communissimam aliquando  
habent exceptionem: ergo probabilitas ex-  
trinsecâ hujus minoris non est certa. Rursus  
probabilitas intrinsecâ non est certa, tum  
quia versamur in materia probabili; tum  
quia æquè facile erratur circa probabilita-  
tem, ac circa veritatem. Addit, quod etsi de-  
tur nullum esse in minori errorem, po-  
test tamen esse in applicatione ad actum  
meum particularem, ut dixit S. Thom. qu. 17.  
de Verit. art. 2. ad 1. conscientiam erra-  
re posse, vel propter errorem particularis assum-  
pta, vel propter indebitum ratiocinandi modum:

H

ergo



ergo licet daretur minorem esse certam, & evidentem, adhuc conclusio potest non esse talis. Exemplificat in jejuniis: Ponamus (ait P. Eliz.) certum esse, quod labor gravissimus deobliget a jejuniis; adhuc dubitare possum, an meus labor sit talis; quia cognitio tanti, & quanti in his rebus est valde incerta: ergo impossibile est me in tali casu habere certitudinem. Ratio à priori horum omnium est, (ait §. 2. initio) quia tota certitudo, & nostrorum actuum infallibilitas sumitur primitus ab objectis; ergo nunquam fieri poterit per ulla reflexionum acumina, ut inlit certitudo cognitionibus reflexis, si ea non fuit in directis: ergo directis cognitionibus claudicantibus necesse est, ut claudicent reflexæ.

N. Tertium est inductio hujus syllogismi reflexi, in quo plurimi fundant certitudinem dictaminis. *Quidquid facimus presente consultatione cum Medico in re medica, cum Theologo in re theologicâ, cum Consiliario status in re politica, sine peccato facimus sequendo eorum consilium; sed ego eam consultationem præmissi; ergo juxta consilium operando, & illud sequendo non pecco.* Maior est certa: minor est intuitive evidens; ergo etiam conclusio, quæ est dictamen conscientie, quo ad operandum dirigimur, erit certa: ergo ex probabilibus elici potest dictamen certum. Sed contra hanc doctrinam ait P. Eliz. §. 2. pag. 125. dolendum esse, quod hic syllogismus videatur concludens, seu demonstrativus, sed multo magis, quod videatur tolerabilis; sequitur enim omnes omnino librorum opiniones esse tutas, quia ex genere suo, quæ in libris eduntur, maiori consultatione perpensa sunt, quam quæ ore tenus respondemus: sed nullus dicere audebit omnes omnium librorum opiniones esse tutas, cum hoc repugnet sensui, ac menti omnium Authorum: ergo magis repugnat omnia omnium Theologorum, & Medicorum responsa facere tuta: ergo maior dicti syllogismi est potius miseranda, aut, quam admittenda; nam eâ admittâ oriuntur infinita mala litium, bellorum, detractionum, injuriarum. Quot malorum ferax est hæc propositio, *Consilium, ergo non pecco.* O si liceret plurima in publicum educere! experiremur, qui a ingenter Reipublicæ noceat, & omnia mala secum ferat maior illa; pleraque enim in favorem potentie resolvit; nam potentiam habenti consilia, & consilia non desunt. Clamarent profecto universi, ut ad veritatem in consultatione querendam obligemur. Concludit, quod cum consultatio sit medium naturæ suæ tantum probabile; pro-

babile autem ex naturâ suâ aliquando deficiat, & fallat, videatur impossibile, quod in sinceris, & feris etiam consultationibus, nempe quæ per media sufficientia tendunt in veritatem, addit in singulis certitudo, quod eâ vice probabilitas non deficiat.

Quartum est ex §. 3. quia asserere in omni nostro actu eam conscientie certitudinem, eo quia nitimur consultationi humane, qualem fortitemur, si Deum ipsum Consultorem haberemus, est eam nobis usurpare confidentiam, quam nemo Sanctorum non cavet; sed nos talem securitatem, & certitudinem damus omni nostro actui, si fiat prævia consultatione; dicimus enim esse certum de non peccato, qui eam sequitur; ergo usurpamus confidentiam, quam omnis Sanctus cavet: hi enim cum timore, & tremore salutem operati sunt: ergo conscientie dictamen, nec est, nec esse debet certum, sed fallibile.

Quintum est ex §. 3. quia plurima sunt, N. quæ hanc conscientie de non peccato certitudinem reddunt quasi impossibilem. Primum est, quia ut quis certus sit de non peccato, debet esse certus se implisse mentum necessarium circa eternorum sollicitudinem; sed nemo potest esse certus se eam implisse, præterquam quia hæc mensura taxari non potest, immo forte est impossibile, quantum sollicitudinis necessaria taxare, & hoc, ut coram Deo simus humiles, & nihil ex nobis præsumentes; immo cito certa mensura diligentie ad æterna promerenda necessitate taxari posset, nemo potest esse certus se eam implisse: ergo nemo potest esse certus de non peccato. Secundum, quia ex omnium confessione constat aliquam pro veritatis inventionem diligentiam esse necessariam; sed mensura hujus diligentie taxari non potest, nam aliqui expresse requirunt orationem, alii conscientie purgationem, charitatem, & animum ab omni passione vehementi immunitatem, nam penitus sunt passionibus, & affectibus, nobis apparentibus objectis, & ideo homini ad detractionem inclinato, quod est grave, videtur sepe leve; quod idem accidit non tantum in operando, sed & in docendo. Deus enim intellectualium electionem punire erroribus, & doctrinæ falsis: ergo cum à primo ad ultimum tot sint incertitudinis causæ, fateri debemus impossibile esse, quod semper, & in omni nostro actu habeamus dictamen certum de non peccato: ita ut dicere possimus: *Ego certus sum me non peccare.*

Hinc ait, quod maior hujus syllogismi, (cujus conclusionem supponimus certam, &



& evidentem) *Omnis putans se in aliquo actu non peccare, non peccat, ego puto me in hoc actu non peccare, ergo in hoc actu non pecco*: maior, inquit, est vera, si ita intelligatur: *Omnis putans se in aliquo actu non peccare, non peccat, si nil omisit eorum, quæ debuit*; si autem omisit, est falsa. Minor autem distinguenda est: Ego puto me in hoc actu non peccare, & sum semper certus nil in omni actu a me omisum eorum, quæ debui, negat: & certus non sum, probabile tamen iudicium ferre possum, si verè diligens sum in curâ animæ, concedit: ergo, inquit, conclusio, quæ est dictamen conscientiæ, est tantum probabilis.

N. Sextum est ex §. 4. quia via Christianorum est inter spem, & metum, nec enim ita de peccato timere semper debemus, ut nullus detur spei locus; nec ita de nostrâ iustitiâ, & non peccato certi esse, ut nullus timori locus sit; & ideo iusti etiam dum virtuosè operantur, timent, & Scriptura nos monet cautè ambulare, spiritus probare, non omni spiritui credere; quæ componi non possunt cum nostrâ certitudine: ergo ne peccemus, necesse non est certitudo de non peccato. Preterea si ad numquam peccandum prærequiritur in omni nostro actu certitudo non peccati, sequitur, quod qui habet certitudinem de non peccato, aut de honestate in omni suo actu, posset habere certitudinem de statu gratiæ; sed hoc est contra Tridentin. sess. 6. cap. 9. dicens, quod sine speciali Dei revelatione nemo scire potest certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum: & Can. 13. definit: *Siquis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assignandam necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hesitatione propria infirmitatis, & inaispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit*. Ratio horum est; quia scriptum est neminem scire, an odio vel amore dignus sit; ergo quilibet incertus est de statu gratiæ, adeoque an peccaverit; ergo nullus est certus se non peccare, & benè operari, dum non peccat, & benè operatur. Quid enim plus requiritur, ut quis sit certus de statu gratiæ, quam quod sit certus se in nullo actu peccasse? Sed per nos omnis non peccans est certus de suo non peccato in omni suo actu; ergo est certus de statu gratiæ.

Confirmat pag. 137. quia vel concedenda est incertitudo de non peccato in quolibet nostro actu; vel si, ne peccemus, conceditur certitudo de non peccato in omni nostro actu, concedenda quoque erit certitudo status gratiæ. Quid enim prodest ad incutendum timorem incertitudo status, si in omni

Tom. III.

nostro actu conceditur certitudo de non peccato? nam status gratiæ pendet à nostris actibus: ergo si quilibet, ne peccet, debet esse certus de non peccato, poterit quis de omni suo actu esse certus de non peccato; ergo poterit esse certus de suo statu.

Septimum est; quia de fide est dari peccata occulta; sed hoc esset falsum, si omnis peccans experiretur actualem remorlum in contrarium, nam Servi Dei diligentissimè reminisci possent horum remorlum; ergo &c.

Confirmat; quia si omnis non peccans habet certum dictamen de non peccato, omni peccanti esset notorium deesse sibi hanc evidentiam: ergo nulla darentur peccata occulta.

Octavum est ex §. 4. pag. 137. quia quilibet propriam infirmitatem considerans potest, juxta Tridentinum, de suâ gratiâ formidare: ergo quilibet formidare potest, an in susceptione Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sit satis dispositus, & se sufficienter probaverit; sed qui non est certus de sufficienti dispositione, non est certus se non peccare in actuali Sacramentorum susceptione; nam tota ratio peccati, vel non peccati in susceptione sumitur ex dignâ, vel non dignâ susceptione: ideo enim peccatur, vel non peccatur, quia dignè, vel indignè suscipitur: & hæc est tota ratio legis; neque enim datur una lex de dignâ susceptione, & alia lex de non peccato; ergo cum nulla detur certitudo de dignâ susceptione, nulla quoque datur de non peccato in actuali susceptione.

Nonum est ex §. 5. pag. 137. ubi postquam miratus est Probabilistæ docere, quod ad conscientiam rectam satis sit probabile æquè indifferens ad verum, ac ad falsum; & simul deinde eosdem docere, quod ad non peccatum necessarium sit certum de non peccato dictamen, ita ut satis non sit probabile, ita arguit: Hæc duo repugnant, *Ego certus non sum, an hic actus meus sit à Deo veritus, & tamen certus sum, & evidentiam habeo, quod cum eliciendo non peccem*. Ratio repugnantia est; quia idem est objectum esse veritum, ac esse peccatum: ergo si incertus sum, an sit veritum, incertus sum, an sit peccatum: & si certus sum non esse peccatum, certus sum non esse veritum. Sed totum hoc dicunt Probabilistæ, recurrunt enim ad certum, & evidens de non peccato dictamen, quod confurgit ex principiis reflexis supra directam de honestate objecti, & operationis probabilitatem; ergo dicunt repugnantia.

Decimum est ex §. 5. ubi postquam

Hij

tuit



tuit suam sententiam dicens, nec certitudinem, nec evidentiam ad non peccandum, aut ad honestè operandum necessariam esse, citans P. Vasqu. 1. 2. d. 62. cap. 5. P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 9. n. 18. cōtra Caiet. ita arguit, 1. ex S. Tho. 1. 2. qu. 96. art. 1. ad 3. ubi ait: *Non est eadem certitudo querenda in omnibus, ut dicitur 1. Ethic. unde in rebus contingentibus, sicut sunt naturalia, & res humane, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum, ut in pluribus, licet interdum deficiat in particulari: ergo non requiritur certitudo. Secundo, quia non est contra statum gratiæ non habere certitudinem, sed tantum probabilitatem de nostro statu gratiæ; ergo neque est contra nostrum modum operandi honestè, habere tantum probabilitatem de honestate nostrarum operationum, nam operari sequitur ad esse: sicut ergo defectus certitudinis de statu gratiæ non arguit me esse vituperabilem, etsi gratia sit nostrum esse spirituale, & nostra vita spiritualis; ita multo minus defectus certitudinis de honestate operationis reddet me vituperabilem. Tertiò, quia non est, cur magis sollicitus esse debeam de meis operationibus, ac de meo statu spirituali; sed ut sollicitus sim mei status gratiæ, non debeo esse certus de eo; ergo neque certus esse debeo de honestate mearum operationum.*

N. Undecimū est; quia opinio probabilis, ut definitur à P. Eliz. raro fallit; ergo satis est ad non peccandum; nam omne periculum peccati sequens ad illam est remotum, hoc autem nemo cavere debet.

N. Confirmat; quia operans ex opinione probabilis non dicit, *Volo facere hunc actum, licet forte sit contra Dei legem*, hoc enim est falsum; immò repugnat, ut opinans hunc actum non esse peccatum, in sensu composito suæ opinionis dicat, *forte obiectum non ita est*; nam unice dicit, *possibile est, quod obiectum aliter se habeat*: sed non est peccatum operari stante etiam illa possibilitate, quod obiectum aliter se habeat, ut cernere est in amicitia, & fide humanā, quæ est fundamentum humanæ societatis; nam ambulans per urbem cognoscit posse regulam cadere, nec tamen dicit, *forte cadet*; & qui nollit per urbem ire, quia possibile est regulam cadere, esset vituperabilis: ergo ut quis sine peccato operetur, satis est opinio probabilis de non peccato; & qui eam habet, non habet iudicium, *forte tale opus est peccatum*, sed ad summum, *possibile est, ut sit*, quod non nocet laudabilitati, & sollicitudini necessariæ ad animæ salutem.

N. Duodecimū est; quia quoties tentationes

gravissimæ occurrunt, homo non est certus de resistantia ad non peccandum necessaria: ergo quoties homo non peccat, non est necessaria certitudo de non peccato. Quod autem dicitur de certitudine non peccati non necessaria, dum homo tentationibus resistit, dici potest de aliis, & hoc fusè prosequitur pag. 138. non vero 146. est enim error Typographi.

## §. II.

Advertenda.

## SUMMARIUM.

Aliud, an requiratur iudicium certum de non peccato; aliud, an ea certitudo sumatur a iudicio reflexo, an potius sit insita ipsi opinioni certo probabili, n. 52.

P. Eliz. negat tum necessitatem iudicii certi, tum possibilitatem certi reflexi. Cur? n. 53.

Si honestas operationis est directè certa, & videns, tunc nulla est difficultas formandi iudicium reflexum certum, n. 54.

Difficultas est, quomodo formare possim certum dictamen reflexum de honestate actus, quæ obiectiva honestas est mihi purè probabilis, n. 55.

Ostendo, quod Fideles certi sint de non peccato, dum adorant Hostiam consecratam, quin certi sint de Hostiæ consecratione. Alia exempla, ib.

Hinc formari potest dictamen reflexum certum de non peccato, etsi iudicium directum sit de eo incertum, ib.

Si distinguatur obiectum iudicii reflexi ab obiecto iudicii directi, facile res patebit, ib.

Similiter si considerentur principia reflexa operis addita, ex quibus deducitur dictamen reflexum, n. 56.

Sicut P. Eliz. al. putat se demonstrare illicitum usum opinionis probabilis, etsi ejus demonstrationes habeant pro obiecto probabilitatem; ita in casu nostro, possum esse reflexè certus de non peccato, operando juxta iudicium probabilè directum, quin per iudicium directum sum certus de non peccato, ib.

Ante solutionem duo distinguenda: N. aliud est, an requiratur iudicium certum de non peccato, & de honestate, ut sine peccato, aut honestè operemur, & hoc cum omnibus Theologis contra P. Eliz. affirmo; aliud est, an ea certitudo à iudicio reflexo supra opinionem probabilem directam sumenda sit; an vero intransitive insit cuicunque opinioni certo probabili de non peccato, aut de honestate, & de hoc dixi disp. 18. sect. 8. & iterum dicam. Rursus aliud est, an iudicium



cium reflexum sit necessarium, aliud an sit repugnans: illud negabo; hoc negavi.

N. Quia vero P. Eliz. nescit intelligere, quomodo iudicium reflexum supra iudicium  
53. P. Eliz. probabile directum possit esse certum; & multo minus intelligere potest, quomodo opinio probabilis de non peccato sit intransitive, & formaliter certa de non peccato; ideo ductus fuit ad negandum, quod ad sine peccato, & honeste operandum necessarium sit iudicium certum de non peccato, & de honestate. At si revera unice negaret necessitatem iudicii certi reflexi, optime diceret, ut nos dicemus; quia tamen non tantum negat necessitatem iudicii certi reflexi, quin probat impossibile esse, ut iudicium reflexum supra directum pure probabile sit certum; immo etiam negat necessariam certitudinem de non peccato, aut de honestate, sed satis esse puram probabilitatem: ideo ob duplicem hunc titulum ejus argumenta solvenda mihi sunt. Aliqua enim in genere probant necessarium non esse iudicium certum de non peccato, & de honestate ad sine peccato, & honeste operandum: ego autem necessarium docui *disp. 18. sect. 4.* Aliqua probant impossibile esse, ut insit certitudo de non peccato, & de honestate ipsi iudicio reflectenti supra iudicium directum pure probabile de non peccato, & de honestate: ego autem dico non esse impossibile, etsi, ut infra docebo, non sit necessarium hoc iudicium certum reflexum, eo quia certitudo de non peccato, & de honestate inest formaliter ipsimet opinioni probabili de non peccato, & de honestate. Licet autem argumenta, quæ probant impossibilitatem certitudinis in iudicio reflexo supra directum probabile, possent infra adduci, ubi dicam tale iudicium reflexum certum non esse necessarium; attamen hic tradere volui, tum ut argumenta P. Elizaldæ sub unum intuitum ponerem; tum quia inducitur præcipue ad negandum requiri iudicium certum de non peccato, quia putat impossibilem certitudinem: ego autem quia assero cum omnibus certitudinem de non peccato esse necessariam, ideo præsentiam impossibilitatem certitudinis solvere debeo, præter ea, quæ solvi *disp. 18. sect. 6. & 7.*

N. 54. Advertendum etiam, quod quoties evidens, & certa est honestas operationis, toties non solum possum esse certus, & evidens directè de non peccato, immo de honestate operationis, sed tunc nulla est difficultas, ut formem certum, & evidens dictamen reflexum de honestate operationis ut substantis ei iudicio certo, & evidenti de eadem. Ita

Tom. III.

evidens est amorem Dei, & omissionem furti esse honesta; & hoc est evidens tum directè, quatenus evidenter cognosco honestatem actus amoris Dei; tum reflexè, quatenus supra eum actum, quem per iudicium evidens directum scio esse honestum, reflectens iudico per iudicium evidens reflexum me honestè operari: ergo si sententia P. Eliz. universaliter neget me posse habere dictamen certum, & evidens de honestate, est evidenter falsa.

Punctum est ostendere, quomodo per N. principia Synderesis reflexa, & certa, & 55. evidentiā habere possim dictamen certum, & evidens reflexum de non peccato, & de honestate meæ operationis, esto mihi certum non sit esse honestum objectum, in quod per iudicium directum probabile feror; modo breviter hoc ostendo. Negari non potest, quod Fideles adorantes Christum D. in Hostiā exposita sint certi de non peccato, & tamen certi non ita sunt, quod in ea Hostiā sit Christus D. Similiter negari non potest pueros reverentes talem hominem tamquam patrem non sint certi de non peccato: sunt enim; & tamen nullus eorum est certus talem hominem esse patrem: ergo negari non potest, quod possit esse certum de non peccato dictamen reflexum supra iudicium directum incertum de non peccato. Ratio est evidens, si objectum iudicii directi ab objecto iudicii reflexi distinguatur; etsi motiva utriusque iudicii considerentur. In casu pueri obediens huic homini tamquam patri sunt duo iudicia: unum, *Hic homo est meus pater*; & hoc est iudicium directum, & non est certum, & habet pro objecto patrem, & pro motivo habet dictum huius, vel illius, quod talis homo sit suus pater: aliud, *Non pecco, immo honestè ago parendo talē homini tamquam patri*; & hoc iudicium est evidens, certum, & reflexum: est evidens, quia deducitur ex duplici præmissa evidenti, Omnis, qui paret homini, quem prudenter invincibiliter credit suum patrem, non peccat, sed honestè agit: sed mihi invincibiliter prudenter apparet hunc hominem esse meum patrem; ergo ei parendo non pecco, sed honestè ago. Ecce utraque præmissa est certa, & evidens; ergo & conclusio, quæ est dictamen reflexum, erit certum, & evidens. Rursus objectum dicti dictaminis reflexi tam materiale, quam formale, seu motivum, non est idem, ac objectum iudicii directi: objectum enim iudicii directi est, quod hic homo sit pater; ejusque motivum est autoritas eorum, qui hoc testantur: objectum autem, & motivum iudicii reflexi est

Hij

est



est honestas obedientie prestite patri, quia honestum est ei parere, qui mihi apparet prudenter pater; talis autem prudenter mihi apparet pater.

N.

56.

P. Eliz.

Si P. Eliz. ab objecto, & motivo iudicii directi distingueret objectum iudicii reflexi, & principia superaddita reflexa, ex quibus iudicium reflexum deducitur, non negaret me posse per iudicium directum non esse certum de non peccato, & de honestate; & tamen me posse simul esse certum de non peccato, & de honestate per iudicium reflexum, operando quod dicat iudicium directum incertum. Immo hoc P. Eliz. negare non potest, nisi suo Volumini renuntiet; totum enim cantat, & decantat rationes demonstrativas, & indubitatas, & tamen totum habet pro objecto probabilem opinionem tamquam illicitam. Sicut ergo ipse putat licitum non esse opinionem probabilem ex æquæ probabilibus, & multo magis minus probabilem; & hoc putat se demonstrare, adeoque sue rationes reflexæ sunt certæ, etiam sint circa probabilitatis non licentiam, quæ non est certa: cur non poterimus nos concipere iudicium certum reflexum de licito usu opinionis probabilis; & habere reflexam certitudinem de non peccato, sequendo hanc, vel illam opinionem probabilem directam, speculative incertam de non peccato? Omnis, cui post omnem, quam debet, diligentiam pro inventione veritatis, apparet aliquid non esse illicitum, immo esse licitum, non peccat, immo honeste operatur: sed mihi post omnem, quam debui, diligentiam pro inventione hujus veritatis, an pictura die festo liceat, prudenter apparet non esse illicita, immo licita; ergo ego pingendo non pecco, immo honeste operor. Ecce objectum iudicii directi probabilis est licentia picturæ ex hoc, aut illo motivo gravi: objectum mei iudicii reflexi est licentia picturæ ut subitans iudicio prudenti, seu certo probabili de non peccato, immo de honestate, & principiis reflexis certis suadentibus non esse peccatum, quod est certo probabiliter, seu prudenter non peccatum.

## §. III.

## Aliquorum solutio.

## SUMMARIUM.

S. Thom. vult necessarium dictamen moraliter certum de non peccato, n. 57.

Si conclusio syllogismi reflexi est ultimum dictamen, sustineri potest esse speculative verum, formando utramque præmissam certo speculative veram, ib.

Contradictio P. Eliz. n. 58.

Certitudo actus reflexi non derivatur à solo objecto actus directi, sed ab hoc ut dictamen esse probabiliter honestum, ib.

Mirum quod ait P. Eliz. probabilitatem esse regulam, & tamen negat probabilitatem certo cognosci, n. 59.

Regula debet esse nota, ib.

Idem dico de extrinseca probabilitate, quæ debet esse certo discernibilis. Cur? n. 60.

Cur P. Eliz. sibi frequenter contradicat? ib.

Certitudo probabilitatis est diversa pro materia diversitate, n. 61.

Contradictio P. Eliz. n. 62.

Consilium debet aqne ponderari, dum dicitur, adum editur, ib.

Consilium datum ab homine est tantum prudentialiter certum, non ita si à Deo, n. 63.

Qualiter concipere possim certum de non peccato iudicium in usu omnis opinionis certo probabilis, n. 64.

Falsum, quod ut quis sit certus de non peccato in tali opere, debeat esse certus se implere mensuram sollicitudinis. Cur? n. 65.

Etsi una communis cuique veritati inveniendæ diligentia mensura taxari non possit, potest tamen aliqua, accipiendo extrema aliquantulum inter se distantia, ib.

Sicut quis esse potest certus de peccato, dum peccat, ita de non peccato, dum non peccat, n. 66.

Non dicimus, quod nemo peccet eorum, qui putant se non peccare; sed dicimus, quod nemo peccet eorum, qui prudenter putant se non peccare, n. 67.

Et hinc convincitur quod quis possit habere certitudinem de non peccato, ib.

Scriptura non vult timendum de peccato, dum certi sumus de non peccato, sed timendum, ut peccemus, n. 69.

Tridentinum non excludit certitudinem mortalem, sed fidei Divinæ, de statu gratiæ, secundum revelationem, n. 70.

Etsi quis esset certus de non peccato in omni suo actu, non ideo de statu gratiæ. Cur? ib.

Nemo scit, an sit in gratiâ: non autem an non peccaverit, n. 71.

Ut quis certo peccet, satis ut careat dictamine certo de non peccato, non autem necesse, ut habeat iudicium certum de peccato, ib.

Confundit duo diversa, nempe quod sequens certo probabile sit semper certus de non peccato, & quod homo sit in omni suo actu certus de non peccato. Illud tantum assero; non hoc. Cur? n. 72.

Ad 1. dico S. Thomam probare, quod N. conscientia aliquando erret, quod n. 57. mo negat; inferre autem ex eo, quod S. Th. s. 1. dicit



dicat aliquando errare, quod conscientia semper erret, & quod dari non possit dictamen certum, & evidens de non peccato, & de honestate, est consequentia illegitima. De cetero meridiana luce clarius est ex quolib. 8. art. 13. S. Thomam velle semper tamquam necessarium, ut dictamen sit moraliter certum de non peccato, ne quis peccet, ut dixi *disp. 18. sect. 4.* Distinguenda ergo est duplex conscientia errans, vel vincibiliter; tunc autem hæc quando dictat tale opus non esse peccatum, non tantum errat, quin non tollit rationem peccati saltem in causa ab opere sub ea posito: vel invincibiliter; hæc autem licet erret speculative, non tamen practice; & qui eam sequitur, non peccat, & talis conscientia errans reducitur ad rectam practicam. Immo si conclusio syllogismi reflexi est ultimum conscientie dictamen, de quo infra, ne quidem est speculativè erroneum, nam sequitur ex præmissis veris speculative, & certis, nempe ex his: Omnis invincibiliter putans aliquid non esse peccatum, non peccat: ego invincibiliter puto mendacium leve, ut liberem innocentem, non esse peccatum; ergo ego invincibiliter proferens illud mendacium non peccor: ergo possum mentiri. Ecce ea prima consequentia est ultimum dictamen conscientie, & est speculativè verum, etsi altera sit omnino falsa.

N. 8. Ad 2. dico, quod juxta meam sententiam neganda est maior, nempe opinionem probabilem habere certitudinem à syllogismo reflexo: dicam enim habere ex se. Ut tamen ostendam argumenti falsitatem, concedo cum communi maiorem, & nego minorem, & antequam progrediar, apertam noto contradictionem: nam negat, quod judicium reflexum possit esse certum, & evidens, si directum sit tantum probabile; & tamen pag. 234. §. 2. expressè dicit, loquendo de probabilitate à nobis declarata, (nempe plerumque non fallente) *Alibi est evidens veritas hujus maioris, Licet sequi opinionem probabilem*: & tamen quis non videt, quod non est nisi cognitio reflexa considerans objectum directum ut subitans judicio probabili? Ergo objectum directum ut subitans judicio probabili potest esse certum, & evidens, si accedant alia principia, etsi judicium probabile ejusdem objecti non sit evidens, nec objectum ut cognitum per judicium probabile sit evidens. Quare recole doctrinam sæpius traditam, & tradendam de objectis actus directi, & actus reflexi, quæ toto celo distant: fateor, quod certitudo, & evidens sumatur ab objectis, non ab illis

nudè sumptis, sed ut per hanc, aut illam cognitionem propositis. In casu nostro objectum actuum Synderesis reflexorum non est purè, & præcisè id tantum, quod est objectum judicii directi probabilis, sed est idemmet objectum judicii probabilis ut subitans judicio probabili de ejus honestate: ergo certitudo actuum reflexorum non derivatur præcisè ab objecto actus directi, sed ab objecto actus directi ut dictantis illud esse probabiliter honestum; atque adeo hoc ultimum dictamen, *Ergo licet mihi sequi opinionem probabilem de non peccato in tali contractu*, est prorsus certum, etsi hoc judicium directum, *Talis contractus non est peccatum*, non sit certum.

Miror autem quod P. Eliz. qui copioso N. suo volumini grandiosum nomen intulit 50. de recta morum doctrina, postquam pluribus P. Eliz. aggregatis est aliorum sententias itatuentes rectam morum doctrinam in probabilitate, aut probabiliore, aut tutioritate, aut solâ certitudine, tandem idem P. Elizal. lib. 3. qu. 1. illam itatuit in probabilitate, ut ab eo explicatâ, nempe plerumque non fallente; & cum necesse esset, ut certò scire possemus, quandonam ea detur, ut sciamus, quandonam licet operari possimus, concedit maiorem hujus syllogismi, *Licet sequi opinionem probabilem*, esse evidenter veram: hanc autem minorem, *Sed opinio docens contractum A, non esse usuram, est probabilis*, negat esse certam, immo negat certò cognosci posse probabilitatem. Miror hæc. Quid enim prodest morum regulam tradere, & eam in casibus particularibus indiscernibilem asserere? Tradit autem P. Eliz. pro regula probabilitatem, quam tamen ait non posse certò cognosci. Utique perinde mihi est, ne operari possim, nescire quæ sit regula, ac nescire, an hic, & nunc detur: de ratione enim regule est, ut sit quid notum, & facile discernibile, ut eadem regulâ operationes nostras regere possimus: ergo si probabilitas est regula, debet in particulari hic, & nunc cognoscibilis esse in tali opere, ut per eandem ad operis executionem dirigi possimus.

Quod dico de intrinsecâ, dicendum quoque N. de extrinsecâ probabilitate, quæ etiam 60. debet esse certò discernibilis, alias nulli hominum in particulari fidere potero, nec ejus consilium sequi, si dubitem de sufficienti auctoritate, & hæc mihi non confert. Quod si quaeratur, undenam tam frequens in P. P. Eliz. contradictio, & tam distans à communi T. T. sensu sententia: Dicam in causa esse, quod modo totus rapitur ab his argumentis,



mentis, ex. gr. quòd probabilitas à veritate distinguatur; modò ab oppositis, quòd non distinguatur, ut accidit singulariter in casu præfenti; nam probabilitatem assignat pro regulà, etsi aliquando jungatur fallitati, ut dicit *lib. 3. qu. 1.* & tunc distinguit probabilitatem, & veritatem. Rursus negat probabilitatem certò cognosci posse, ut dicit *qu. 2.* & tunc probabilitatem confundit cum veritate, quæ quia sæpe est incerta, ideo infert incertam esse probabilitatem. Itaque raptus ab uno argumento dicit, quod argumentum infert; raptus ab opposito dicit oppositum.

N. In formà ad argumentum reflexum, dico  
61. maiorem illam, *Licet sequi opinionem certò præfictè probabilem*, esse saltem moraliter certam: minorem autem, *Sed opinio docens contractum A, non esse usuram, est mihi certò probabilis præfictè*, dico esse mihi certam: quod si ejus opinionis probabilitas non sit certa, tunc non licebit eam sequi, ut docui *disp. 18. sect. 3.* quare supponendum semper, quod opinionis probabilitas sit certa, ut hanc licite sequamur; atque adeo ea minor est saltem certa, aut evidens: ergo conclusio, quæ est ultimum dictamen, erit etiam omnino certa. Quod ait, opiniones communissimas aliquando pati exceptionem, fateor; at quid inde? Ergo quoties non patiuntur, & nemo contra eas excipit, erunt certò probabiles; immò etsi plures stent contra communissimas opiniones, ad summum enervant ejus veritatem, & rarò probabilitatem; alias nulli Ecclesiæ Doctores, cui alter æqualis contradicit, stari poterit, quia unus excipit contra sententiam alterius; nemo tamen cordatus dicet excipere contra ejus sententiæ probabilitatem; alioqui S. Thomas deserendus erit, quoties contra ejus sententiam stat D. Bonav. & econtra. Quòd si in cognoscendâ opinionis probabilitate detur aliqua peculiaris difficultas, tunc opus erit maiori diligentia, & quousque hæc probabilitas certò non constet, nequibo eam opinionem sequi. Ut enim ratio, quæ unum objectum reddit probabiliter licitum, non satis est, ut æqualis ratio reddat etiam probabiliter licitum aliud objectum; quod ipsum apparet in probabilitate extrinsecâ, eadem enim autoritas, quæ mihi persuadet fidem unius, non persuadet fidem alterius rei; immò maiori autoritate indigebo: ita nec certitudo probabilitatis est eadem in omnibus rebus, & quoad omnia.

N. Ad 3. dico eam maiorem, contra quam  
62. P. Eliz. tantum fervet, esse evidenter veram,

si intelligatur ut debet, nempe quicquid præviâ maturâ consultatione virorum verè proborum, & materiæ, de qua agitur, verè peritorum (si enim probi sunt, non erunt adulatores; si periti, non erunt ignorantes) facimus, sine peccato facimus. Est autem evidenter vera, non tantum, quia ut evidenter veram *qu. 2.* admittit P. Eliz. modò sibi contradicens; sed etiam quia nisi ea sit evidenter vera, non erit evidenter honestum, fidere viro probo, & prudenti; ergo ea maior est certò, & evidenter vera. Idem dico de minori, quæ est certò veræ ergo conclusio, seu ultimum dictamen conscientie erit certò verum. Ad declamationem, quòd si maior est vera, omnes librorum opiniones erunt tute, quatenus consilia magis ponderantur, dum eduntur, quam dum dicuntur, contra est 1. quia aliqua librorum opiniones sunt certò damnatæ, aliæ quæ certò falsæ; ergo objectio non tenet. Contra 2. quia vir probus, & doctus, si probè, & doctè procedat ut debet, æquè considerat quæ ore, ac quæ scripto consulit; una enim est regula, quæ movet probum, & doctum, sive verbis, sive scriptis consulat, nempe Dei gloria, & animarum salus, idemque ei stat iudicium Divinum.

Ad 4. dico nil minus inferri: qui enim N. Deum consultorem adhibet, est certus, & 63. quidem certitudine fidei, de veritate rei à Deo dictæ; qui verò sequitur consilium virorum verè doctorum, & proborum dicentium hoc non esse peccatum, est tantum certus certitudine prudentiali longè inferiori. Addo hoc solvendum à P. Eliz. in obe. 1. 2. di. 1. qui scit se obediendo non peccare; ergo erit æquè certus, ac si Deo obediret. Quod addit, ne quis de se præsumat, sed cum timore operetur salutem: dico non ideo necesse esse, ne sit certus de peccato in hoc, vel illo opere; alias vix nobis, si in omni opere timendum prudenter esset de peccato: sed satis ut hoc ipsum certitudinis lumen cognoscat à Deo esse, se ab eo pendere, se nil boni ex se habere, se ad prava continuo inclinatum.

Ad 5. dico omnia, quæ trahit, probare, N. quòd sæpe repugnet, ut sim certus de non 64. peccato; at quid inde? tunc tenebor non operari. Secundò dico, quod examinare probabilitatem hujus, aut illius opinionis in particulari, sit Theologorum; hi enim ponderare debent fundamenta: ego autem mixtae authoritati eorum, quorum plurimos non nisi imprudenter judicare possum debita diligentia non esse usos, possum formare de eas opiniones sequi, & certum formare de non



non peccato iudicium. Cum ergo certum mihi sit plurimos ex illis, qui nostrę sententię de licito usu cuiusvis opinionis certę probabilis practicę subscribunt, fuisse viros sapientiā, & omnium virtutum splendore conspicuos: rursus cum etiam mihi certum sit plurimos, qui hanc aut illam opinionem examinarunt, censere eam certę probabilē, hinc absque aliā diligentia concipere possum iudicium certum de non peccato in usu omnis opinionis certę probabilis practicę.

In formā nego prius maiorem, quod ut quis sit hic, & nunc in tali opere certus de non peccato, debeat esse certus se implese menturam sollicitudinis, quam quisque adhibere debet, ut salvetur: nego, inquam; tum quia vivens in mortali nunquam certus esse posset se non peccare mortaliter, etiam dum alia pręcepta implet, ex. gr. jejuna, orat, sacrum audit: tum quia sollicitudo necessaria ad æternam salutem, & omnia ad eandem necessaria, non est necessaria, ut habeatur certitudo non peccati in hoc, vel illo opere particulari; satis enim ad hoc est, ut quis vel sequatur opinionem, quam homines pii, & docti dicunt de non peccato certę probabilē; vel ipsemet talem iudicet. Similiter dico, quod etsi taxari non possit certa mentura diligentię pro inveniendā in singulis casibus veritate, immo est impossibile; ut enim casus, tempora, personę, negotia, sunt diversā, ita & diligentia; ejusque mensura debet esse diversa, & ideo hæc communiter remittitur iudicio prudentum, qui casuum circumstantias ponderant, & juxta illas necessaria mensuram diligentię taxant: etsi, inquam, una necessaria diligentia mensura taxari adamussim non possit, aliqua tamen taxari potest: eo modo, quo licet adamussim taxari non possit quantitas cibi, & furti requisita tamquam supremum, quod jejunans, & furans transgredi nequeat absque mortali; quod idem est de quantitate attentionis in persolvendo Officio, & Sacro audiendo; quam si quis non impleat, non satisfaciens Ecclesiasticis pręceptis Officii, & Sacri; attamen certum est aliquam quantitatem excedere furtum leve, aliquam non excedere; aliquam excedere jejunium, aliquam non excedere: ita similiter, licet perfecta mensura diligentię ad inventionem veritatis necessaria taxari non possit, attamen scitur tantam satis esse, tantam non esse satis, procedendo per extrema aliquantulum inter se remota: etsi procedendo inter extrema summę propinqua non possit taxari mensura.

Demum dico me omnino ignorare, cur N. quis plerumque in operibus particularibus certus esse possit de peccato, ex. gr. dum fornicatur, furatur &c. nequeat autem quis esse certus de non peccato fornicationis, & furti, dum non fornicatur, & non furatur. Væ nobis, immo eidem P. Eliz. si ejus doctrina est vera! Quęro enim, an dum jejunavit, recitavit, scripsit, aliaque egit, quę prudenter iudicavit esse bona, quęro, inquam, an nunquam habuerit certitudinem de hoc, quod ea pręcepta implevit, adeoque de suo non peccato? Si dicat, quod non; condolebo homini, qui doctrinam anxietatibus, & scrupulis fecundam tam improbo labore exaravit, ut dicat se quidem esse certum de peccato, dum peccat; nunquam autem esse certum de non peccato, dum non peccat; nam de peccato habet certitudinem, dum peccat; de non peccato, habet tantum probabilitatem, dum non peccat. Si affirmat, habeo intentum.

Quod ait falsam esse hanc maiorem, ex N. quā nos certitudinem non peccati deducimus, *Omnis putans se in aliquo actu non peccare, non peccat*: fateor ita prolatam esse certę falsam; etenim putans ex errore vincibili se non peccare, reverā peccat; ergo est evidenter falsa. At quę falsum est, quod P. Eliz. nobis imponit, nempe nos ex eā maiori inferre certitudinem non peccati; falsum inquam; nam maior ita fieri debet: *Qui ex principio verę prudenti putat se in aliquo actu non peccare, non peccat*. Hęc autem maior est prorsus certa; sicut etiam hæc minor, *Sed ego prudenter iudico me hoc operando non peccare*, quatenus prudenter iudico me nil omisisse eorum, quę debui: vel enim sermo est de idiota consulente virum, quem invincibiliter putat esse pium, & doctum; hic autem scit se fecisse omnia, quę debuit, & ad nihil amplius tenebatur: vel sermo est de viro docto; hic autem non tantum per se ipsum serio examinavit, an tale opus sit peccatum, sed & ab aliis viris doctis vidit hoc diligenter examinatum; ergo hic etiam scit se fecisse, quod debuit: ergo ea conclusio, *Ego in tali opere non pecco*, est omnino certa.

Cæterum, ut videamus infirmitatem doctrinę P. Eliz. totum hoc ipsum argumentum, quod contra nos urget, evertit ejus intentum, & probat oppositum, nam concedit hanc maiorem esse evidentem, *Qui facit quod putat esse licitum, non peccat, si nil omisit eorum, quę facere debuit*: ergo (infero) impossibile non est, ut per principia reflexa certus sim de non peccato, etsi per actus directos certus non sim: idiota enim per principia



pia reflexa est certus de non peccato, faciendo tale opus, quod nescit directe, an sit peccatum; nam idiota utitur eâ maiori, quam etiam P. Eliz. dicit evidentem; & illi addit hanc minorem, *Sed ego scio me nihil omisisse eorum, quæ debui*; scio enim me consilium petisse a viro, cui teneor credere, & me tradere gubernandum: ergo idiota est certus per principia reflexa de non peccato; ergo non per actus directos; ergo dari potest certitudo per principia reflexa de non peccato in eo opere, quod per actus directos ignoro, an necne sit peccatum: ergo ejus argumentum evertit ejus doctrinam.

N.

69.

P. Eliz.

Ad 6. dico tantum abesse, ut sacra Scriptura faveat P. Eliz. quin stat contra illum; si enim ex textibus, qui præferunt timorem, & sollicitudinem, inferri nos non posse esse certos de non peccato in hoc, aut illo opere; ita ex textibus, qui præferunt cordis dilationem, inferam ego nos posse esse certos de non peccato: at sicut ego male inferrem, ita ille. Itaque Scriptura enixe commendat timorem, sollicitudinem, diligentiam in animæ rebus: sicut autem hæc omnia excludunt certitudinem non peccati in socordibus; ita in diligentibus stant cum certitudine non peccati. Non igitur Scriptura vult timendum de peccato, dum certi sumus, quod non peccamus, sed timendum semper, ne peccemus. Immo ad P. Elizald. appello; quæro enim, an qui ex probabili conscientia, seu ferè numquam fallenti putat se non peccare in tali opere, an tunc timeat de peccato? Sanè negat, nam ait, quod cum probabili opinione de non peccato stat possibilitas peccati, adeoque stet timor de possibilitate, non autem timor peccati: ergo si possibilitas asserta à P. Eliz. excludit omnem timorem peccati, quoties quis sequitur opinionem plerumque non fallentem de non peccato, etsi non excludat judicium, quod tale opus, ut divisum ab eo judicio probabili de non peccato, possit esse peccatum; nec hoc est contra Scripturam inculcantem timorem, nec est contra eundem negantem necessariam esse certitudinem non peccati exclusivam omnis timoris peccati; eo ipso argumentum ex Scripturâ est ab omnibus solvendum, & integrum manet, si ve asseratur cum P. Eliz. quod ad non peccatum hæc, & nunc satis sit probabilitas de non peccato hic, & nunc; si ve asseratur necessaria certitudo, ut nos volumus.

N.

70.

Tidæ.

Ad Tridentinum transmittito totum argumentum: data enim hypothefi, quod quis sit certus post Baptismum de non peccato in omni suo actu; & data hypothefi, quod quis

sit certus se tunc recepisse gratiam sanctificantem, utique hic erit certus de statu gratiæ. At quid hoc ad nos? nam ex falso supposito, ut vero, sequi potest verum. Rursus quid hoc ad casum præsentem? Nam Tridentinum excludit certitudinem fidei de proprio statu gratiæ: nos autem adhuc dato utroque ut certo, & quod per Baptismum receperit gratiam, & quod quis certus sit de non peccato in omni suo actu, ad summum damus certitudinem longè inferiorem certitudine fidei. Adde male inferri ex eo quod certus sim de non peccato in omni meo actu, me quoque esse certum de statu gratiæ; nam certus non sum, quod ea mihi infusa fuerint: etenim ad statum gratiæ requiritur, tum negatio omnis peccati mortalis, tum ejus infusio: ergo etsi certus sim me numquam peccasse mortaliter, non ideo certus sum de statu gratiæ: hæc enim pendet ab intentione baptizantis, aut absolventis, vel ab actu contritionis supernaturalis, cujus certitudinem numquam habere possum. Possum quidem certus esse quod actum honestum operatus sim; naturalem autem, an supernaturalem, nescio ullâ certitudine, etsi probabilitatem de actu contritionis habere possum. Confundit igitur P. Eliz. certitudinem non peccati cum certitudine gratiæ; & certitudinem honestæ operationis cum certitudine operationis supernaturaliter honestæ.

Ad rationem, nemo scit, an odio, an N. amore dignus sit, eam transmittito; ex hac enim unice sequitur neminem scire, an sit in gratiâ; non autem sequitur neminem scire, an necne peccaverit; nam qui liberè, & voluntariè non peccat, debet esse certus de non peccato; & hoc est unice quod docemus; dicimus enim ad non peccandum liberè requiri certitudinem non peccati; & ad honestè operandum requiri dictamen certum de honestate operationis. Non autem dicimus quod ad peccandum requiratur dictamen certum de peccato, immo infra dicemus non requiri: ut enim quis peccet, satis est, ut operetur sine dictamine certo de non peccato; non autem requiritur, ut habeat dictamen certum de peccato.

Adde argumentum ex alio capite non esse N. ad rem; nam quod impugnare debet, est, quod possimus esse certi de non peccato, quando scienter sequimur opinionem certo probabilem practicè; hoc enim est quod asserimus: ipsè autem impugnatur, & probatur nos non posse semper esse certos de non peccato, quod non asserimus. Quis enim est qui post longum temporis tractum certus sit, quod toto eo tempore non peccaverit, quod semper



semper opinioni certò probabili adhaerit, quod gravibus tentationibus, ut debuit, resistit? Vtique paucissimi isti sunt; ergo confundit duo inter se valde diversa; unum, quod qui sequitur opinionem certò probabilem, semper certus sit de non peccato in eam sequendo; alterum, quod quis semper certus sit in omni suo opere de non peccato.

§. IV.

Reliquorum solutio.

SUMMARIUM.

Confundit duo proximè relata, n. 73.  
Quilibet de statu gratiae formidare potest, adeoque de digna sumptione Eucharistiae. Cur? n. 74.

Certitudo de statu gratiae non est dispositio ad Eucharistiam requisita; sed sola certitudo de non peccato moralis, n. 75.

Alia in hanc rem; & quid fructuosa, & infructuosa susceptio, n. 76.

Potest aliquis non digne, & non fructuose sumere, & tamen non peccare, n. 77.

Nulla inter nostrum iudicium reflexum, & directum repugnantia, ob diversa objecta, n. 78.

Potest iudicium directum de objecto esse incertum, & tamen iudicium reflexum de formalitate bonestate esse certum. Exempla iudicis, Filij, Idiota, ib.

Certitudo de statu gratiae, quia non est in nostra manu, ad eam non tenemur; tenemur ad certitudinem de non peccato formali, quia ea est in nostra manu, n. 79. 80.

Eius argumentum est evidenter contra illud, n. 81. 82. 83.

N. 73. **A**d 7. dico hoc etiam argumentum confundere hæc duo; an sequens scienter opinionem certò probabilem practicè possit esse certus de non peccato; & affirmamus; & an omnis operans sit certus de non peccato in omni suo opere; quod, regulariter loquendo, de quolibet homine dici non potest. Rursus peccat etiam, quia aliud est, quod omnis non peccans, ut non peccet, debeat esse certus de suo non peccato, quod verum est; aliud, quod, ut peccet, debeat esse certus de suo peccato, quod falsum est; per hoc enim precisè, quod quis careat certitudine non peccati, eo ipso peccat, si cætera adsint. Demum dico, quod omnis peccans ex ignorantia, si ignorantia sit vincibilis in causa, satis sit, ut in causa experiat actuali remorsum; si in se, ut cum in se experiat.

N. 74. Ad 8. fateor quemlibet de gratiae statu formidare posse, quia nemo habere potest,

vel certitudinem fidei, vel certitudinem naturalem de suo statu gratiae, ob dicta; & distinguo consequens: ergo quilibet formidare potest, an sit rectè dispositus ad Eucharistiam, si per rectam dispositionem intelligatur status gratiae, concedo consequentiam; si intelligatur precisè non peccatum in accedendo ad illam, nego consequentiam. Vt quis sit rectè dispositus ad Eucharistiam, necesse non est, ut sit certus de statu gratiae, satis ut certus sit de non peccato mortali, seu se non esse in mortali. At loquendo de Sacramento Pœnitentiae, tantum abest, ut necessaria sit certitudo de statu gratiae, quin potest esse certus de peccato mortali, & tamen ad illud sine novo peccato accedere; satis igitur est, ut prudenter iudicet se nihil eorum omisisse, quæ ad illud Sacramentum ritè suscipiendum necessaria sunt.

Ad subseptimum, distinguo: Qui non est N. certus de sufficienti dispositione, si per dispositionem intelligat certitudinem status gratiae, non est certus se non peccare in actuali Sacramentorum susceptione, nego suppositum subseptimi; supponitur enim, quod certitudo status gratiae sit dispositio prærequisita, quod falsum est; nam recta dispositio est certitudo, quod non existam in culpa mortali; & dummodo invincibiliter putem me non esse in mortali, sum rectè dispositus, si cætera adsint ad Sacramenta vivorum ritè suscipienda. Dico, si cætera adsint; ea enim Sacramenta præter non existentiam in culpa mortali prærequirunt alias dispositiones; ex. gr. Eucharistia aliquam ex præcepto præviam devotionem, & reverentiam, & Sacramenti intelligentiam. Si autem per rectam dispositionem veniat certitudo de non mortali, dico eam requiri, ut rectè accedam ad Sacramenta vivorum. Nota autem, quod tò rectè sumi potest tum positivè, tum negativè; positivè sumitur, quando idem est, ac ut fructuose accedam, & fructum Sacramenti percipiam, qui est gratia; negativè sumitur, quando idem est ac non fructuose, seu sine novâ culpa mortali sacrilegii.

Porro, quod dico, requiri certitudinem N. de non existentia culpe mortalis, ut rectè fructuose, & digne accedam, tò rectè digne, fructuose, intelligo negativè; non verò positivè, id est, ut accedam abique eo quod per accessum committam novum mortale; non autem ut per accessum acquiram novum fructum gratiae. Quare infructuosa dispositio ad Sacramenti effectum non infert peccatum in suscipiendo; si quis enim invincibiliter putet se non esse in mortali, sit tamen,



men, iste instructuose positivè accedit, non enim habet statum gratiæ; adeoque nec acquirere fructum, seu gratiam, quæ datur per Sacramenta vivorum, nec tamen peccat mortaliter. Ex quo patet, quod licet homo certus non sit de debita dispositione ad suscipiendum fructuose Sacramentum; (ea enim debita dispositio est status gratiæ præviuus, & alia requisita juxta peculiarem cujuslibet Sacramenti vivorum exigentiam; in Sacramentis autem mortuorum non est status gratiæ, sed sunt actus prærequisiti à quolibet Sacramento mortuorum) licet, inquam, homo certus non sit de debita dispositione ad suscipiendum fructuose Sacramentum; potest tamen certus esse de non peccaminosa Sacramenti susceptione. Ratio est; quia tota ratio peccati, vel non peccati, non dependet à digna, vel non digna, seu à fructuosa, vel instructuosa Sacramenti susceptione, ut putat P. Eliz. sed immerito. Hoc patet exemplo invincibiliter putantis se esse in gratiâ, cum tamen esset in mortali; iste non sumeret dignè, seu fructuose Eucharistiâ, nec tamen peccaret mortaliter eam sumendo: ergo digna, seu fructuosa positiva Eucharistiæ sumptio non pendet unice à non peccato mortali; etsi digna negativè Eucharistiæ sumptio pendeat à non peccato mortali, si cetera requisita adsint.

P. Eliz.

N.

77.  
P. Eliz.

Ad id, quod addit, non dari duplicem legem, unam de digna susceptione, aliam de non peccato; adeoque cum non detur certitudo de digna sumptione, nulla quoque dabitur de non peccato in actuali sumptione. Dico mea parum referre, ut unam, aut plures leges admittas; hoc certum, posse aliquem non dignè sumere, & tamen non peccare novo mortali non dignè sumendo; ut patet tum in ignorante invincibiliter hanc, vel illam dispositionem actualem necessariò prærequiri ad Sacramenti sumptionem; tum in putante invincibiliter se esse in gratiâ, & alia requisita habere. Ecce iste non peccat novo mortali sumendo Sacramentum, nec tamen dignè sumit; ergo idem non est digna sumptio Sacramenti, ac certitudo de non peccato in ejus sumptione.

N.

78.

P. Eliz.

Ad 9. dico sine jure objici Probabilistis repugnantiam, nam implicat repugnantia, quoties sunt diversa objecta; nam repugnantia est de eodem secundum idem, sed diversa sunt objecta. *Pistura non licet: Pistura ut asserit per judicium probabile de ejus honestate est certo licita:* ergo nulla est repugnantia inter judicium directum, quod habet pro objecto non licentiam picturæ, & judicium reflexum, quod habet pro objecto licentiam

picturæ ut substantem judicio certo probabili de ejus licentiâ. Si autem nulla est repugnantia inter ea duo judicia, directum probabile, *Pistura non licet*; reflexum certum, *Pistura ut asserit per judicium probabile honesta licet*; multo minus dabitur repugnantia inter hæc duo judicia ambo affirmativa, directum probabile, *Pistura licet*; reflexum certum, *Pistura ut substantem judicio certo probabile de ejus licentiâ licet*. Sane nemo cordatus negare potest, posse judicium directum esse incertum, & judicium reflexum supra illud esse certum. Ita Judex per judicium directum incedens juxta allegata, & probata, & nixum auctoritati humanæ non est certus de crimine Petri, immò scientiâ privatâ potest esse certus de non crimine Petri; & tamen est certus se honestè operari professendo sententiam contra Petrum probatum reum; idem dico de puero, qui non est certus hunc hominem esse suum patrem, & tamen est certus de honestate obedientiæ illi præstitæ; idem de idiotâ, qui non est certus, quod Parochus verum dicat circa mysterium propositum, & tamen est certus se honestè imperare actum fidei circa illud. Ecce igitur nullam inter actus directos, & reflexos repugnantiam; nam non tantum habent diversa objecta formalia, seu motiva, sed & diversa materialia; objectum enim materiale actus reflexi; non tantum est id, quod est objectum actus directi, sed etiam ipse actus directus; est enim objectum ut substantem judicio directo; objectum autem actus directi non est ipse actus directus: ergo objecta materialia actus directi, & reflexi sunt diversa: ergo nulla inter hos actus repugnantia.

Ad 10. dico, quod textus D. Thom. unicè neget certitudinem esse necessariam in omni judicio directo, quia sæpe repugnat; non autem negat, quod inesse debeat actui reflexo, ut patet exemplis mox adductis, quæ S. Thom. ignorare non potuit. Adde S. Thomam stare pro nostrâ sententiâ, quam dabimus. Ad rationem dico, quod certitudo de statu gratiæ, quia haberi non potest, ideo eam habere non tenemur; quia vero certitudo de honestate operationis haberi potest, ideo hanc habere tenemur; tenemur enim certi esse, quod sequendo minus tutam minus probabilem non peccemus; aliâs teneremur ad tutiorem, & probabiliorem, quas sequendo certi sumus non peccare formaliter; etsi non certi simus, loquendo de probabiliore, non peccare materialiter. Cum autem sæpe judicium certum de probabilitate opinionis repugnet, & sæpe tutior non



non sit probabilis, hinc possumus sequi minus tutam minus probabilem; quia verò hanc sequendo, aiunt Probabilitæ Reflexivæ, certi non sumus de non peccato formali, exponi autem ejus periculo sit peccatum, ideo appellant ad iudicium reflexum certum de non peccato formali, ponendo tale opus ut subitans iudicio certo probabili de honestate: ergo licet nullus sit vituperabilis ex eo quia non est certus se esse in gratiâ, nemo enim vituperabilis est, si careat eo, quod habere non potest; est tamen, qui potest esse certus de non peccato, & de honestate, non vult eam certitudinem habere.

N. 80. P. Eliz. Quod ait, quod operari sequatur ad esse, dico similia axiomata egere fultâ explicatione, de quâ latè Philoſophi, & Theologi. Quod scio est, esse contra P. Eliz. ut enim nemo certò scit, an sit in gratiâ, ita nemo certò scit, an operatio sua sit ex gratiâ: econtra sicut omnis scit certitudine naturali se esse, ita eadem certitudine scire debet, qualis sit sua operatio; quia verò directè scire hoc ipsum, est sæpe impossibile, ideo natura providit nobis principia certa reflexa, ex quibus iudicium certum reflexum de qualitate nostrarum operationum deducere possumus. Ad aliam rationem patet ex mox dictis.

N. 81. Ad 11. dico evidens dari contra ejus doctrinam argumentum; nam ejus doctrina est, non posse per principia reflexa certificari de non peccato, dum sequimur iudicium tantum probabile de non peccato: argumentum ejus est, quod opinio probabilis raro fallat, & inde infer licitum sequi opinionem probabilem; ergo ut probet licere sequi probabile, reflexo utitur argumento. Vel igitur hoc argumentum reflexum est certum saltem sibi, vel non? Si est certum; ergo per principium, & argumentum reflexum, qui sequitur opinionem probabilem de non peccato, potest esse certus de non peccato, adeoque tota ejus doctrina evertitur. Si non est certum; & sic sicut dicimus non satis esse iudicium directum probabile de non peccato, quia exponimur probabiliter periculo peccati; ita dicam, quod non satis erit illud argumentum reflexum incertum ob eandem rationem.

N. 82. Quare licet verum sit, opinionem certò probabilem raro fallere, nam inter certò probabiles longè plures sunt veræ, quàm falsæ, etenim pleræque ex falsis non sunt certò probabiles; attamen probabilitas non est satis, sed tenemur ad certitudinem de non peccato habendam. Similiter etsi verum sit, quod operans ex probabili non di-

cat, *Volo facere hoc, etsi forte sit contra Dei legem*; sed dicat, *Volo facere hoc, etsi forte esse possit contra Dei legem*; attamen illi duo actus sunt æquivalenter idem in ordine ad exponendum hominem periculo peccati; & non minus habet voluntatem non bonam, qui habet primum, quàm qui secundum actum; ergo necesse est aliunde haurire certitudinem, sive à iudicio reflexo, ut Reflexivæ, sive ab ipsamet probabilitate, quæ est intransitivè, & per se certitudo non peccati, ut nos diximus. Addo me inter hos duos actus, *Fortè actus est contra Dei legem: Possibile est, ut hic actus sit contra Dei legem*, nullam videre differentiam, nisi materialem, qualis est inter actum, & potentiam; ergo si teneor vitare illum, teneor vitare alterum, nam actus supponit potentiam.

Ad 12. dico paritatem non esse ad rem; N. 83! aliud enim est, quod sæpe certi non sumus nos restituisse tentationibus vehementibus; aliud, quod nos certi non sumus de non peccato, dum liberè omnino, & deliberatè opinionem aliquam certo probabilem eligimus. Admitto primum, quod non est ad rem, & nego secundum. Addo ex non certitudine de resistentiâ tentationis unicè inferri, quod tunc sæpe non sumus certi de non peccato: quid autem ex hoc inferitur, nisi nos sæpe de non peccato certos non esse? quod verum est: non autem inferitur, quod ut sine peccato operemur, necesse non sit, ut certi simus de non peccato; dico enim hoc semper esse necessarium.

## S E C T I O III.

*Argumenta Palanci, P. D. Thyrsi, P. Munieſa, Candidi, & aliorum.*

## §. I.

*Argumenta Palanci.*

## S U M M A R I U M.

*Quia in sequente minus probabilem dari non potest certitudo reflexa de honestate formali operis, n. 84.*

*Solvo, n. 85. 86.*

*Quia a nobis ad probabilitatem practicam innumera requiruntur, & plerumque implicat evidentiâ de probabilitate opinionis, n. 87.*

*Retorqueo, n. 88. 89.*

*Non est difficile invenire certò probabilem; & quæ talis sit, n. 90.*

*Confundit probabilitatem cum veritate, ib.*

*Satis, ut rationes probabiles appareant connexæ cum veritate objectivâ opinionis, n. 91.*

*Arguit, quia certitudo honestatis formalis excludit formidinem prudentem oppositi asserti.*



tam ab Apostolo, & auget presumptionem,  
n. 92.

Retorquetur, n. 93.

N.  
84.

Palanc.

**A**rguit 1. qm. 33. num. 23. quia non est unde certitudo de honestate formali operationis provenire possit in eo, qui sequitur æquè, aut minùs probabilem; cum enim incertum omnino sit, an tale opus liceat, seu an objectum sit re ipsa licitum, aut vetitum, quomodo potest quis esse evidenter certus de honestate formali electionis objecti incerti? O mirabilis chimæra! Ergo haberi non potest certitudo reflexa de honestate formali operationis. Nec enim satis est dicere, quod eliciens sit certus de eo, quod opinio sit verè probabilis. Contra enim est; quia si opposita est æquè, aut magis probabilis, non potest esse certus, quod ea opinio sit simpliciter probabilis; hoc enim est falsum; sed tantum, quod sit probabilis secundum quid: sed probabilitas secundum quid non est satis ad honestè formaliter operandum: ergo haberi non potest certitudo reflexa de formali honestate operationis in eo, qui sequitur æquè, aut minùs probabilem.

N.  
85.

Resp. certitudinem reflexam oriri ex præmissis certis, & evidentibus saltem ipsis Probabilistis; quales sunt, Licitum est sequi æquè, aut minùs probabilem: sed opinio docens licere die festo picturam est talis: ergo licet sequi opinionem probabilem dicentem, licere die festo picturam. Ecce 1. utriusque præmissa est nobis certa. Ecce 2. etsi incertum nobis sit, an pictura die festo sit, vel non sit in se licita, certi tamen sumus de honestate formali electionis picturæ die festo: hæc enim certitudo de eadem honestate oritur ex dictis præmissis. Parcere igitur poterat exclamationi. Rogo enim, an qui diceret hunc syllogismum reflexum esse certum, diceret chimæram, Licet sequi longè probabiliorem? sed opinio stans pro licentiâ picturæ die festo est longè probabilior; ergo licet eam opinionem sequi. Sanè maior extollitur à Palanco tamquam certa; & tamen omnes Tutoristæ putant illam falsam; & omnes Probabilistæ putant etiam illam falsam, si detur obligatio sequendi probabiliorem præ minùs probabili. Minor constat rationibus, quæ magis, & vehementius inclinant intellectum, immò experientia, ut sæpe dicit. Sicut igitur, si Probabiliorista hoc diceret, nullam diceret chimæram, etsi falsum diceret, ita nec nos.

N.  
86.

Ad replicam dico certissimum mihi esse, quod minus, aut æquè probabilis in conspectu probabilioris maneat simpliciter, & ab-

solutè probabilis, & non tantum secundum quid: hoc autem ita certum mihi est, quam certum mihi sit, quod D.D. assentientes opinioni contradictoriæ, habeant rationes validas, & ego cognosco esse validas; nec mihi tantum tribuere volo, ut quia meæ rationes videntur mihi validiores, iudicem rationes oppositas nullius penes me valoris esse.

Arguit 2. n. 24. Ad veram probabilitatem N. practicam tot à nobis assignantur, ut facilis sit lapidem Philosophicum, quam veram Probabilitatem invenire; nam ratio, quæ ab uno dicitur gravis, & solida, ab alio rejicitur ut falsa, & sophistica: ergo plerumque saltem implicat evidenter scire, quod opinio, quam quis sequitur, sit verè probabilis. Urget num. 25. argumento, ut ait, semper difficili: Si opinio, quam quis sequitur, in re est falsa, rationes, & fundamenta erunt necessario purè sophistica, & apparentia, nam re ipsa non probant eam opinionem esse veram, sed purè apparenter; sed scire non possumus evidenter de opinione purè probabili, utrum sit vera, vel falsa, ut fatemur; ergo evidenter scire non possumus, utrum ea motiva, & rationes sint revera solida, vel sophistica.

Sed contra 1. quia si est plerumque impossibile evidenter scire, quæ opinio est verè probabilis, quomodo scire poterimus, quæ sit verè longo excessu probabilior; & tamen permittit, & obligat nos inter probabiles ad longo excessu probabiliorem? Quæro enim, an probabilior, ad quam obligas, debeat esse tibi longo excessu certò probabilior, an verò debeat tantum esse tibi longo excessu, probabiliter, aut probabilius probabilior? Si dixeris primum, contra est; quia si difficile, & plerumque impossibile est certò scire, quæ opinio sit verè probabilis, multò magis certò scire, quæ sit verè probabilior longo excessu. Si dixeris secundum, contra est; quia si nos concedendo licitum sequi minus, aut æquè probabilem, dummodo sit certò probabilis, laxamus, ut dicis, conscientiam; longè magis tu laxas, immò ad laxitatem obligas, dum inter probabiles obligas ad longo excessu probabiliorem, quin requiras, ut sit certò non tantum longo excessu probabilior, sed ne quidem ut sit certò probabilis.

Contra 2. quia argumentum, quod vocat N. difficile, contra illum militat; quia si opinio, quam sequitur ut probabiliorem, est in re falsa, ergo ejus rationes erunt sophistica.

In formâ dico non esse difficile invenire N. opinionem certò probabilem; ea enim est, quæ



quæ nititur rationi, quæ mihi apparet certò  
gravis, & solida; ut enim fundamentum  
aliquid sit certò, & verè probabile, non est  
necesse, ut verè connectatur cum re, quam  
probat; aliàs probabilitas objectiva, & ve-  
ritas objectiva idem essent; quod est certò  
falsum ex disp. 4. & 5. sed satis est, ut mihi  
certò appareat quòd connectatur. Vt enim  
ad hoc ut opinio sit verè probabilis, aut pro-  
babilior, necesse non est, ut sit in re vera,  
nam plura probabilia, immò probabiliora  
sunt in re falsa; ita ad hoc, ut ratio sit solida,  
gravis, & probabilis, aut probabilior, ne-  
cesse non est, ut verè uniatur cum suâ  
conclusionem; (nam aliud est probabilitas,  
aliud veritas) sed satis, ut mihi sit moraliter  
certum, quòd talis ratio sit gravis, sive unia-  
tur, sive non uniatur in re cum conclusione.  
Quare dummodo certus sim, quòd talis ra-  
tio magnam habeat apparentiam connexio-  
nis cum tali objecto, ratio est mihi certò  
gravis; & dummodo certus sim, quòd ea  
conclusio magnam habeat veritatis apparen-  
tiam, est mihi certò probabilis; quidquid  
deinde sit, an ratio, quæ mihi est certò gra-  
vis, seu certò videtur mihi concludere, re-  
verè concludat, an non; nam possum esse  
certus de magnâ verosimilitudine, quin sim  
certus de veritate, ut alibi fatetur Palanco,  
& experientia testatur.

Ad aliud fateor, quòd si opinio sit falsa,  
ejus rationes non erunt cum illâ in re con-  
nexæ, adeoque in hoc sensu erunt sophisti-  
cæ, falsæ, & purè apparentes; at hoc non  
tollit, quòd si mihi certum sit, eas habere  
magnam veritatis apparentiam, non sint  
mihi certò probabiles, aut probabiliores. Ita  
si quis mihi fide dignus dixerit Petrum gra-  
viter infirmum, esse mortuum, certus sum  
de magnâ veritatis apparentiâ in hoc judi-  
cio, Petrus est mortuus, etsi ea autoritas tunc  
fuerit in re falsa. Moneo tamen, ne fiat  
equivocum in tò purè apparens; si enim sig-  
nificet, quòd autoritas, aut ratio conclu-  
sionis sit in re falsa, & sophistica, fateor ita  
esse; si significet, quòd non sit mihi certò  
apparenter vera, nego; est enim mihi cer-  
tum, quòd mihi appareat vera. Omitto alia  
sumpta ex confusione sapientiæ, & pruden-  
tiæ cum veritate.

Arguit 3. à n. 38. certitudinem de hone-  
state formali exclusivam omnis formidinis  
de non peccato formali esse noxiam hone-  
stati, & virtuti; tum quia excutit timorem  
necessarium ad salutem assequendam, ut ait  
Apostolus; tum quia tollit diffidentiam sui,  
& ansam præbet presumptioni, & opponi-  
tur humilitati, & nostræ salutis sollicitudini.

Resp. aliam esse formidinem prudentem, N.  
aliam imprudentem: prudens oppositi for-  
mido tollitur à certitudine; imprudens à  
solâ evidentia. Qui ad iudicium reflexum  
recurrunt tamquam necessarium, ut quis sit  
formaliter certus de non peccato formali in  
operando; vel qui necessarium negant, di-  
cunt: cuique opinioni certò probabili inesse  
certitudinem; non autem negant, immò af-  
firmant compati cum eâ certitudine formi-  
dinem imprudentem; quod etiam affirmat  
Palanco dicens, cum iudicio probabiliori di-  
recto compati imprudentem formidinem,  
& ut loquitur, per modum scrupuli de for-  
mali honestate operationis sub eo iudicio  
positæ. Quare quod Reflexistæ negant, est,  
compossibile esse cum eo iudicio certo re-  
flexo de honestate formali formidinem pru-  
dentem de opposito; & sic conveniunt cum  
Probabilioristis, sive negent, sive affirmant  
iudicii reflexi necessitatem; immò cum om-  
nibus, & illis tantum opponuntur, qui do-  
cent necessariam esse evidentiam, aut certi-  
tudinem de veritate iudicii directi; vel illis,  
qui docent non satis esse, ut iudicium reflexum  
sit certum, sed debere esse evidens de  
honestate, ut quis honestè formaliter opere-  
tur. Quòd si Palanco eos tantum impugnat,  
qui evidentiam exigunt, & non tantum asse-  
runt, rectè faciet; si eos qui solam certitudi-  
nem requirunt, non rectè, immò se iptum  
impugnat.

§. II.

Argumenta Candidi, Riccij, & P. Muniesæ.

SUMMARIUM.

Plura alibi solvi, n. 94.

Arguit Mun. quòd hæc propositio non tantum non  
sit certa, quin est falsa; sequens minus pro-  
babilem operatur licitè. Similiter hæc, ego  
nunc prudenter iudico me licitè operari,  
non est certa, n. 95.

Ait neminem posse esse certum de non peccato,  
cum sequitur probabiliorem de peccato, a n.  
95. ad 99.

Solutio a n. 100. ad 105.

Licet opinio sit minus probabilis, est tamen certò  
probabilis de non peccato, n. 102.

Idiotis certitudo reflexa est suo modo possibilis,  
n. 103.

Innocentius non damnat, quòd qui certò probabi-  
liter, sed quòd qui probabiliter agit, pruden-  
ter agat, n. 104.

Est certum, quòd qui licitè operatur, non peccat;  
quidquid dicat P. Muniesæ, qui negat esse  
certum, n. 106.



Sæpe prudentia, quæ satis est ad prudentem assensum, non satis ad licitam operationem, n. 107.

N.

94.

Philal.  
Riccius

**R**etuli, & solvi alibi argumenta Candi-  
di; & disp. 13. sect. 5. argumenta Riccii  
volentis implicare dictamen certum in sen-  
tentia Probabilistarum; tum quia hæc ma-  
ior, *Licet sequi omnem probabilem*; & hæc  
minor, *Sed hæc est talis*, sunt falsæ, neque  
enim certum sum me sufficienti diligentia  
usum: tum quia repugnat, ut quis sit cer-  
tus de non peccato, dum ponit actionem,  
quæ sibi verosimilius est esse peccatum: tum  
quia peccaret, & non peccaret sequens mi-  
nus probabilem cum iudicio reflexo certo  
de non peccato. Hæc, & alia argumenta  
dedi, & luculenter solvi d. 13. sect. 7. a num.  
309. & a n. 349. & a n. 360. Similiter disp.  
11. a n. 38. ad 50. & a n. 59. solvi argumen-  
tum P. Elizalde, quod per nostrum syllogis-  
mum reflexum evertatur Theologia; nec  
non disp. 8. num. 563. Rursum respondi argu-  
mentis P. Muniesse disp. 11. n. 59. nec non  
P. D. Thyrsi d. 11. n. 515. demum plura pro  
nobis dedi d. 16. n. 55. & a n. 79. ad 90. & d.  
17. n. 379. quare hic tantum aliqua breviter  
delibanda.

P. Eliz.  
P. Thyrsi  
P. Mun.

N.

95.

P. Mun.

Obijcit P. Muniesse stim. 2. quod hæc ma-  
ior, *Sequens certo probabilem de honestate licite*  
*operatur*, non tantum non sit certa, quin est  
falsæ, si sermo sit de probabilitate objectivâ,  
seu de iudicio opinativo aliorum, existente  
tantum objectivè in mente operantis, histo-  
ricè cognoscentis alios sic opinari, quin sub-  
jectivè ipsæ ita opinetur: etsi vera sit, ait  
n. 17. si sermo sit de iudicio prudenti sub-  
jectivè existente in ipso operante, utpote re  
ipsa directè opinante, licitum esse opus,  
quod ponere vult. Tum quia (ait n. 20.) etsi  
maior esset certa, & evidens, non ideo ulti-  
mum dictamen est evidens; quia hæc minor,  
*Sed ego hic, & nunc prudenter iudico me licite*  
*operari*, nec est certa, nec evidens, quia est  
de re opinativâ inter Doctores controversâ;  
nec mihi certum est, an illud iudicium sit

N.

96.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

P. Thyrsi.

P. Mun.

sine passione conceptum, ait ex P. D. Thyrsi.  
disp. 10. a num. 27. ergo etsi mihi verum sit,  
quod iudicium opinativum sit à me bonâ  
fide conceptum, non tamen est certum.  
Tum quia (ait n. 21.) intelligi non potest,  
quomodo quis adulari sibi possit de certitu-  
dine sui iudicii reflexi de non peccato, aut  
honestate, cum videat se sequi opinionem di-  
rectam probabiliorē de peccato. Explicat.  
Duplex datur opinio, una minus tuta minus  
probabilis, negans contractum esse usura-  
rium; alia affirmans, & est mihi probabilior:

ego sequor negantem. Rogat, quomodo  
cum ante omnem reflexionem opinio affir-  
mans me peccare eum incundo, sit mihi pro-  
babilior, quomodo, inquit, possim rehexe  
fieri certus, quod non peccem eum incun-  
do? Tum quia (n. 27. ait) talis evidentiâ, & N.  
certitudo reflexa est idiotis ignota, consenti 98  
credere ut verum licere, quod vir doctus  
illis dicit. Tum quia repugnat certitudo de N.  
licentiâ contractus; quoties purè opinor, 99  
quod contractus non sit injustus; sed ego  
hoc purè opinor; ergo certus esse non pos-  
sum, quod sit licitus. Tum quia tres de-  
monstrationes P. Moyæ (ait n. 46.) plenè 100  
sunt miseris æquivocationibus. Etenim hæc  
maior, *Sequens opinionem practicè probabilem*  
*non peccat*, intellecta de opinione probabil  
existente tantum objectivè in meâ mente, &  
subjectivè in alienâ, ne quidem est vera,  
immò nec probabilis post 3. ab Innoc. XII. 101  
damnatam, quod qui operatur juxta proba-  
bilem, operetur prudenter. Similiter hæc,  
*Sequens regulam humanorum actuum non pec-*  
*cat*, ait esse tantum veram, si sequatur ex  
motivis præponderantibus, & eam iudicet  
veram. Rursum hæc, *Operans ex consilio pri-*  
*torum in arte, siue isti errent, siue non, non pec-*  
*cat*, ait n. 57. non peccare, si operetur juxta  
propriam conscientiam formalem ex moti-  
vis præponderantibus, non autem si iudicet  
falsam. Hæc P. Muniesse.

Sed breviter ad 1. dico hæc omnia à me N.  
soluta d. 13. sect. 7. l. c. quod siue satis sit iu-  
diciū de objectivâ probabilitate, siue ne-  
cessè sit iudiciū de veritate opinionis pro-  
babilis, ut opereris cum per me intellectus  
possit physicè, & moraliter directè assenti  
minus probabilis, poterit quis iudiciū re-  
flexum certum de licentiâ operationis, ut  
substantis illi iudicio certo, etsi minus pro-  
babili, concipere, cum per me sit essentiali-  
ter exclusivum omnis peccati.

Ad 2. ideo, ne in propriis opinionibus judi-  
cio decipiamur, consulimus, ne quis pro-  
pria opinioni ita nitatur, ut non possit opo-  
positè prudenter niti, si sit certo probabilis.  
Miror hoc nobis obijci, cum in hunc sco-  
pulum incidat Probabiliorismus.

Ad 3. patet ex l. c. esto enim sit minus N.  
probabilis, est tamen certo probabilis, & 102  
adeo verosimilis de non peccato, ut nil am-  
plius necesse sit, ne quis peccet.

Ad 4. dico idiotis certitudinem reflexam N.  
esse suo modo possibilem, esto eam explicat 103  
re nesciant; immò quæro, an idiotæ capiant,  
quid sit opinio directè ritè probabilior?

Ad 5. nego damnatum, quod qui certo N.  
probabiliter agit, prudenter agat. Vnum 104  
tantum



P. Mun. tantum adverte contra P. Munies. quod unicuique opinioni probabiliori proprie cuiusque dat certitudinem, adeo ut quilibet contradictoria, quia una unis, alia aliis est probabilior, sit moraliter certa: & deinde dictamini reflexo Probabilistarum certitudinem negat. Immo cum n. 42. dicat, quod minores, à quibus pendet reflexum dictamen, raro sint certæ, nescio quomodo quamlibet suam velit sibi moraliter certam, quin quamlibet cuiusque velit suo Authori esse moraliter certam, cō quia quilibet est suo Patrono probabilior.

N. Dices ex P. Munies. n. 57. saltem in sententia Probabilistarum decentium satis esse iudicium de probabilitate alienæ, formari non posse certum de non peccato iudicium. Nego, potest enim, non ex motivis directis, ut dixi, ut deducunt illi, quibus est subiectivè probabile, contractum esse licitum, sed ex reflexis, quatenus, quod est certò probabile, est licitum; contractus est talis; ergo licitus.

N. Aliud argumentum movet P. Muniesla, qui factus Probabiliorista videtur ingenitæ sibi modestiæ aliquando oblitus, & perterfusus; cum enim in suis, de Deo, de Christo D. & de Gratia Tomis, ne levi quidem ungue a modestia deliquerit, attamen in Conscientia Stimulo phrasæ tæpe duriusculas, & amarulentas ad manum habet, adeo ut non modicā dederit Doctori Peræ occasionem, ut liberi calamo in eum, & alios excurreret; quod tamen non approbo, consultius enim fuisset sibi temperare, quam solidam, & selectam doctrinam nigro arramento identidem fec-

P. Mun. dare. Igitur P. Muniesla *in* 2. §. 5. ut recitavit P. Moye, P. Terilli, & P. Card. Carden. quibus evinci putant certum esse, quod liceat sequi minus probabilem, ait n. 46. has ratiunculas plenas esse miseris acquivocationibus: 1. quia (ait n. 47.) aliud est, verum esse, quod qui licitè operatur non peccet; aliud est, certum esse, quod non peccet, qui licitè operatur. Sed contra evidenter; quia si non est certum, quod qui licitè operatur, non peccet, poterit quis licitè operari, & peccare; sed hoc implicat: ergo non tantum est verum, sed est certum, quod qui licitè operatur, non peccet.

N. Ait 2. quod qui sequitur probabilio-rem, vincit prudenter formidinem oppositi: cōtra qui sequitur minus probabilem stantem pro licentiā contractus, non vincit prudenter formidinem pro non licentiā. Sed contra 1. quomodo probat quod prudentia in sit probabilioritati; imprudentia verò in sit minor probabiliori? Contra 2. quia ut acutè

Tom. III.

D. Peræ n. 210. falsum est principium P. Muniesla, quod prudentia, quæ satis est, ut P. Mun. assensus sit prudens, satis sit, ut operatio sit licita; ita possum probabilius, adeoque prudenter assentiri, quod talis materia, aut forma Sacramenti sit valida, & adhuc illicita erit operatio, seu ministratio Sacramenti sub eā formā, præsentē certā: ergo falsum, quod prudentia, quæ satis est, ut assensus sit prudens, satis sit, ut operatio sit licita.

## §. III.

Argumenta difficiliora P. D. Thyrsi, & aliorum.

## SUMMARIUM.

Quia implicat, ut iudicium particulare sit certum, & incertum sit iudicium commune sub quo continetur, n. 108.

Tunc particularis talis est, qualis est universalis, quando retinet easdem omnino circumstantias, tam ex parte subiecti, quam obiecti; quod si ex parte subiecti mutet, non est talis, n. 109. ad 112.

Arguit P. Thyrs. quia quoties minus tuta est probabilior, faciliè intelligitur quomodo iudicium de licentiā sit prudens; non ita si sit simul minus probabilis, n. 114.

Vult: difficilem esse certitudinem probabilitatis. Impugno, ib. & n. 115.

Si nostra minor non est evidens, neque ejus minor, n. 116.

Ait difficultatem certitudinis in dictamine reflexo oriri ex eo quia nemo potest facile esse certus de usu sufficientis diligentie, n. 117.

Retorqueo, n. 118. 119.

Arguit ideo iudicium probabilius satis esse ad conscientie securitatem, quia tunc non potest judicari oppositum; potest autem si iudicium sit minus probabile, n. 120.

Sicut bene operatur, qui potentia proximā antecedenti potest operari melius, ita rectè opinatur, & operatur, qui potest potentia proximā antecedenti judicare probabilius, n. 121.

Arguit, quia sententia reflexa de licito usu minus tuta minus probabilis non est certa, ergo nec dictamen ei sententiæ nixum, n. 123.

Esti faciar argumentum esse convincens, si datur quod sententia Probabilistarum sit probabilis; non tamen est convincens, si principia Probabilistarum sunt vera, quin eo uti nequeam, suppositis suis principiis, n. 124.

Explico, n. 125.

Principia Probabilistarum evidenter suadent potius quam impugnant certitudinem à Probabilistis Reflexivis admissam in iudicio reflexo, ib. & 126.



*Juxta nostra, & communia Probabilistis principia difficile est ostendere certitudinem in judicio reflexo. Cur? ib. & 127.*

*DD. Probabilistae negantes probabilitatem sententiae Probabilioristarum, n. 127.*

*Judicium reflexum potest esse certum, quin dictum sit certum; quoniam pro reflexo dantur rationes certa, quae non pro directo. Inductio, n. 128.*

*Lex reflexa, quae datur, est, ne quis operetur cum dubio speculativo, non formato judicio reflexo practico de lido, non autem, ne quis operetur, formato eo judicio, n. 129.*

*Non vult Apostolus, quod operemur salutem cum timore prudenti de peccato formali in opere quod operamur, hoc enim implicat; sed cum timore prudenti de nostra fragilitate quod peccabimus, nisi oremus &c. n. 130.*

N.  
108.

**P** Ræcipuum argumentum est; quia repugnat, ut judicium practicum singulare, sit de licita operatione certum hic, & hunc, eo ipso quod de eadem operatione in communi formido; nam omne judicium singulare continetur sub universali; ergo si universaliter judico hunc specie contractum esse illicitum, eo ipso etiam judico eundem in singulari esse mihi illicitum. Hoc argumento plures utuntur, præcipue Fogarinus Scotista in recenti libro de certitudine honestatis d. 1. n. 15.

N.  
109.

**V**erum quam imbelles sit hoc argumentum, patet; quia hoc judicium singulare, *Ergo mihi hic, & nunc talis contractus A, est licitus*, non continetur sub hoc judicio universali, *Omnis talis contractus A, est illicitus*, nam hoc loquitur de contractu objectivè sumpto, & præcisivè à subjecto; seu loquitur de eo, ut est contra Dei legem, & affirmat illicitum; judicium autem singulare loquitur de contractu considerato non purè objectivè, seu ut est in se, sed subjectivè, seu ut est in operante, qui habere potest principia, quibus ea non licentia contractus A, objectivè sumpti tollatur. Hoc autem ita esse est evidens; nam hæc propositio universalis, *Omnis mentiens peccat*, est vera objectivè; hæc autem particularis, *Ergo Petrus ininvincibiliter patiens mendacium non esse verum, mentiendo peccat*, est falsa. Similiter hæc universalis, *Omnis obligatus jejunio, illud violando peccat*, est vera objectivè; & tamen hæc particularis, *Ergo Petrus, Superiore præcipiente, violando jejunium peccat*, est falsa. Cur autem, nisi quia aliud est considerare rem objectivè ut est in se, aliud subjectivè, seu ut affectam tali dispositione operantis, cui accedere potest, vel invincibilis error, vel

præceptum, vel aliud principium, quo tollatur malitia conveniens ei operationi, & objecto objectivè sumpto, & præcisivè à dispositione operantis?

Tunc ergo particularis talis est, qualis est N. universalis, quando retinet omnes eadem circumstantias se tenentes tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti. Quod si universalis unice consideret, quod se tenet ex parte objecti, & omittat considerare vel unam tantum circumstantiam se tenentem ex parte subjecti, tunc mirum non est, si universalis sit vera, particularis falsa; nam ea particularis non continetur sub ea universali, cum universalis unice consideret rem objectivè, seu ut est in se; non autem operantis dispositionem, à qua res objectivè sumpta limitari potest ad malitiam, vel ad honestatem. Hæc clara sunt tum ex iis, quæ Fides docet de errore invincibili; eo enim laborans non peccat formaliter, etsi ponat opus in se malum; tum ex iis, quæ nostra Theologia dedit de errore invincibili, qui, juxta nos, actionem ex se materialiter malam reddit formaliter honestam.

Dices 1. Affirmans contractum A, omnibus illicitum, non tantum affirmat objectum non licentiam, sed respectu cujusque subjecti: ergo hæc particularis, *Contractus A, est licitus Petro*, non potest esse vera. Nego consequentiam; etsi enim consideretur objectum, tum subjectum, & dicatur omnibus illicitum, potest tamen alicui subjecto supervenire aliqua circumstantia, ex gr. invincibilis error, ob quam sit licitus. Quare ut particularis sequatur naturam universalis, nil novum continere debet; si enim contineat, eo ipso non continetur sub universali, adeoque non mirum, si universalis possit esse illicita, particularis licita, aut econtra.

Hinc patet, quam facile cum probabilioritate, immò cum veritate hujus judicii universalis speculativi, *Omnis contractus speciei A, est illicitus*, stet certitudo hujus judicii practici, *Contractus speciei A, mihi habenti certam probabilitatem, aut probabilioritatem de ejus licentia, immò mihi habenti opinionem probabilem, aut probabilioram de ejus licentia, est licitus*. Ratio est; quia sunt diversa objecta, ut sæpe monui; ergo nulla oppositio, cum judicium universale habeat pro objecto contractum A, objectivè, & secundum se consideratum; judicium particulare habeat pro objecto non tantum contractum A, objectivè, sed etiam subjectivè, seu ut substantem invincibili ignorantia, & legi non satis ejus malitiam incutienti. Vide quæ dixi d. 17.



& alibi, ubi exposui obiectum iudicii directi, & reflexi.

N. 113. Dices 2. Si certitudo de non peccato formalis requiritur, satis non erit probabilissima. Sed contra, tum quia per me cuique opinioni certo probabili cognita ut tali inest certitudo de non peccato formali: tum quia ipsi Reflexivæ dicent satis non esse probabilissimam, nisi sub iudicio certo reflexo de licito usu probabilissimæ, eo quia ipsa probabilissima incerta sit in re.

N. 114. Alterum argumentum est ex P.D. Thyrsi. *dis. 10. an. 27. ad 30.* ubi ait se non videre quomodo inter se cohæreant quod docet P. Teril. *qu. 13. de Consc. & P. Moya tr. 1. P. Moy. qu. 6. §. 6.* cum multis Probabilitatibus, nempe, quod ad honestè operandum requiratur dictamen practicum moraliter certum; & evidens; & tamen, quod homo possit licetè uti minus probabili minus tuta, stante probabiliore; & tutiori: si enim requiritur dictamen moraliter evidens de licentiâ talis hic, & nunc operationis, (quod tamen, inquit P.D. Thyrsus, non affirmo) tale dictamen tunc tantum haberi poterit, quando opinio favens libertati apparet clare verosimilior opinione favente legi: non e contra; hic enim syllogismus, *Mihi licet, quod prudenter iudico omnibus licitum, sed ego nunc prudenter iudico actionem pingendi die festo esse omnibus licitam, ergo mihi licet pingere die festo:* hic syllogismus non habet utramque præmissam evidentem, si opinio favens libertati sit minus probabilis, quia difficile omnino, immò impossibile est, ut quis iudicet prudenter aliquid esse licitum, quoties habet maius fundamentum, ut iudicet non esse licitum: ergo quoties minus tuta est minus probabilis, minor syllogismi non est evidens. E contra, (ait n. 28.) quoties minus tuta est longè probabiliore, facile intelligitur, quomodo iudicium affirmans rem esse licitam sit prudens; quia operanti est evidens illam sententiam habere magnum fundamentum, & defendi à magnis viris, quod sufficit ad ejus probabilitatem; ergo qui illi assentitur, quia apparet verosimilior opposita, non assensurus, nisi prægmineret verosimilitudine, certus esse potest se illi præbuisse prudentem assensum, si certus sit, se absque impetu passionis adhibuisse sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem; hanc autem certitudinem difficulter possunt homines assequi. Hæc P.D. Thyrsus.

N. 115. Sed contra 1. quia non capio, quomodo obliget ad sequendam evidenter verosimiliorem, & tamen velit adeo difficilem certitudinem probabilitatis, quanto magis pro-

babiliioritatis. Si enim nisi cum magnâ difficultate certus esse possum, me absque passionis impetu sufficienti usum diligentia, ut veritatem inquirerem; quomodo certa, & evidens mihi erit probabiliioritas, ad quam præhabendam, ante omne directum de opinione, & operatione iudicium, nos obligat?

Contra 2. quia tantum abest, ut minor allati syllogismi reflexi sit evidens tantum, quando sequimur opinionem faventem libertati longè probabiliorem, non autem, quando sequimur faventem libertati minus probabilem; quin immò, si non est evidens, quod prudenter iudico picturam licere die festo, si opinio affirmans eam licere est minus probabilis; nec est evidens quod prudenter iudico picturam licere die festo, si opinio affirmans eam licere est probabiliore. Ratio est; tum quia longè difficilior est certitudo, & evidentia sensibilibus probabiliioritatis, quam sensibilibus probabilitatis, immò ea certitudo supponit hanc, & aliquid plus; ergo ut hæc minor, *Sed ego hic, & nunc prudenter iudico omnibus licere picturam die festo,* sit evidenter probabiliore, debet prius habere evidentiam de certitudine probabilitatis, quam probabiliioritatis. Tum quia, si quia sum experimentaliter certus illam opinionem, *picturam licere*, habere longè maius fundamentum, & defendi à viris magnis, ideo certus sum dictam minorem esse veram; ita, juxta P. Teril. P. Moy. & alios Probabilitas, quia certi experimentaliter sunt, quod eadem opinio affirmans picturam licere, habeat grave fundamentum, & defendatur à magnis viris, (esto sit minus fundamento, quod alii habent pro eadem opinione affirmante) erunt certi de eadem minore: ergo non est difficile intelligere quomodo utraque præmissa illius syllogismi possit esse evidens Probabilitatis, si non est difficile intelligere, quomodo sit evidens Probabiliioritatis.

Dices ex P.D. Thyrsi n. 29. formari quidem posse dictamen practicum reflexum certum, & evidens, quod hic, & nunc liceat operari, quoties minus tuta unice proponitur ut verosimilis. Subdit: Quod mihi difficultatem parit, ne putem dictamen illud esse evidens, est, quod operans non potest facile certus esse, quod fecerit sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, quæ tamen certitudo necessaria est, ut sit evidens iudicium de honestate obiecti; nam si iudicium illud directum est falsum ob ignorantiam culpabilem, non est prudens. Si tamen semel possit esse certus de diligentia adhibita is, cui unice apparet ut probabilis sententia

N.  
116.  
P. Thyrs.

P. Teril.  
P. Moy.

N.  
117.  
P. Thyrs.



tentia favens libertati, etiam poterit esse certus ille, cui apparet ut probabilior opposita; quare vel nunquam poterit fundari dictamen reflexum certum supra iudicium opinativum directum, vel formari potest in nostro casu.

N. 118. Ecce 1. asserit dari posse dictamen certum, & evidens reflexum practicum de licentia operationis, quoties minus tuta est unice probabilis, immo etiam est probabilior opposita: ergo etiam quando est minus probabilis; nam tunc iudicium directum si est falsum, est ex ignorantia invincibili. Quod si dixerit esse falsum ex vincibili, dicam ego, quod quando iudicium directum probabilis est falsum, erit etiam falsum ex ignorantia vincibili, nam habet contra se argumenta stantia pro tutiore minus probabili.

N. 119. Ecce 2. totam difficultatem certitudinis dictaminis reflexi oriri ait ex eo, quia non possumus facile esse certi de usu sufficientis diligentiae pro inventione veritatis, quae tamen praerequiratur ad hoc ut iudicium directum sit certo probabile, atque adeo ut dictamen practicum reflexum, fundatum supra illud directum, sit certum; hoc autem longe magis probat, difficilius esse habere certitudinem probabilioritatis; ergo si non obstante hac difficultate, ait dictamen practicum reflexum, fundatum supra unice probabilem, immo probabilioris minus tutam, posse esse certum, & evidens; quanto magis poterit certum, & evidens esse dictamen practicum reflexum, nixum opinionis faventi libertati, aequè, aut minus probabili opposita?

N. 120. P. Thy. Replicat n. 39. quod in sententia asserentium posse intellectum assentiri ut veræ utrilibet ex aequè probabilibus, non satis sit iudicium probabile de honestate objecti ad licite operandum, quia tunc intellectus sequitur potius imperium voluntatis, quam rationis; ita enim iudicat contractum A, esse honestum, ut habeat potentiam proximam antecedentem ad iudicandum in sensu diviso esse usuram. Nemo autem licite eo instanti inicit contractum, quo potuit proximè iudicare esse usuram; si enim non iudicat, est quia non vult, non quia non potest. Contra quando ita iudicat contractum esse honestum, ut non potuerit pro priori iudicare oppositum, quia pro honestate habet fundamentum clare præminens fundamento pro non honestate, tunc iudicium probabile de honestate contractus sufficit ad securitatem conscientiae, quia pars opposita non manet absolute probabilis respectu operan-

tis, etsi videat reflexè quod approbatur à sapientibus ut probabilis in se. Subdit n. 40. quod quoties in actu primo pro parte benigna apparet ratio clare præminens, ob quam intellectus iudicat rem esse licitam, tunc ratio opposita repellendus ut scrupulus.

Sed contra 1. quia assentientes nos posse N. operari juxta minus tutam minus probabilem, alij sunt, qui negant, quod intellectus possit directe assentiri minus probabili; & hi necessario recurrunt ad iudicium certum reflexum supra licitum minus tute minus probabilis utrum: alij sunt, qui affirmant, quod intellectus possit directe assentiri minus probabili, & adhuc necessarium iudicant dictamen certum reflexum de licito ejus usu: alij sunt, qui negant necessarium esse hoc iudicium reflexum, & putant quod ad licite operandum satis sit ipsum iudicium directum minus probabile de licentia operationis. Quod P. D. Thyrsus dicit, cum illicite inire contractum, qui potentia proxima antecedenti iudicare prudentius potest esse illicitum; idem est, ac dicere, quod non licite operetur, qui potentia proxima antecedenti potest operari melius; eumque non iudicare prudenter, qui antecedenter potuit iudicare prudentius; adeoque argumentum est invalidum, & saepe solutum.

Contra 2. quia hoc argumento Tutoria N. probabit sequendum tutius minus probabile 121. le, etsi objecto minus probabili nequeat directe assentiri; quatenus sicut iudicium minus probabile de honestate non est satis in eo, qui antecedenter potuit ex maiori fundamento iudicare operationem esse inhonestam; ita neque sufficit iudicium probabilius circa minus tutam, quia antecedenter potuit evidenter iudicare se tutius operaturum non contrahendo; etsi pro contractu habeat fundamenta graviora, quam pro non licentia contractus: evidens enim est non contrahentem non posse peccare contrahendo; non autem evidens est, sed ad summum probabilis contrahentem non peccare.

Tertium argumentum longe difficilius N. contra certitudinem dictaminis reflexi supra 122. licitum utrum minus tute minus probabilis hoc modo formari potest: Non potest dictamen reflexum de licentia contractus nixum sententiae tueri licitum usum minus probabilis esse certum, nisi certa sit sententia reflexa stans pro licito usu minus tute minus probabilis; sed hæc sententia reflexa non est certa, nam sententia Probabilioritarum negans est probabilis; ergo formari non potest dictamen reflexum certum nixum sententiae P. V. affirmanti. Ita P. V. aequ. 1. 2. d. 62. n. 27. Ego



N. 124. Ego qui Probabilista sum, quamvis putem hoc argumentum esse convincens, nec aliam videā, à Probabilistis Reflexistis dari posse solutionem, quam negando quod sententia negans licitum usum minus tutae minus probabilis, sit illis probabilis; quia tamen hoc durum mihi videtur, saltem ob auctoritatem Probabilioristarum; durum, inquam, dicta mihi videtur, etsi non opinatu, si praesertim ponderentur principia, quod lex prudenter negabilis non est satis intimata; & quod nulla detur lex de probabiliori, & tutiori; ideo infra dicturus sum, quod nullum dictamen reflexum certum sit necessarium. Cum toto tamen hoc etsi reverentiae causa dicam validum, attamen est prorsus infirmum contra Probabilistas Reflexistas, stando doctrinae Probabilioristarum: & ideo Probabilioristae eo argumento utentes nullatenus ostendere possunt repugnare certitudinem iudicii reflexi, ut dixi *sect. 1. §. 2.*

N. 125. Explico. Probabilioristae dicunt licitum, immò obligatorium sequi opinionem longe sibi probabiliozem, & omittendi minus probabilem. Rursus dicunt, quod probabilior à minus probabili tollat probabilitatem, & ideo omnem sibi probabiliozem esse quasi moraliter certam. Hec sunt Probabilioristarum principia, quae tantum abest ut certitudinem iudicii reflexi à Probabilistis Reflexistis admittam impugnent, quin eam suadent. Ita enim arguo: Cuique licet, inò quisque tenetur ad sibi probabiliozem, ut docent Probabilioristae: sed sententia affirmans licitum usum minus sibi probabilis est Probabilistis probabilior: ergo cuique Probabilistae licet, immò tenetur eam sequi; sed omnis alicui probabilior est eidem quasi moraliter certa, ut Probabilioristae dicunt: ergo opinio affirmans licitum usum minus probabilis est Probabilistis moraliter certa: ergo Probabilistae Reflexistae iudicium reflexum certum de licentia contractus formare possunt, nixum certitudini propriae sententiae affirmantis licitum usum minus probabilis.

N. 126. Ecce tantum abest, quod eo argumento ostendatur repugnare certitudinem in iudicio reflexo Probabilistarum, quin principia Probabilioristarum evidenter ostendant eam certitudinem dari. At in mea sententia, & juxta mea, & communia omnibus Probabilistis principia, difficile est eam iudicii reflexi certitudinem fundare, nisi certa trahantur pro sententia affirmante licitum usum minus tutae minus probabilis argumenta. Non enim ego assero, quod omne

probabilis tollat minorem probabilitatem, & sit quasi moraliter certum, ut asserunt Probabilioristae; quin ego, & alii Probabilistae hoc negant. Vel ergo sententia Probabilistarum affirmans licitum usum minus probabilis est tantum probabilior, vel est prorsus certa? Si certa, contra est; quia Probabilioristarum sententiae vix adimi potest probabilitas extrinseca: vel est tantum probabilior, & sic formari non poterit dictamen certum reflexum nixum sententiae affirmanti licitum usum minus probabilis; nam opinio negans eum licere, manet mihi, immò aliis Probabilistis, juxta nostram doctrinam, probabilis. E contra adhuc dato, quod opinio affirmans licitum usum minus probabilis non sit Probabilistis certa, sed tantum probabilior, potest à me, & à Probabilistis Reflexistis formari dictamen certum reflexum inhærendo principiis Probabilioristarum: ergo Probabilioristae obligantes ad probabiliozem, & docentes omne probabilis esse moraliter certum, probare nequeunt repugnare certitudinem in iudicio reflexo Probabilistarum, adhuc dato, quod sua sententia stans pro licito usu minus probabilis sit Probabilistis probabilior tantum, & non certa; immò dato tantum quod hec sententia sit Probabilistis probabilior tantum, & non certa, possunt Probabilistae utentes Probabilioristarum principis formare iudicium certum de licito usu minus probabilis.

Quare solum juxta principia Probabilioristarum negantium, quod maior probabilitas tollat minorem, probari ad summum potest, quod repugnet certitudo in iudicio reflexo Probabilistarum, dato, quod non habeant pro sua sententia argumenta certa; adeoque quod sententia affirmans licitum usum minus probabilis sit illis probabilior tantum, nam opposita negans manet etiam illis probabilis; ergo propria affirmans non est illis moraliter certa. Scio à plerisque Probabilistis negari, quod sententia negans licitum usum minus probabilis sit probabilis, nam propriam vocant moraliter P. Moya certam; ita P. Moya, P. Card. P. Teril. P. Bardi, & D. Perca n. 230. & alii. Sed quomodocumque hoc sit, hoc scio, quod Probabilistae tueri possunt tuum dictamen reflexum esse certum stando principiis Probabilioristarum, quod omne cuique probabilius, sit eidem moraliter certum: ergo Probabilioristae numquam ostendere possunt repugnare certitudinem in iudicio reflexo Probabilistarum supra licitum usum minus probabilis.

Dices



N. Dices 1. Opinio directa est minus proba-  
 128. bilis; ergo omne iudicium supra illam refle-  
 ctens est probabile, non autem probabilius,  
 aut certum. Nego consequentiam; nam de  
 licito usu probabilissimæ, aut probabilioris  
 minus tutæ, aut tutioris minus probabilis  
 datur certitudo reflexa, etsi ipsa directa sit  
 tantum probabilissima, aut probabilior mi-  
 nus tuta, aut tutior minus probabilis: ergo  
 de licito usu minus tutæ minus probabilis  
 dari potest certitudo, etsi opinio directa sit  
 minus probabilis. Similiter datur certitudo  
 fidei Divinæ de licitâ sequelâ opinionis in-  
 vincibiliter erroneæ, etsi opinio directa sit  
 erronea; ergo idem in nostro casu. Ratio est  
 patens; quia pro veritate, immo certitudine  
 iudicii reflexi dari possunt rationes certæ,  
 quæ pro veritate opinionis directæ non dan-  
 tur: ergo est prorsus falsum, quod iudi-  
 cium reflexum non possit quoad probabili-  
 tatem superare directum. Plura in hoc idem  
 dat D. Perea sect. 9.

D. Perea  
 N. Dices 2. ex P. D. Thyro diff. 7. à n. 64.  
 129. Datur lex reflexa, ne quis operetur cum du-  
 b. Thy. bio speculativo de licito, & illicito: ergo im-  
 plicat, ut detur iudicium certum reflexum  
 de licentiâ operandi sub eo dubio. Sed con-  
 tra; quia aliud est, quod nemo operari pos-  
 sit cum dubio speculativo de licito, aut illicito,  
 & omisso iudicio reflexo certo, quod liceat  
 operari sub eo dubio; aliud est, quod nemo  
 operari possit cum dubio speculativo de lici-  
 to, & illicito, formato iudicio reflexo cer-  
 to, quod liceat operari sub eo dubio; illud  
 est verum, hoc falsum. Quare lex reflexa  
 est, ne quis operetur sub dubio, non forma-  
 to iudicio reflexo practico de licito; non au-  
 tem, ne quis operetur, formato eo iudicio;  
 quo modo, juxta Adversarium, datur lex  
 non operandi cum dubio, sublatò Superio-  
 ris præcepto, non autem hoc posito.

N. Omitto textum Apostoli dicentis, *Ut cum*  
 130. *timore*, non autem cum certitudine, salutem  
*operemur*; est enim à nobis sæpe solutus, &  
 ab omnibus solvendus. Vel enim Apostolus  
 suadet, ut operemur salutem cum timore  
 prudenti de non salute; tunc autem quæro,  
 quomodo Probabilioristæ dicant, timorem  
 oppositi sequentem ad iudicium probabilis  
 excludendum, ut vanum scrupulum, & im-  
 prudentem? Vel suadet, ut operemur cum  
 timore prudenti de peccato formali, ita ut  
 dum operamur, timeamus prudenter in ope-  
 re peccatum formale? hoc autem Apostolus  
 dicere non potest; tum quia exigit bonam  
 fidem, seu prudens de non peccato formali  
 iudicium; tum quia operans cum prudenti  
 peccati formalis timore peccat formaliter, &

sic operemur salutem per peccatum for-  
 male, quod implicat. Quare unice vult, ut  
 operemur salutem cum timore prudenti de  
 nostrâ fragilitate, quod in posterum pecca-  
 turi forte simus, nisi Deum assidue inhi-  
 mus; non autem vult, ut operemur salutem  
 cum timore prudenti de peccato formali in  
 opere, quod exercemus; immo hunc timo-  
 rem tenemus non habere, ne formaliter pec-  
 cemus.

## S E C T I O . IV.

An iudicium certum reflexum sit necessarium.

## S. I.

Status questionis, & conclusio.

## S U M M A R I U M.

Vagatur hæc questio per omnem etiam Anti-  
 Probabilistarum opinionem. Ostendo, n. 137.  
 Plures Probabilistæ, immo aliqui Probabilio-  
 ristæ affirmant necessitatem huius iudicii reflexi.  
 Qui? n. 132.

Plures negant. Qui? n. 133.  
 Ut sine peccato formali, aut cum honestate for-  
 mali operemur, præter iudicium directum  
 certo probabile, aut probabilis, necessarium  
 non est aliud reflexum certum de licito usu  
 opinionis certo probabilis, aut probabilioris,  
 aut tutioris iudicium, n. 134.

Rationes à n. 135. ad 168.  
 Quia ipsum iudicium directum potest esse re-  
 gula immediata operationis, cum sit perfectio  
 transire prudens de non peccato iudicium,  
 n. 135.

Quia argumenta reflexa, quibus probamus li-  
 citum usum opinionis magis, aut minus pro-  
 babilis, inserviunt pro veritate e sententia, non  
 autem regulant immediate opus positum sub  
 iudicio directo probabilis, aut probabilioris, n.  
 136 137.

Quia iudicium reflexum de licito usu est regula  
 remota; cur? n. 138.

Immo repugnat, ut sit proxima, ibid.  
 Quia dabitur processus in infinitum in reflexio-  
 nibus, & omnes erunt necessaria, n. 139.

Quia in artificialibus quod regulat opus est iudi-  
 cium directum, non ratio huius directi iudi-  
 cii, n. 140.

Quia quod regulat honestatem formalem, est  
 cognitio ipsius honestatis formalis, non autem  
 cognitio cognitionis, n. 141.

Hæc ipsa urgent multo magis contra Probabilio-  
 ristæ Reflexistas tuentes necessitatem iudicii  
 certi reflexi de licito, immo necessario usu pro-  
 babilioris, præ minus probabili, n. 142.

M. Merc. nis tantum abesse ut ex probabili-  
 tate



itate reflexi cognitâ intellectus certificetur de non peccato, quin certificatur de peccato, n. 143.

Solvendum ab illo, n. 144. 145.  
Ostendo Probabilioritatem ex nimio certitudinis amore destruere certitudinem, n. 146.

Ut in Ecclesiâ orti errores ex nimia sanctitatis affectione, ita plures ex nimio veritatis amore. Inductio Manicheorum, Illuminatorum, Baianorum, Jansenistarum, &c. n. 147. 148.

N. 131. **Q**ueritur, an præter judicium directum certo probabile, aut probabilius de non peccato, aut honestate operationis, necessarium sit ad licitè, aut honestè formaliter operandum, aliud ultimum judicium certum reflexum de licito usu opinionis probabilis, aut probabilioris, aut tutioris? Ita propono questionem, quia, ut dixi, negari non potest ab ullâ sententiâ, quod quæstio ita proposita vagari possit per omnem sententiam, nam nec tutior, nec probabilior, nec probabilis est certa de veritate: ergo cum ad fine peccato formali, aut honestè formaliter operandum necessaria sit aliqua certitudo de non peccato formali, honestate operationis, ut dixi d. 8. sect. 4. consequenter quæritur, an ut detur talis certitudo non peccati, aut honestatis formalis necessarium sit judicium aliquod certum reflexum de licito usu opinionis certo probabilis, aut probabilioris, aut tutioris, ut sine formali peccato, & honestè operer?

N. 132. **E**st necessarium judicium certum reflexum de licito usu minus probabilis affirmant plerique Probabilistæ cum P. Suar. P. Teril. P. Moya, P. Carden. quibus noviter accedunt D. Perea sect. 4. Myner p. 1. cap. 2. P. Scild. sect. 4. pag. 121. Raphael à S. Joan. p. 2. n. 160. immo necessarium esse judicium certum reflexum de licito usu probabilioris affirmant ex Probabilioristis P. Scild. & M. Mart. de Prado, quorum loca alibi dedi, & innuit Philal. qu. 1.

N. 133. **A**t utrumque negant alii Probabilistæ, quos dedi d. 18. sect. 8. & Probabilioristæ, S. Joan. nempe Palanco qu. 33. P. Manief. Sum. 2. P. Mun. P. D. Thyrsus, cujus doctrinam novissimè impugnat in suo *Examine Theologico Probabiliorismi* Illust. D. Michael de Fuentes, Lucas Civitatis Dominus, & Episcopus, ostendens sui operis initio quantum sibi contradicant Probabilioristæ, dum dicunt de essentiâ opinionis esse, ut sit judicium determinatum, sed infirmum, & vacillans; & simul volunt, quod judicium probabilis sit moraliter certum, seu excludens prudentem oppositi formidinem.

Unica conclusio: Ad fine peccato formali, aut formaliter honestè operandum, præter judicium directum certo probabile, aut probabilius de iisdem, necessarium non est ullum judicium certum reflexum de licito usu opinionis certo probabilis, aut probabilioris, aut tutioris.

Probatur 1. quia omnis opinio certo probabilis practicè est per se ipsam formaliter intransitivè dictamen prudens de non peccato; ergo non est cur non possit esse regula proxima formalis, & immediata rectæ operationis. Antecedens patet ex d. 18. sect. 8. Consequentia probatur; quia ut quis honestè, & sine formali peccato operetur, satis est, ut habeat dictamen prudens de non peccato, aut de honestate formali operationis; omne enim, quod præter hoc requiritur, est superfluum: sed omnis opinio certo probabilis practicè est per suam essentiam tale dictamen: ergo omnis opinio certo probabilis practicè est per se formaliter regula immediata, formalis, & proxima licitè operandi.

Confirmo 1. contra Probabilistas, ut necessarium statuantes judicium reflexum certum de licito opinionis certo probabilis practicè usu; quia aliud est, quod argumenta, quibus nos cum Probabilistis suademus licitum usum cujusvis opinionis certo probabilis practicè, contra Probabilioristas, & Tutioristas negantes ejus usum esse licitum, ostendant certo, moraliter saltem, ejus usum licere, quod verum est: aliud, quod ut licitè utar opinione minus probabili, certo tamen probabili, seu ut opus sub eâ positum sit licitum, necessaria sint dicta argumenta reflexa, quod falsum est.

Ratio est 1. quia ea judicia reflexa supra actum ut positum sub judicio minus probabili sunt quidem ratio convincens veluti à posteriori, quod actus elicitus sub eo judicio minus probabili sit honestus, attamen nullo modo necessaria sunt tamquam regula ipsiusmet actus eliciendi, quia actus eliciendus sufficienter regulatur immediate per ipsum judicium minus probabile; ut enim dixi d. 18. sect. 8. nulla actio proposita per judicium essentialiter pugnans cum peccato formali potest esse peccatum formale: sed omnis actio directa à judicio minus probabili, certo tamen probabili de non peccato formali, dirigitur à judicio essentialiter pugnante cum peccato formali; ergo nulla talis actio potest esse peccatum formale; ergo omne aliud judicium reflexum est superfluum.

Secundò, quia tantum abest, ut ipsum judicium reflexum sit regula immediata, & proxima



proxima actionis, quin est mediata, & remota; quia illud iudicium reflexum non habet pro objecto ipsam actionem, sed ipsam actionem ut dirigendam à iudicio directo minus probabili; ut patet in his iudiciis, *Licet pingere die festo*, quod est iudicium directum minus probabile dirigens voluntatem ad licitam picturæ electionem, *Licet pingere die festo, quia licet sequi minus probabilem*, quod est iudicium reflexum nobis moraliter saltem certum. Ecce quod regulat immediatè voluntatem ad picturæ electionem, & hanc facit licitam, est illud iudicium directum minus probabile, prudenter proponens electionem picturæ ut licitam; quod iudicium prudens de licentiâ electionis picturæ est essentialiter pugnans cum non licentiâ electionis, & cum iudicio de non licentiâ electionis. Illud autem iudicium reflexum, *Licet sequi opinionem minus probabilem de licitâ electione picturæ die festo*, regulat immediatè licentiam, seu usum opinionis minus probabilis; ergo illud iudicium reflexum non tantum non est necessarium; non enim tunc disputatur de licito opinionis minus probabilis usu, sed de licito usu picturæ, quin est impossibile, ut sit immediata regula volitionis pingendi, sed est tantum remota.

N. 139. Tertiò, quia si recurritur ad iudicium reflexum tamquam necessarium de licito usu opinionis minus probabilis, ut licitè impetrem picturam die festo, recurrendum quoque erit ad alia iudicia reflexa tamquam necessaria, quibus hunc opinionis probabilis usum ostendimus licitum, & sic in infinitum, quousque deveniatur ad rationes evidentes. Ut enim Probabilistæ Reflexistæ dicunt, regulam immediatam de licitâ picturâ die festo, esse dictamen de licito usu cuiusvis opinionis minus probabilis; dicam ego non esse hoc dictamen, sed omnia argumenta, quibus hoc dictamen de licito usu probavi esse verum, quousque veniatur ad prima principia ex se nota: sicut autem hæc nec possunt, nec debent admitti, aliàs nulla conclusio probaretur immediatè per suam rationem, sed per rationem rationis in infinitum, quod utique in speculativis negatur; ita nec in practicis admitti debet, aut potest; aliàs nullus actus regularetur per suum proximum dictamen, sed per dictamen dictaminis in infinitum: ergo immediata regula operationum moralium est ipsa opinio minus probabilis.

N. 140. Quartò, quia in artificialibus, quod regulat opus artificis ex. gr. artis futoriæ, *corium durius pro soleis sumendum*, est hoc ipsum

iudicium, non autem est ratio huius iudicii, quatenus si corium sit mollius, pedes ostenduntur; ergo in moralibus ipsum iudicium certo probabile est; quod regulat immediatè ipsam operationem, quam dicat ipsum iudicium certo probabile.

Confirmo 2. ex Palanco qu. 34. quia cum N. per nos regula honestatis objectivæ sit ipsa 141. lex Dei, per hoc enim, quod opus sit ei conformis, est objectivè honestum; sequitur, quod formalis, & proxima regula ipsius honestatis formalis esse non possit nisi cognitio honestatis objectivæ, seu ipsa cognitio proponens electionem ut legi Dei conformem: non autem regula proxima formalis potest esse ipsa cognitio ipsius honestatis formalis; quia cognitio honestatis formalis non potest esse regula ipsius formalis honestatis cognitæ; non enim per hoc, quod reflexè cognosco cognitionem ipsius honestatis formalis, honestè formaliter operor; sed ideo formaliter honestè operor, quia dirigo à cognitione proponente bonitatem objectivam electionis: ergo superflua est omnis alia cognitio reflexa supra cognitionem regulantem proximè electionem. Alia quibus susdetur, quod sola cognitio honestatis objectivæ sit regula formalis immediata ipsius honestatis formalis, dat Palanco à num. 14. huic tamen non assentior, dum ait num. 20. quod licet pro regulâ formali honestatis formalis sufficiat cognitio probabilis, seu probabiliter certa de honestate objectivâ, vult tamen non sufficere cognitionem de probabilitate honestatis objectivæ. Huic, inquam, ultimo non assentior, nam, ut dixi, & ex professo dicturus sum, ad hoc ut honestè formaliter operer, satis est, vel cognitio certo probabilis honestatis objectivæ; vel cognitio de certâ probabilitate honestatis objectivæ.

N. 142. Quæ dixi contra Probabilistas Reflexistas tuentes necessarium esse iudicium certum reflectens supra licitum usum opinionis probabilis, tamquam regulam immediatam conscientie regulantem operationem ab opinione probabiliter dictatam; hæc eadem, mutato termino *minus probabilis in probabiliore*, urgent contra Probabilioristas Reflexistas tuentes necessarium esse iudicium reflexum supra necessitatem omittendi minus probabilem, & sequendi probabiliorem; quod iudicium reflexum regulat immediatè operationem dictatam ab opinione probabiliore. Addo tantum abesse ut sit certum dari necessitatem probabiliore sequendæ; (nam quod probabiliore usus sit licitus, nulla est



at negant hoc esse necessarium) dari, inquam, necessitatem sequendi probabiliorum, aut tutiorem, quin eam necessitatem dari est certò falsum: ergo consequens ex hac præmissa deductum, *Necesse est sequi probabiliorum, aut tutiorem*, est certò falsum: ergo hoc consequens, *Necesse est pingere die festo, quia opinio affirmans licitam die festo picturam est probabilior*; vel hoc consequens, *Necesse est die festo non pingere, quia opinio negans licitam die festo picturam est tutior*, non potest esse regula immediata volitionis picturæ dictatæ ab opinione probabiliori; nec potest esse regula immediata nolitionis picturæ dictatæ ab opinione tutiori. Igitur si Probabilioristæ iudicio minus probabili negant inesse certitudinem, negare etiam debent inesse probabiliori, & recurrere debent, ut Probabilistæ, ad iudicium certum reflexum; ita tamen ut iudicium reflexum de sequendâ probabiliori, aut tutiori admissum ab Anti-Probabilistis non sit certò verum, sed certò falsum.

N. Hinc refutatur M. Merc. qui i. p. art. 14. ostendit contra Probabilistas, quod per syllogismum reflexum non habeatur certitudo; hæ enim præmissæ non sunt certæ, *Qui sequitur doctrinam probabilem est certus se rectè operari, ego eam sequor, ergo sum certus me rectè operari*. Maior, inquit, est falsa, immò ad finem dicti articuli ait, quòd ex probabilitate reflexe cognitâ tantum abest, ut intellectus certificetur se non peccare, quin est certus se peccare, quia videt errorem, qui esse potest in eâ opinione probabili.

N. Sed contra 1. quia idem M. Mercorus 3. p. art. 9. ait, licitum sequi minus probabilem, quando sit certa per motiva extrinseca; ergo etiam, si fiat certa per rationem; sed per nos sit certa, nam argumentis saltem moraliter certis probavimus licere usum opinionis minus probabilis; ergo.

N. Contra 2. quia neque, per syllogismum reflexum haberi poterit certitudo in sententiâ Probabilioristarum; hæc enim maior, *Sequens doctrinam probabiliorum est certus se rectè operari*, non est certâ, quia tam probabilioritati, quam probabilitati unitur incertitudo speculativa, & sæpe error. Multò minus est certa hæc, *Necesse est sequi probabiliorum*; nam non disputatur, an sit licitum, hoc enim à Probabilistis conceditur ut licitum, etsi à Tutoristis negetur licitum; sed an sit necessarium sequi probabiliorum præ minus probabili. Quare nisi Probabilioristæ nobiscum sentiant, certitudinem inesse opinioni certò probabili, (quòd si hoc concedant, ruit eorum machina contra licitum

Tom. III.

minus probabilis usum) non poterunt Probabilioristæ habere certitudinem per syllogismum reflexum; poterunt Probabilistæ.

N. Ex hoc patet Probabilioritas ex nimio certitudinis amore destruere omnem certitudinem, nam cum Probabilistis negant inesse certitudinem opinioni probabili; ergo nec probabiliori. Rursus huic iudicio reflexo, *Licet pingere, quia necesse est sequi probabiliorum*, non inest certitudo; ergo nec iudicio directo, nec reflexo inest certitudo. Econtra, juxta Probabilistas Reflexistas, quos modo impugnamus, inest certitudo huic iudicio reflexo, *Licet pingere, quia licet sequi minus probabilem*, nam certum per nos est, licere prudenter operari. Sicut ergo aliqui ex Anti-Probabilistis ex nimio amore veri inducti fuerunt ad dicendum, probabile non esse regulam, sed solam veritatem, ut docuit P. Eluzal. aliqui, nempe Tutoristæ, solam tutoritatem; alii, nempe Probabilioristæ, solam probabilioritatem; ita nunc ex nimio certitudinis amore tollunt omnem certitudinem, imò negant necessariam esse.

N. Hoc autem vitium, *Noli esse nimium iustus*, antevertit Spiritus S. non enim pauci errores, immò hæreses in Ecclesiâ Dei ortæ sunt ex nimia sanctitatis, & perfectionis affectatione. Sanè Manichæi ex Divinæ bonitatis erroneâ estimatione inducti sunt ad adstruendum aliud principium rerum malorum, non enim capere poterant, quomodo Deus summè bonus sit causa malorum. Sanè Molinos ex affectatâ, & obviâ ubicumque, & cuicumque viro contemplatione, in turpe vitiorum baratrum plurimos deduxit. Sanè Illuminati dixerunt homines fieri impeccabiles, unico fidei intuitu in Deum absorptos. Sanè Jansenistæ, & ante illos Baianni, utique nimii veritatis, & rigoris amassii, damnati sunt, quia severissimas docebant opiniones, & non nisi veritatem excusare; tales sunt, quòd omnium Infidelium opera sint peccata; quòd nullus detur virtutis actus, nisi charitatis Theologicæ; quòd nullum peccatum sit ex naturâ suâ veniale, sed omne mereatur poenam æternam; & plura alia, quæ P. Ripal. tom. 3. refellit. Non igitur summum appetendum, nec ad infimum descendendum: & ideo Herinex tom. 2. d. 1. de ultimo fine qu. 5. num. 24. concl. 3. rectè dixit: Etsi suppositâ ordinatione hominis in finem ultimum, qui est Deus, teneatur homo in illum per media convenientia se dirigere, ut fides, & ratio evidenter ostendit: etsi quoque sit homini Christiano arctissimè commendandum, se, omniaque opera eo dirigendi, non est tamen ad hoc

K

strictè



strictè suâ in conscientia obligatus, ut somniavit Baius, & Janfenius dicentes: *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia*: ut ergo ex affectato nimiae sanctitatis amore in turpes mores plures abierunt, ita ex nimio veritatis amore in plures errores, ut notavit P. Eliz. p. 2. lib. 5. qu. 17. §. 11. pag. mibi 136. dicens: Pelagianus, & Lutherani in diversas hæreses abiere: illi asserendo libertatem, & negando gratiam; hi affirmando gratiam, & negando libertatem: Nestoriani, & Eutychiani: illi ex eo quia in Christo D. est una persona, affirmando unam tantum in eo naturam; isti ex eo quia in Christo D. est duplex natura, affirmando duplicem personam.

N. Quare scitè Illust. D. Mich. de Fuentes 148. Probabilissimi partes agens in suo procemio ostendit, quàm alienum sit à Probabilismo scandala generare; quin hæc ipsa fortè à Tutorismo, & Probabiliorismo sæpe oriuntur. Ad tantum verò Doctorem remitto Lectorem meum; nihil enim in eo offendet, quod offendat, nihil sine solidâ ratione elucubrât.

## §. II.

## Alia rationes.

## SUMMARIUM.

Quia illud iudicium speculative verum, & moraliter certum, reflectens supra licitum usum opinionis non est necessarium, ut excludatur omnis prudens peccati formalis formido, 149. Dubium positivum, & negativum, quid? ib.

Quia cum hac utraque præmissa sit sub lite, licet lequi minus probabilem, licet, immò necesse est sequi probabiliorem, omne iudicium reflexum erit incertum de veritate, n. 150.

Quia sicut probabilissima est se sola satis ex Alex. VIII. ita probabilis, aut probabilior, n. 151.

Et sicut certitudo est essentialis probabilissima, nec eget, ut ejus usus liceat, iudicio reflexo de licito ejus usu; ita est essentialis probabilis, & probabiliore, nec eget alio iudicio reflexo de licito earum usu, n. 152.

Illationes notanda ex paritate probabilissima, n. 153.

Quia petentes tale iudicium reflexum speculative verum, & certum de hac veritate, licet usus opinionis probabilis, aut probabilioris, accedunt ad rigorem Jansenii, n. 154. 155.

Immo Reflexiva sunt rigidiores Jansenistis, si necessitant ad concipiendum semper iudicium certum reflexum de hac veritate, Licet sequi probabilem, aut probabiliorem, n. 156.

Quia Reflexiva destrunt quod docuerunt, nem-

pe non esse necessarium iudicium speculative verum, & certum de licentia operis, ib.

Et quia non respondent questionibus, n. 157.

Quia Probabilis & Reflexiva eo ipso revera negant licitum usum minus probabilis; & Probabilioris & Reflexiva usum probabilioris, n. 158. 159. 160. 161.

Quia quod satis ad prudenter, satis ad bene operandum, n. 162.

Iudicium directum excludit vitaliter, non autem mortuo modo peccatum materiale, n. 163.

Bona fides est certa de non peccato certitudine prudentis ad non peccatum adhesionis, nam, 164. 165.

Ipsam iudicium probabile licet sit pure probabile de honestate operis, est tamen certum de honestate actionis. Cur? n. 166. 167.

**P**robatur 2. Vel illud iudicium reflexum moraliter certum de licentia operationis est necessarium, ut excludatur formido prudens, vel imprudens de non licentia? Non primum; hæc enim prudens de peccato formido excluditur, ut ostendi d. 18. scilicet §. 8. per omnem opinionem certo probabilem practicè; nam omnis talis opinio est per se ipsam intransitive iudicium prudens de non peccato formali; adeoque est impossibile cum prudenti de formali peccato formidine, & dubio, si peccato formidine consistat in iudicio, de quo P. Vasquez l. 2. d. 62. si in apprehensione: eo autem ipso quod omnis opinio certo probabilis practicè est formaliter iudicium prudens de non peccato formali, excludit omnem peccati formalis conscientiam, tam negativè dubium, quæ non est nisi suspensio omnis iudicii, quàm positivè dubium, quæ non est nisi imprudens, & temerarium peccati iudicium: ergo dictum iudicium reflexum moraliter speculative certum de licentia operationis non est necessarium, ut excludatur prudens peccati formido. Rursus neque necessarium est, ut excludatur imprudens peccati formido, quia hæc, ut dixi d. 18. scilicet §. 5. §. 2. non obstat ad licitam operationem: ergo illud iudicium certum reflexum supra licitum usum opinionis probabilis, aut probabilioris, aut tutoris non est necessaria.

Confirmo: quia quocumque modo iudicia reflexa supra statum objecti minus probabiliter, aut probabilius honesti multiplicentur, cum omnia pendeant, vel ab hac præmissa, Licet sequi minus probabilem; vel ab hac, Necesse est sequi probabiliorem, aut tutiorem, quæ præmissæ sunt sub lite, & ad summum suis Patronis sint moraliter certæ; sequitur, quod adhuc stantibus illis reflexionibus,



nibus, erit semper locus formidini falsitatis, & inhonestatis oppositæ; ergo ea judicia reflexa non sunt necessaria.

N. 151. *Alex. VIII.* Probatur 2. quia ex una parte certum fere omnibus T.T. est, ut dixi d. 18. *sect. 4.* quod ad non peccandum requiratur iudicium certum de non peccato: ex alia sanctum de fide est post decretum Alexand. VIII. damnantis unam supra triginta propositiones, plerasque Jansenisticas, & Baianas, quod liceat sequi probabilissimam; nam tertia ex damnatis est, *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*; ergo ejus contradictoria affirmativa est vera, *Licet sequi inter probabiles probabilissimam*. Ergo (infero ego) probabilissima se sola satis est ad fine peccato, aut honeste operandum: ergo nullum aliud iudicium certum reflexum de sufficientiâ probabilissimæ requiritur. Prima consequentia probatur; quia si probabilissima se sola non sufficit ad fine peccato operandum, non licebit sequi probabilissimam, nisi addito iudicio speculativo certo de sufficientiâ probabilissimæ; sed hoc est contra mentem Pontificis, qui sine addito damnat, *Non licet sequi probabilissimam*; atque adeo vera est contradictoria sine addito, *Licet sequi probabilissimam*; ergo licet sequi probabilissimam sine iudicio speculativo certo de sufficientiâ probabilissimæ; ergo probabilissima se sola sufficit.

N. 152. Modò inquirò, undenam probabilissima sortiatur certitudinem de non peccato, admittam ab omnibus T.T. ut necessario requisitam ad fine peccato, aut honeste operandum? Non à iudicio reflexo supra sufficientiam probabilissimæ, quia de reliquo præter probabilissimam de non peccato necessarium esset aliud iudicium reflexum de sufficientiâ probabilissimæ; quod iudicium est contra mentem Papæ approbantis sine addito, *licet sequi probabilissimam*: ergo necessario dicendum est, quod certitudo de non peccato formali sit intrinseca ipsimet opinioni probabilissime, nempe moralis certitudo veritatis practicæ, adeoque quod necessaria non sit alia moralis certitudo hujus veritatis speculativæ, sufficit probabilissima.

N. 153. Jam verò si sine alio iudicio de veritate speculativâ moraliter certo de sufficientiâ probabilissimæ licet hanc sequi, quamvis probabilissima non sit certa certitudine veritatis speculativæ de non peccato, sed tantum certa sit certitudine veritatis practicæ; cur inter probabiles non licebit sequi, vel magis, vel minus probabilem sine alio iudicio speculativo certo de sufficientiâ opinionis magis, aut minus probabilis? Rursus

Tom. III.

si incertitudo de veritate speculativâ opinionis probabilissimæ cum suo objecto non impedit, quin sine alio iudicio reflexo supra sufficientiam probabilissimæ possim sequi probabilissimam; ita neque incertitudo de veritate speculativâ opinionis magis, aut minus probabilis cum suo objecto impedit, quin possim sequi licet ipsam minus probabilem, aut probabiliorem sine alio iudicio reflexo supra sufficientiam opinionis magis, aut minus probabilis. Demum sicut incertitudini de conformitate speculativâ opinionis probabilissimæ cum suo objecto unitur certitudo de veritate, seu conformitate practicâ opinionis probabilissimæ cum regulis morum; & de conformitate practicâ operationis per eam directæ cum se ipsâ, & regulis morum: ita incertitudini de conformitate speculativâ opinionis minus, aut magis probabilis, cum suo objecto uniri poterit certitudo de conformitate practicâ ejusdem opinionis probabilis, aut probabilioris cum regulis morum; & de conformitate operationis directæ ab opinione minus probabili, aut probabiliori cum ipsâ opinione minus probabili, aut probabiliori, & cum regulis morum: ergo à primo ad ultimum non est necessarium iudicium certum speculativè verum de sufficientiâ minus probabilis, aut probabilioris, ut sequar opinionem minus probabilem, aut probabiliorem, & exequar, quod istæ dicunt; quin ex mente Pontificis damnantis, non licere sequi probabilissimam, infertur non esse necessarium tale iudicium, ejusque necessitatem Pontificis menti opponi.

Confirmo: Jansenisticum est dicere, ut N. etiam fatetur P. Card. citatus supra d. 4. n. 154. 221. 227. 231. 233. quod ad rectè operandum requiratur dictamen certum speculativè, seu certum de veritate speculativâ actus dirigentis cum objecto directo; aliàs error invincibilis non excusaret à peccato: ergo quotquot præter ipsam opinionem probabilem, probabiliorem, aut probabilissimam; (quælibet enim, dummodo sit certò practicè probabilis, est certa certitudine conformitatis practicæ cum regulis morum, quatenus quælibet est iudicium prudens de non peccato,) quotquot, inquam, ad fine peccato formali operandum requirunt aliud iudicium reflexum certum speculativè de sufficientiâ opinionis probabilis, probabilioris, aut probabilissimæ, accedunt ad rigorem Jansenisticum, cum hoc discrimine, quod Jansenistæ volunt necessarium esse iudicium speculativè verum de non peccato, aut honestate objecti, ut licetè operer.

K ij



operer: adversarii autem non exigunt iudicium speculative verum de non peccato, aut honestate objecti, alias invincibilis error peccati non excusaret; sed exigunt iudicium non tantum verum speculative, sed certum de sufficientia opinionis probabilis, aut probabilioris, aut probabilissimæ.

N.

155.

Fagn.

Meréd.

M. Bar.

Riccius.

Sanè si Janseuista, immò aliqui ex Catholicis, nempe Fagnanus, Merenda, M. Baro, Riccius, rigidi sunt, dum ad rectè operandum asserunt necessarium esse iudicium speculative verum de naturâ objecti, & actionis; utique ab hoc rigore liberi non sunt Adversarii Reflexistæ, dum obligant ad habendum iudiciū speculative verum, & certum de sufficientia opinionis probabilis, probabilioris, aut probabilissimæ, ut quis rectè operari possit iuxta probabilem, probabiliorē, aut probabilissimam.

N.

156.

Quæro enim, an dum docent, licere sequi probabilem, probabiliorē, aut probabilissimam, doceant licere eam sequi, stante iudicio reflexo certo de sufficientia, seu de licito usu opinionis probabilis, probabilioris, aut probabilissimæ; vel docent licere eam sequi sine alio iudicio reflexo? Si hoc secundum docent, docent quod nos: ergo ad rectè operandum, præter ipsam opinionem probabilem, aut probabiliorē, aut probabilissimam, necessarium non est aliud iudicium de licito usu probabilis, probabilioris, aut probabilissimæ. Si primum docent, contra est 1. quia Alexander VIII. absolute, & sine addito definit licitum sequi probabilissimam, non autem cum addito, *stante certo iudicio de licito ejus usu*: ergo à pari licet sequi minus probabilem sine certo iudicio de licito ejus usu. Contra 2. quia Probabilistæ, & Probabilioristæ erunt rigidiores quolibet Janseuista, & quolibet ex Catholicis citatis: hi enim requirunt iudicium directum speculative verum, & certum de non peccato; illi autem requirunt iudicium reflexum speculative verum, & certum de licito usu opinionis probabilis, aut probabilioris ad sine peccato operandum: & ideo

Alex. VIII.

P. Eliz.

P. Eliz. lib. 1. qu. 1. §. 5. rectè dixit, quod opinio docens requiri iudicium evidens, & infallibile (addo ego, vel certò speculative verum) pro regulâ morum, excludens tamquam insufficiens ipsum iudicium probabile, sit nimis stricta. Contra 3. quia dum dicunt licere sequi probabilem, aut probabiliorē, stante iudicio speculative certo de licito ejus opinionis usu, eo ipso Probabilistæ destruunt totum, quod tanto conatu contra Probabilioristas, immò Janseuistas docuerunt: & eo ipso Probabilioristæ de-

struunt totum, quod contra Probabilistas, immò Janseuistas docuerunt. Quod enim utrique, nempe Probabilistæ, & Probabilioristæ, docuerunt, est, non esse necessarium iudicium speculative verum, & certum de licentiâ objecti, & actionis: modo autem docent necessarium esse iudicium speculative verum, & certum de sufficientia opinionis probabilis, & probabilioris ad licite operandum. Quod verò Probabilistæ contra Probabilioristas docuerunt, est, necessarium non esse sequi probabiliorē: modo autem dicunt necessarium esse iudicium reflexum certum de licito usu minus probabilis, ut hanc licitè sequar. Demum quod Probabilioristæ contra Probabilistas docuerunt est, necessarium esse omittere minus probabilem, & sequi probabiliorē; modo autem dicunt, quod ut licitè sequar probabiliorē, necessarium sit iudicium certum reflexum de licito, immò necessario uti probabilioris.

Urgeo; quia dicendo licere sequi minus probabilem, aut probabiliorē, stante iudicio certo reflexo de earum licentiâ, est dicere, quod non est ad rem; nullus enim dubitat, licitum sequi minus probabilem, aut probabiliorē, stante iudicio certo de licentiâ minus probabilis, aut probabilioris, immò stante iudicio certo de necessitate omitendi minus probabilem, & sequendi probabiliorē. Quod enim queritur, & de quo dubitatur, est, an liceat sequi minus probabilem, an potius necesse sit sequi probabiliorē? Debet igitur directè, & sine addito huic questioni responderi; non autem cum addito responderi dicendo, licere, stante iudicio certo reflexo de earum licentiâ, & necessitate; de hoc enim nullus dubitat. Quare P. Terillus qu. 2. de Reg. mor. P. Tab. n. 191. dicit, quod qui dicunt licita esse minus probabilia, re ipsâ docent non licere nisi probabiliora; quia opinio docens licere sequi opinionem directè minus probabilem, est reflexe probabilior opinione negante licere eam sequi.

Ecce quò tandem deveniant Reflexistæ N. Probabilistæ, dum docent necessarium esse hoc iudicium reflexum; revera enim negant licere sequi opinionem directè minus probabilem, nisi quia est reflexe probabilior; hoc autem validè impugnari potest. Vel enim licet sequi opinionem directè minus probabilem, etsi non esset reflexe probabilior, vel non? Si licet, habeo intentum. Si non licet, nisi quia est reflexe probabilior, contra est; quia sicut per Probabilistas non obligor sequi opinionem directè proba-



probabiliorem, ita non video, cur obligemur ad reflexe probabiliorem; vel si ad reflexe probabiliorem obligamur, obligabimur etiam ad directe probabiliorem: ergo ut licet sequar opinionem directe minus probabilem, necessarium non est iudicium reflexum probabilis, aut certum de eius licito usu, sed se sola satis est, quia est formaliter intransitive actus prudens.

N. 159. Dices nullum Probabilioristam docere necessarium esse aliud iudicium reflexum de sufficientia, & necessitate sequendi probabiliorem, ut hac licet utamur; sed satis esse ipsum iudicium directum probabilis de non peccato, ut sine peccato operemur.

N. 160. Sed contra, tum quia M. de Prado, & P. Scild. docent hoc esse necessarium; tum quia si alii Probabilioristae illud iudicium reflexum non exigunt, sed contenti sunt iudicio directo probabiliori de non peccato, ut sine peccato operemur, sequitur 1. quod etiam sufficit iudicium minus probabile de non peccato, ut sine peccato operemur; si enim iudicio probabiliori, etsi incerto, dant vim sufficientem ad ultimum conscientiae dictamen, cur non etiam ipsi iudicio minus probabili, etsi incerto?

Sequitur 2. ruere omnia, quae Probabilioristae in Probabilitas congerunt, sumpta à necessitate iudicii certi de non peccato, nam etiam probabilis de non peccato non est certum speculative directe de non peccato.

N. 161. Sequitur 3. assignandum à Probabilioristis, undenam certitudo de non peccato derivetur in ipsum iudicium probabilis de non peccato, & quae sit ea certitudo; vel enim ea certitudo est intrinseca ipsi iudicio probabiliori; & sic eadem certitudo de non peccato esse poterit intrinseca iudicio minus probabili de non peccato: vel oritur à iudicio reflectente supra licitum, immò necessarium ultimum sequendi probabiliorem, & omittendi minus probabilem? & sic recurrunt quae diximus contra tale iudicium reflexum. Rursus vel certitudo de non peccato, (quam necessariam ad non peccandum fere omnes T.T. adstruunt) est certitudo moralis de speculativa veritate opinionis probabilioris cum objecto enuntiato? & hoc non, quia non omne probabilis est certo speculative verum: ergo certitudo intrinseca ipsi opinioni probabiliori de non peccato, non est certitudo de speculativa conformitate opinionis probabilioris cum suo objecto. Vel est certitudo moralis de practica veritate, seu conformitate opinionis

probabilioris, & objecti, & actus per opinionem probabiliorem asserti cum regulis morum? & sic haec quoque certitudo moralis de practica conformitate opinionis probabilis, & objecti, & actus per eam asserti, convenire poterit ipsi opinioni minus probabili, ut dixi d. 18. sect. 8. & hic; etsi tam opinio minus, quam magis probabilis incerta sint de veritate speculativa sui cum objecto asserto, ut est in re.

Probatur 4. ex P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. N. 9. n. 18. & P. Muncella stim. 2. n. m. 12. quia 162. quod sufficit ad prudenter operandum, sufficit ad honeste operandum: ergo cum ad prudenter operandum non requiratur evidentia de honestate operationis, ita nec ad honeste operandum. Antecedens patet; tum quia vix esset cui liceret operari, cum res practicae sint cognitu difficillimae, & incertae; tum quia plura prudenter agimus in Oeconomicis, Politicis, Militaribus, quae non sunt evidentia; tum quia non egeremus voluntatis imperio ad prudenter agendum, nam iudicium certum, & evidens eo non eget, & incideremus in Academicismum statuentem, non nisi evidens esse prudens, aut verum.

Dices ex P. Terill. q. 13. n. 12. de Consc. N. quod iudicium directum excludat quidem 163. peccatum materialiter, & mortuo modo, non tamen formaliter, & vitaliter. Sed contra; quia iudicium directum est actus vitalis; ergo excludit peccati conscientiam modo vitali.

Instas ex eodem n. 8. l. c. quia nulla fides 164. potest esse bona, nisi operans fiat per eam, certus, saltem moraliter, de non peccato; si enim fides sit tantum probabilis de non peccato, eam habens scit, quod possit esse falsa; ergo quod possit tunc peccare. Respondet P. Muncell. num. 36. necesse non esse, ut opinans cognoscat reflexe, quod sua opinio non sit certa; nam optime stat, quod bona fide iudicet opus esse honestum, & simul iudicet non esse certum, quod sit honestum, adeoque possit aliter se habere, etsi prudenter iudicet, re ipsa aliter non esse.

Sed contra; quia P. Muncella certitudinem veritatis practicae, quam damus cuique 165. opinioni certo probabili, confundit cum certitudine veritatis speculativae: ergo nulla impugnatio; quia P. Terillus non requirit certitudinem veritatis speculativae, sed practicae. Quare dico, quod fides certo probabilis de non peccato sit certa certitudine prudentis adhesionis ad non peccatum, & essentialiter pugnans cum peccato formali. Omitto quod ait P. Terillus, quod quilibet



ex propriæ conscientiæ testimonio iudican-  
dus sit; si autem hoc non sit certum, sed for-  
midolofum, nemo ab eo iudicari potest.  
Contra enim est; quia, ut dixi, conscientia  
est certa de non peccato, eo ipso, quod est  
certo probabilis, & prudens de non peccato.  
Omitto etiam, quod si conscientiæ dictamen  
non est evidens, erit obfcurum, & liberum,  
& sic poterit à conscientia suspendi, & ab eâ  
non damnari. Fateor posse; si tamen assen-  
tiatur, & assensus non sit certo prudens,  
damnabitur.

N. Sed audiendus Alexius Mynsz 1. p. cap. 2.  
166. sect. 4. pag. 121. distinguens duplex judi-  
Mynsz. cium, unum de opere, quod sit; alterum de  
honestate actionis. De operis quod ponitur  
honestate, necessarium est iudicium proba-  
bile; at de honestate ipsius actionis necessa-  
rium prorsus est iudicium certum. Post hæc  
ad hoc nostrum argumentum, operans ex  
iudicio probabili, quod talis actio hic, &  
nunc liceat, prudenter operatur; nam in  
rebus humanis non potest plerumque haberi  
aliud iudicium de licentiâ, quam probabile:  
sed qui prudenter operatur non peccat: er-  
go &c. Respondet, quod qui operatur ex  
iudicio probabili tamquam ex proximâ re-  
gulâ suæ actionis, non operetur prudenter;  
operetur autem prudenter, si operetur ex  
iudicio probabili tamquam ex regulâ me-  
diatâ. Ad probationem ait, in rebus humanis  
non posse haberi plerumque aliud iudicium  
speculativum de honestate actus secundum  
se, quam probabile, concedit; practicum,  
negat; quia vult haberi temper posse iudi-  
cium practicum certum de honestate actus  
hic, & nunc, spectatis omnibus exercen-  
dis, deductum ex hoc principio, Si proba-  
bile est opus esse licitum, certus sum id ope-  
rando me peccare non posse. Concludit,  
quod licet contraria sententia sit virorum  
gravium, attamen non licet eam sequi in  
praxi. Vel enim sequens dirigitur in suâ  
actione ab hac notitiâ, quod probabile sit  
licere operari ex conscientia tantum pro-  
babili, vel non? Si primum, jam opera-  
bitur ex iudicio practice certo. Si secun-  
dum, probabilitas opinionum nihil conferre  
poterit ad honestatem ejus operationis: ut  
enim si quis ex invincibili errore putet,  
quod liceat operari cum conscientia dubiâ,  
non ideo desinet peccare, si operetur imme-  
diatè, & independenter ab ulteriori dicta-  
mine practico; ita & in casu.

N. Sed contra 1. fateor aliud esse iudicium  
167. de honestate operis, seu objecti, aliud de  
honestate operationis; & illud esse posse  
pure probabile speculativè, immo dubium;

hoc autem ob principia advenientia esse pos-  
se practice certum. At quomodo probet  
non esse satis iudicium directum certa pra-  
ctice probabile? etenim illud iudicium, si  
est certo probabile, est prudens; ergo illud  
sequens operabitur prudenter. Secundo,  
quia dum dicit, quod is tantum prudenter  
operetur, qui operatur ex iudicio probabili  
tamquam ex mediata regulâ suæ operatio-  
nis; non autem qui tamquam ex proximâ  
petit principium; hoc enim ipsum queritur,  
cur ipsum iudicium directum certo proba-  
bile non possit esse proxima regula operatio-  
nis? etenim ipsum iudicium certo probabile  
practice est certo prudens intransitive, cum  
ipse Mynsz opinionem probabilem pag. 124.  
definiat per prudentiam; si autem per se  
tale, cur qui illud sequitur immediate, non  
operabitur prudenter? Tertio, quia ignoro,  
cur dicat nostram sententiam non esse tutam  
in praxi; debet enim vel negare, quod iudi-  
cium certo probabile sit certo prudens per  
se; hoc autem negare non potest, nisi suæ  
doctrinæ renuntiet, & nisi neget probabi-  
lissimâ se solâ satis esse: vel si hoc concedit,  
concedere debet nostram sententiam esse tu-  
tissimâ. Quarto, quia falsum est, quod certa  
probabilitas opinionum nihil conferat hon-  
estati operationis; immo si hæc non con-  
fert, nec iudicium reflexum in hæc funda-  
tum, præsertim cum Probabilitas, fund-  
to suis principiis, quod minus probabilis ma-  
neat probabilis in consortio probabilioris,  
non sit adeo facile formare dictamen certum  
de licito usu opinionis probabilis, nam sen-  
tentia negans hunc usum deberet esse certo  
falsâ, quod modestia dicere interdicit.  
Quinto, quia conscientia dubia valde differt  
à probabili; hæc enim est iudicium per se  
certo prudens, illa non est.

#### SECTIO V.

*Argumenta Contrariorum pro ejusdem iudicii  
reflexi, sive moraliter certi, sive narrative  
evidentis necessitate.*

##### §. I.

*Aliqua.*

#### SUMMARIUM.

*Quia opinio probabilis nec est regula regulans,  
nec regulata, n. 168.*

*Dico esse regulam formalem regulantem opus à  
se dictatum, n. 169.*

*Lex Dei est regula objectiva, ib.*

*Iudicium reflexum supra usum opinionis non di-  
rigit immediate opus asseritum ab opinione  
pro-*



probabili; sed hac illud immediate dirigit,  
n. 171. 172.

Habens opinionem probabilem formidat speculativè, non practicè, de ipsa opinione, eo quia hac est per se iudicium prudens, adeoque excludens omne dubium prudens de peccato formali, n. 173. 174.

Opinio probabilis etsi sit incerta, an actio sit materialiter mala, est tamen certa, quod non sit formaliter mala, n. 175.

DD. tuentes ex pramissis pure probabilibus sequi posse iudicium moraliter certum, n. 176.

Hoc nego, ib.

Obiectio, quia omnis probabilis est incerta, n. 177. Dico esse incertam de veritate speculativè sui cum obiecto; & esse simul certam de conformitate sui, & actus, ut sub ea possit, cum regulis morum, n. 178.

Sicut actus inculpate falsus, etsi sit speculativè falsus, est practicè verus; ita opinio probabilis, etsi sit speculativè incerta, est practicè certa, ibid.

Obiectio, quia opinio probabilis est incerta, 179. Dico esse per se certam practicè, n. 180.

Opinio, ait M. Tapia, formidat de veritate sui, at conscientia, formata eà opinione probabili, non formidat de opere, ib.

Alia ejusdem doctrina quod probabilitas prudentialis sit comes perpetuus conscientia probabilis, n. 181. 182.

Opinio probabilis est dictamen prudens prudentià verasimilitudinis de honestate actionis, etsi non sit prudens prudentià de infallibilitate veritatis rei, n. 183.

Quia opinio probabilis est prudentialiter certa, potest esse ultimum dictamen, ib.

pro veritate indagandà. Quod si maneat anxius, operari non poterit, nisi detur necessitas, quā urgente operari potest, quod judicat minus malum. Concludit eā utendum diligentia ut veritatem ad anime salutem spectantem inveniamus, quā prudentes in agibilibus sæculi.

Respondeo, quod opinio probabilis directæ sit regula immediata formalis regulans actionem a se assertam; imprudens autem formido nihil obstat; & ut dixi, iudicium probabile est per se ipsum essentialiter conforme conformitate practicæ regulis morum creatis, & increatis; quæ utraque non sunt regulæ regulantes formales, sed obiectivæ, ut dixi d. 5. Probabilitas autem reflexè cognita est regula regulans immediata ad licitum probabilem usum; immò, ut melius loquar, iudicium reflexum supra eam probabilitatem directam, cum sit certum de probabilitate, est regula (sufficiens saltem, etsi non necessaria juxta me) regulans immediate ad licitum probabilem usum. Vide P. P. Card. Card. tom. 3. d. 56. a. n. 187.

Ad confirm. dico, quod Probabilitas de N. honestate sit, juxta me, iudicium moraliter certum certitudine conformitatis sui; & operis a se directi, cum regulis morum. Ad reliqua, quæ addit, dico ex illis colligi licitum usum cujusvis opinionis certò practicè probabilis, ut alias colligi.

Obijcies 2. ex P. Moya tom. 1. tr. 1. q. 6. n. N. 36. ideo necessarium esse ad rectè operandum iudicium moraliter certum, quia qui amat periculum, peribit in illo: ergo, ne homo peccet, habere debet iudicium excludens omne dubium peccati; sed hoc non excluditur, nisi per iudicium moraliter certum; ergo.

Sed contra 1. quia dubium excluditur etiam à iudicio incerto, immò imprudenti. Contra 2. quia aliud est, quod hac certitudo moralis practica non conveniat nisi iudicio reflexo supra probabilitatem; & hoc nego, dico enim intrinsecam esse ipsi iudicio minus probabili de non peccato; cum enim sit iudicium prudens, eo ipso ipsum iudicium, & opus sub eo positum est certò essentialiter connexum cum regulis morum. Addo, quod, ut dixi, iudicium reflexum supra probabilitatem non dirigit immediate actum, & opus ab opinione probabili assertum, sed dirigit ad licitum usum opinionum probabilem; volitio enim pingendi die festo dirigitur immediate ab hac opinione minus probabili, prudenti tamen, Licet pingere die festo; volitio autem sequendi opinionem minus probabilem dirigitur immediate à iudicio

N. 168. Obijcies 1. ex Merc. 1. p. art. 14. pag. 38. probabiliter reflexè cognitam nec esse regulam regulantem, quia hoc soli convenit legi æternæ ex S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 4. nec esse regulam regulatam, quia hoc debet esse conformis regulæ regulanti; sed probabilitas, cum essentialiter includat formidinem, non habet nisi per accidens conformari legi æternæ; ergo non potest esse regula regulata. Confirmat pag. 39. quia probabilitas honestatis non est latis, quin necessaria est certitudo moralis, quæ faciliè haberi potest per media extrinseca, nempe auctoritatem DD. usum, præsumptionem, & alia, quæ ibi enumerat. Addit: Vel operans est rudis, & tunc fit moraliter certus de honestate ob consilium Parochi, aut viri docti, quorum auctoritas satis est, ut tuto operetur, ut sentiunt Doctores communiter cum D. Thom. quodlib. 3. art. 8. vel est doctus? & tunc uti potest maiori diligentia



dicio affirmante licitum esse sequi minus probabilem.

N. Dices 1. Opinio probabilis A, non excludit oppositam probabilem B; ergo necessarium est aliud iudicium certum excludens opinionem B. Accedit, quod opinioni probabilis essentialis sit formido saltem radicalis: sed qui operatur cum formidine peccati, peccat: ergo qui sequitur probabilem peccat.

N. Nego antecedens; implicat enim, ut cum iudicio prudenti, etsi minus, de non peccato; coexistat iudicium prudentius de peccato; nam implicat probabilitas simultatis utriusque iudicii probabilis. Ad additum scio, quod Mynez 1. p. pag. 134. dicat, quod licet formidet essentialiter de honestate operis, non tamen de honestate actionis: ego dico, quod formidet speculative, non practice de ipsa opinione practica probabilis, quatenus est intransitive certus se operari honeste, & quod ea opinio sit iudicium certo prudens; ergo est certus certitudine excludente omnem prudentem peccati formalis formidinem, & ad summum habet formidinem de peccato materiali.

N. Dices 2. Sequens minus tutam æquè probabilem tantum, habet periculi committendi peccatum materiale, ac spem evadendi; ergo non potest non peccare; ergo, ne peccet, habere debet iudicium reflexum. Nego utramque consequentiam; quia cum illa actio nitatur motivo gravi, & prudenti, quod non sit materialiter mala, possum eam ponere sine peccato formali.

N. Dices 3. Iudicium practicum moraliter certum procedere potest ex principiis tantum probabilibus: ergo etsi ea maior, *Licet sequi omnem practicè probabilem*, sit tantum probabilis, potest iudicium reflectens supra probabilitatem esse moraliter certum. Sed contra 1. quia in presenti non curo, an iudicium moraliter certum sequi possit ex præmissis pure probabilibus, ut videtur docere

Fagnanus, Gonet. & Riecius *Elucubr. 1. cap. 5. an. 8.* & aliis quod tanto magis probat contra eisdem, quod iudicium reflexum supra licitum cuiusque opinionis certo probabilis usum admissum à Probabilistis Reflexivis, possit esse certum, etsi certum non esset, quod licitus sit usus cuiusvis certo probabilis. Quod dico est, quod iudicium per modum conclusionis certum certitudine speculative, sive physica, sive morali, oriri non possit nisi à præmissis speculative veris, & certis, ut docet Logica. Verum quidem est, quod plures rationes, quæ seorsim sumptæ sunt tantum probabiles, possunt simul sumptæ parere certitudinem moralem; & tunc

conclusio moraliter certa non sequitur ab una ratione, sed ab omnibus simul sumptis, quæ sunt antecedens moraliter certum. Contra 2. quia argumentum me non tangit, quia docui, quod practica certitudo moralis de non peccato sit per me intrinseca ipsi iudicio minus speculative probabilis de non peccato.

Obijcies 3. ex P. Carden. tom. 3. d. 56. n. 191. Implicat, ut actus incertus sit certus: sed omnis actus opinativus probabilis est incertus: ergo nullus potest esse certus; ergo tota certitudo est in actu reflexo universalis, *Licet uti quilibet probabilis*; qui actus est certus; & singulari: *Sed opinio docetur licitam die festo picturam esse probabilem*, qui etiam est certus; ergo licet uti hac opinione; quæ etiam est certa: & hæc dirigit conscientiam, & reddit eam certam de non peccato; non autem hæc directæ, *Licet pingere die festo*, quæ est tantum probabilis.

Respondeo, quod actus opinativus certo probabilis sit certus certitudine prudentiali de non peccato, adeoque sit pugnant cum peccato; & quod sit incertus certitudine speculative conformitatis sui cum objecto; etenim scio hunc actum minus probabilem, *Licet pingere die festo*, esse prudentem, & non scio esse logicè verum. Hoc argumentum mutatis terminis suadet errorem invincibilem non excusare; implicat enim, ut actus falsus sit verus: sed error invincibilis est falsus; ergo non est verus; ergo non excusatur peccato: sicut ergo invincibilis error est verus practica conformitate sui, & objecti cum regulis morum, & est falsus conformitate speculative sui cum suo objecto; ita opinio minus probabilis est practice certa, & est speculative incerta. Addo illud consequens, *Ergo licet uti hac opinione*, non dirigere immediate ad volitionem honestam picturæ, sed ad volitionem honestam practicandi opinionem probabilem de licita volitione pingendi.

Obijcies 4. ex M. Martin. de Prado in N. Theol. Mor. cap. 1. de Conf. qu. 3. n. 6. pag. 179. 16. quod omnis, qui ex opinionum contrarietate in quamdam dubitationem inducitur, peccet, ut ait S. Thom. quodlib. 8. ergo debet esse certus se non peccare: sed opinio probabilis caret tali certitudine: ergo requiritur aliud iudicium, seu alia cognitio practica de actu hic, & nunc exercendo conformiter ad appetitum rectum, & juxta leges prudentiæ; & hæc cognitio debet esse certa, non certitudine mathematica, aut metaphysica, sed morali; & hæc certitudo adeit cum probabilitate opinionum, quia certum est, quod stante formidine de honestate actus secundum

Fagnanus, Gonet. & Riecius *Elucubr. 1. cap. 5. an. 8.* & aliis quod tanto magis probat contra eisdem, quod iudicium reflexum supra licitum cuiusque opinionis certo probabilis usum admissum à Probabilistis Reflexivis, possit esse certum, etsi certum non esset, quod licitus sit usus cuiusvis certo probabilis. Quod dico est, quod iudicium per modum conclusionis certum certitudine speculative, sive physica, sive morali, oriri non possit nisi à præmissis speculative veris, & certis, ut docet Logica. Verum quidem est, quod plures rationes, quæ seorsim sumptæ sunt tantum probabiles, possunt simul sumptæ parere certitudinem moralem; & tunc



cundum sc. possum illum in praxi exercere. Addit n. 7. quia operatio practica debet esse actus prudentiae; sed non potest esse talis, nisi sit circa verum practicum; opinio autem potest esse falsa: ergo in exercitio; qui operatur cum opinione probabili; format iudicium proximum practicum moraliter certum. Nec hoc iudicium practicum sequitur adequare ex opinione speculativa; sed ex certissimis prudentiae regulis; haec enim non regulatur penes id, quod in re est, sed quia adhibuit diligentiam; quam potuit, & sic semper est certa practice, ut declarat M. Thom. 1. 2. d. 12. art. 3. §. Secundum probatur. Hae M. de Prado.

M. To. am. i. S. Joan. a S. Thom. 1. 2. d. 12. art. 3. §. Secundum probatur. Hae M. de Prado.

N. Respondeo opinionem practice probabilem esse per se intrinsece certam practice, quatenus est conformis regulis prudentiae; immo si per se ipsam non est certa certitudine conformitatis practicae, neque est per iudicium reflexum; nam iudicium reflexum probat hanc opinionem practicae, *Licet se qui certo probabilem*, esse speculative veram.

Hinc icite M. Tapia tom. 1. lib. 1. qu. 8. cap. 10. n. 2. postquam distinguit inter conscientiam probabilem, & opinionem probabilem, quatenus conscientia probabilis praesupponit opinionem, & fundatur in illa, & eam applicat ad opus, ait, quod formido non est in ipsa conscientia probabili, seu opinativa, sed est in ipsa opinione praecedenti; & ab hac formidine purgatur formaliter conscientia opinativa, quia non tam respicit veritatem propositionis in re morali, quam ipsam moralem rectitudinem operationis exercenda; & quamvis opinio, in qua fundatur, involvat in se formidinem; attamen conscientia opinativa eam excludit; supposita enim opinione probabili conscientia dicitur prudenter absque ullo timore, & formidine operationem esse licitam. Opinio igitur formidat de veritate propositionis; conscientia autem, data hac probabilitate, dicitur certo, & sine formidine esse licitam operationem; quae supra talem probabilitatem licet formidolam fundatur. Nam tale dictamen conscientiae pertinet ad prudentiam, quae cum sit vera virtus, habens opus perfectum, non patitur imperfectionem formidinis in suo actu formaliter, etsi praesupponat eam in suo fundamento, nempe in assensu opinativo.

N. Prosequitur. Unde conscientia opinativa non differt a certa per hoc, quod haec sit absque formidine, opinativa vero cum formidine formaliter in ipso conscientiae dictamine; sed quia conscientia certa fundatur in certa scientia, siue notitia ex evidentibus

rationibus, vel testimonio infallibili; conscientia vero opinativa in opinione, ac fundamentis topicis, ac solum probabilibus non excludentibus formidinem propositionis opinatae. Quae tamen formido non transit ad conscientiam, alioquin omnis conscientia opinativa esset inquieta, ac parum secunda, cum tamen oppositum sentiant omnes DD. & experientia ipsa doceat, quod formido opinionis nullatenus turbat conscientiam operantis iuxta opinionem probabilem, cum ipsa conscientia dicitur certo, & sine formidine, esse licitam operationem. Si autem ipsa conscientia formidaret de honestate operationis, non esset secunda, sed dubia, atque adeo non liceret operari cum illa, seu iuxta illam; & hoc volunt Caiet. in Sum. verb. *Opinionis usus*; & tom. 1. Opusc. tr. ult. re- spons. 13. dub. ult. Armilla verb. *Opinio n. 2. Navar. cap. Siquis autem, a n. 58. de Poenit. dist. 7. dum aiunt, ad operandum secundum tutam conscientiam absque peccato, requiri iudicium moraliter certum excludens omnem formidinem*; & idem sentit P. Sanc. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 6. immo est expressa doctrina S. Thom. quodlib. 8. art. 13. ubi ait, quod quando quis ex contrarietate opinionum inducitur in quandam dubitationem, si manente tali dubitatione operatur (agit S. Thom. de sic operante in certa materia, videlicet de habente plures praebendas) periculo se committit, & sic proculdubio peccat: aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat. Quibus verbis vult tantum, quod si ex contrarietate opinionum formido opinionum transeat ad conscientiam, generet dubium practicum auferens securitatem conscientiae, & honestatem operationis.

Demum n. 3. subdit, Licetum est operari secundum conscientiam probabilem; non dicimus modo secundum opinionem probabilem, nam de hoc est maior disceptatio inter DD. Ceterum de conscientia probabili certum est, licere operari secundum illam absque ulla exceptione; nam si non liceret, iam non esset conscientia probabilis, sed transiret in malam, seu dubiam; est enim de ratione conscientiae probabilis dirigere, & regulare honestam operationem; atque hoc docent DD. allegati, & ex ibi dictis format ratio. Nam ad prudens, & rectum dictamen practicum de agendis non requiritur evidentia, seu certitudo infallibilis veritatis rei, sed sufficit prudens verosimilitudo honestatis operationis; alias saepe homines invenirentur perplexi, & raro securi in actionibus humanis, cum cognitio evidens,

Caiet. Armilla Navar.

P. Sánchez S. Tho.

182. M. Tap.



aut infallibiliter certa sit paucorum; sed prædicta verosimilitudo prudentialis est comes perpetuus conscientie probabilis, quæ nititur opinioni practice probabilis: ergo semper est licitum operari juxta conscientiam probabilem. Hæc Illust. Tapia.

N. 183. In cujus verbis noto 1. eum distinguere opinionem probabilem à conscientia probabili, eamque esse fundamentum hujus; hanc verò addere illi prudentiæ rectitudinem. Secundò noto, quòd etsi conscientia probabilis fundetur in opinione probabili, non tamen, ait, imbibit formidinem opinionis probabilis, quia cùm conscientia probabilis sit dictamen prudentiæ, excludit imperfectiōnem à suo ipso actu; non autem ab actu opinionis, quam præsupponit. Tertiò noto, certum esse licere operari cum conscientia probabili, quia est prudens dictamen prudentiæ verosimilitudinis de honestate operationis, etsi non sit prudens prudentia de infallibilitate veritatis rei. Quartò noto, quòd hæc omnia, quæ M. Tapia acutè tradidit, applicari possint nostræ sententiæ: si enim formido de veritate rei præsupposita in opinione probabili præcedente ad conscientiam probabilem non nocet conscientiæ, quia cum conscientia probabili stat certitudo prudentialis de honestate operationis; ita cùm hæc ipsa certitudo prudentialis de honestate operationis sit formaliter imbibita ipsi opinioni probabili, eo ipso ipsa opinio probabilis poterit esse formaliter ultimum dictamen conscientiæ regulans operationem; cùm satis ad rectam conscientiam, & ultimi dictaminis rectitudinem sit certitudo prudentialis de licitâ operatione, quæ certitudo inest cuicque opinioni certò practice probabilis. Omitto ponderare, quomodo, juxta M. Tapiam, ipsa conscientia probabilis non sit formaliter formidolosa, cùm præsupponat opinionem probabilem formidolosam formaliter tamquam præmissam ex qua infertur.

## §. II.

*Alia pro ejus judicii reflexi necessitate.*

## SUMMARIUM.

Objectione, quia nulla probabilis est judicium infallibile de non peccato, n. 184.  
Retorqueo in omnes tuentes necessitatem judicii reflexi, n. 185.  
Similiter in omnes eam negantes, n. 186.  
Dico conscientiam debere, & satis esse, ut sit certa certitudine prudentis ad non peccatum formale adhesionis, non verò certam de veritate speculativâ, n. 187.

*Alia falsitas logica, alia practica, & moralis. Quid utraque? ib.*

*Omnis probabilis est fallibilis falsitate logica, non practica, ib.*

*Implicat ut opus positum sub judicio practice certo probabili de licentiâ sit illicitum formaliter, ib. & n. 189.*

*Regule morum sunt. Licitum est operari prudenter: Neceesse non est operari prudenti. Licitum est non stare legi, cuius obligatio non est certa, ib.*

*Omni certò probabili practice est imbibita veritas practica, non omni logica, n. 190.*

*Qui est incertus de materiali peccato, potest esse certus de non peccato formali, n. 191.*

*Objectione. Quia est imprudentia agere quod probabilis judicatur illicitum, n. 192.*

*Nego suppositum. Cur? ib.*

*Candidi contradictiones, & ejus doctrina, ib.*

*Ipsa opinio certò probabilis est judicium, quæ judicatur infallibilitate practica opus non esse peccatum, n. 193. 194.*

*Objectione. Opinio probabilis de non peccato est formalis probabilis de peccato, n. 195.*

*Dico esse certam de non peccato formali, & probabilem de materiali, n. 196.*

*Non est inutile, etsi non sit necessarium judicium reflexum; cur? ib.*

*Munieffa concedit, quòd quis per opinionem probabilem non peccet, non tamen sit certus se non peccare, n. 197. 198.*

*Rejicio, ib.*

*P. Eliz. negat, quòd possit dari actus certus de objecto incerto, n. 199. 200. 201.*

*Exponitur textus S. Thom. de opinionum contrarietate, n. 202. 203.*

*Qualiter differant formido, & dubium, n. 204.*

*Cur operans cum dubio peccet, non ita operans cum imprudenti formidine? n. 204.*

*Prudentia non est necessario speculativa vera, sed satis veritas practica, n. 205. & 206.*

*Quomodo opinio probabilis de peccato, & non peccato, sit practice certa de non peccato, ib.*

*Satis ut ultimum dictamen excludat omnem prudentem formidinem, & dubium peccati, non autem neceffe, ut etiam imprudentem, n. 207. 208.*

*Totum hoc convenit ipsi opinioni certò probabili, n. 209.*

*Non est peccatum exponere se periculo, sed tantum se periculo proximo peccati imprudentem exponere. DD. n. 210.*

*P. D. Thyrsus ait, quòd formido essentialis opinioni non sint hi actus, Fortè pecco, fortè non licet, sed hi, Possibile est, quòd sit peccatum &c. n. 211.*

*Impugnatur à P. Munieffa, ib.*

*Nego esse de opinionis essentiâ formidinem altitudinem, ib.*



lem. Quin dico quod est illi actus coexistere, non esset prudens formido, ib.  
Formido prudens, non imprudens peccati est conscientia peccati, n. 212.

N. 184. **O**bjicies 5. Conscientia ut sit moraliter certa de non peccato, debet esse certa: sed nulla conscientia purè probabilis est certa: ergo nulla conscientia purè probabilis esse potest moraliter certa: ergo præter dictamen probabile directum de licentiâ est necessarium aliud dictamen certum reflexum de eadem. Minor probatur 1. quia omnis opinio probabilis est inevidens, & fallibilis; ergo nulla practicè probabilis est certa. Secundo, quia omnis opinio practicè probabilis est incerta de non peccato; ergo nulla talis est certa de non peccato. Terno, quia eo ipso quod est fallibile, immò sæpe est falsum operationem ab opinione probabili propositam non esse peccatum, eo ipso non est infallibile eam operationem non esse peccatum, immò sæpe est peccatum: ergo opinio probabilis non est iudicium certum de non peccato. Ita P. Carden, P. Teril. P. P. Card. P. Mor. P. Teril. Moya, & plerique.

N. 185. **S**ed contra 1. quia retorqueo in omnes Adversarios, quicumque sint, sive Probabilistæ, sive Probabilioristæ, sive Tutoristæ, dummodo asserant, quod præter iudicium probabile, aut probabilius de non peccato necessarium sit aliud iudicium certum reflexum moraliter evidens de honestate operationis, exclusivum omnis prudentis, & imprudentis formidinis de ejusdem inhonestate: etenim tale iudicium reflexum est fallibile; nititur enim, juxta Probabilistam, huic præmissæ, *Licetum est sequi minus probabilem, & operari minus prudenter*, quæ negatur ut vera ab Anti-Probabilistis. Similiter, juxta Probabilioristam, nititur huic præmissæ, *Licetum tantum est sequi probabilius, & operari prudentius*, quæ præmissa quatenus ait *tantum*, negatur à Probabilistis; quatenus ait *tò licetum*, negatur à Tutoristis obligantibus ad tutius minus probabile præ probabiliori minus tuto: ergo iudicium illud reflexum supra licentiam probabilitatis, aut probabilioritatis tantum, non est infallibile; ergo non potest esse regula infallibilis, & certa ad rectè operandum.

N. 186. **C**ontra 2. quia retorqueo illud in Probabilioristas, & Tutoristas necessitatem iudicii reflexi negantes; nam omnis probabilior minus tuta est incerta de veritate, & non peccato, sicut etiam omnis tutor minus probabilis est incerta saltem de veritate: ergo vel non requiritur certitudo de non

peccato, ut sine peccato operemur; vel si requiritur, ea est intrinseca ipsi opinioni probabiliori, & minus probabiliori.

In formâ distinguo maiorem: Omnis N. 187. conscientia moraliter certa de non peccato debet esse certa certitudine prudentis ad non peccatum adhesionis, & cum peccato connexionis concedo; debet esse certa certitudine, aut evidentia veritatis speculativæ, nego maiorem: & distinguo minorem: Nulla conscientia purè probabilis est certa certitudine prudentis ad non peccatum adhesionis, nego minorem; est certa certitudine, aut evidentia veritatis speculativæ, transeat minor, nego consequentiam.

Ad 1. probat. patet retorasio allata; nam N. 188. nulla ex dictis præmissis est infallibiliter speculativè vera, nempe, vel quod liceat sequi quamlibet practicè probabilem, vel tantum probabiliorum. Rursus retorqueo tum in errore invincibili de non peccato, talis enim error satis non erit ad non peccandum, quia est iudicium falsum speculativè tum in iudicio imprudenti re ipsa vero de non peccato; sequitur enim quod illud sequens non peccabit; quia operatur juxta iudicium speculativè verum, etsi imprudens: ergo argumentum ab omni Catholico est solvendum. Quare resolenda est differentia inter falsitatem logicam, & moralem, seu inter speculativam, & practicam: alia enim est falsitas logica, & est quæ opponitur veritati logicæ, seu est difformitas cum objecto enuntiato: alia est falsitas practica, quæ opponitur veritati practicæ, & est difformitas cum regulis morum. Omnis opinio practica certò probabilis, immò probabilior est fallibilis, immò sæpe est falsa, falsitate logicâ, seu difformitatis cum objecto enuntiato; potest enim reverà esse speculativè falsum, licet, quod opinio practica dicitur licere: nulla autem opinio practica certò probabilis, aut probabilior est fallibilis, aut falsa falsitate practicâ, seu difformitatis cum regulis morum. Implicat enim, ut opus positum sub iudicio practico certo probabili, seu prudenti de ejus licentiâ sit difforme regulis morum; ut enim esset difforme, deberet poni opus sub iudicio dictante esse illicitum; sed in nostro casu ponitur sub iudicio prudenter dictante esse licitum, etsi tale iudicium practicum sit speculativè, seu logicè fallibile, immò sæpe sit logicè falsum; ergo tale opus non potest esse formaliter, seu imputabiliter illicitum, etsi materialiter possit esse tale. Rursus non tantum implicat, ut opus positum sub opinione practicâ certò probabili sit formaliter illicitum, seu

diffor-



disforme regulis morum, quin implicat, ut ipsamet opinio practica certo probabilis sit ipsis regulis disformis, nam est essentialiter iudicium prudens, aut prudentius nixum motivo gravi, aut graviori; omne autem tale iudicium prudens est essentialiter conforme huic regulæ morum, Licitum est operari prudenter: Necessarium non est operari prudentius: Licitum est non stare legi, cuius obligatio non est certa.

- N. 189. In formâ distinguo antecedens: Omnis opinio practica probabilis est inevidens, & fallibilis quoad veritatem logicam, seu conformitatem sui cum suo objecto ut est in re, concedo; quoad conformitatem sui, & objecti cum regulis morum, nego: est enim certum, quod sit conformis regulis morum, eo ipso quod certum est esse probabilem: & distinguo consequens: Nulla probabilis est certa certitudine veritatis logicæ, seu conformitatis sui cum suo objecto ut est in re, concedo; certitudine veritatis practicæ, seu conformitatis sui, & objecti à se directi cum regulis morum, nego consequentiam.

N. 190. Ad 2. & 3. probationem patet ex dictis; ut enim omni opinioni practicæ probabilis est formaliter imbibita veritas practicæ, seu conformitas sui, & objecti directi cum regulis morum, ita si ea opinio practica sit certo probabilis, erit intransitivè ei imbibita certitudo ejusdem veritatis practicæ, seu conformitatis cum regulis morum. Rursus sicut nulli opinioni practicæ probabilis est formaliter imbibita veritas logica, potest enim esse logicè falsa; ita nulli est formaliter imbibita certitudo veritatis logicæ. Si igitur Adversarii Catholici perfectè teneant quid sit logica veritas, aut falsitas; & quid moralis veritas, aut falsitas, viderent, quam parum sua argumenta concludant. Nos veritatem practicam, & certitudinem, & infallibilitatem veritatis practicæ damus cuique opinioni practicæ certo, aut infallibiliter probabilis, etsi cuique opinioni practicæ certo probabilis possit non inesse veritas logica, adeoque sit certo, & evidenter incerta, & fallibilis quoad veritatem logicam. Hæc nostra doctrina est certa ex iis, quibus nos, & Adversarii impetimus Jansenistas negantes errorem invincibilem excusare à peccato, sed solam veritatem logicam.

- N. 191. Dices 1. Qui est incertus, an illicitum patriverit, non potest esse certus de non peccato: sed sequens opinionem probabilem pro libertate est incertus, an illicitum patriverit; ergo non potest esse certus de non peccato. Distinguo maiorem: Qui est incertus, an materialiter illicitum patriverit,

non potest esse certus de non peccato materialiter, concedo; qui est incertus, an immaterialiter illicitum patriverit, certus tamen est se non patrâsse formaliter illicitum, non potest esse certus de non peccato formali, nego maiorem: & distinguo minorem: Sequens probabilem est incertus de illicito materialiter, concedo; de illicito formaliter, nego minorem, & consequentiam; nam sequens certo probabilem est certus tum exercitè, quatenus exercitè prudenter operatur; tum reflexè, seu signatè se prudenter operari ex iisdem principiis, quod illicitum, quod non est certo vetitum, & est prudenter permissum, est certo permissum. Alter P. Moya tom. 2. qu. 9. n. 31.

Dices 2. Opus elicatum sub iudicio minus probabili de honestate est imprudenter elicatum; imprudentia enim est agere id, quod prudentius iudicatur illicitum. Nego suppositum sapienter negatum; supponitur enim, quod dum prudenter iudico objectum A, licere, simul habeam aliud iudicium prudentius, quo iudicem non licere; repugnat enim probabilitas simultatis, seu similitudo duplicis iudicii contrarii, etiam non repugnet similitudo probabilitatis. Adde ex Philal. qu. 1. dicente operationes honestas esse tales, vel per se, vel per accidens; per se honestæ sunt illæ, quæ non tantum prudenter, sed reverà à parte rei honestæ sunt; per accidens honestæ sunt illæ, quæ à parte rei sunt inhonestæ, hic, & nunc tamen putantur invincibiliter honestæ. Porro ad agendum sine peccato requiritur iudicium certum, & infallibile, quod operatio sit licet, & nunc honesta, saltem per accidens; & requiritur iudicium saltem probabile, quod sit honesta in se; prudentia autem ideo non errat, quia (inquit) infallibiliter tendit in suum objectum; non enim iudicat de honestate operationis per se, sed per accidens. Demum prudentia infallibilitatem circa suum objectum honestum saltem per accidens fundat in hoc syllogismo: Prudentia iudicans operationem aliquam licere, sequitur semper dictamen rationis, seu iudicium probabile de honestate illius in se: sed sequens dictamen rationis est certus se elicere operationem per accidens saltem honestam, etenim eam esse talem invincibiliter putatur per dictamen rationis: ergo quæritur operatur, est certus se non peccare. Hæc Philaleus. Ecce 1. quod Probabilioristarum Modestorum Coriphæus est Reflexiva. Ecce 2. de opinionis probabilis usu docere, quod alii Probabilistæ. Ecce 3. quod opinio probabilis est prudens, & infallibilis, non circa honestatem.



honestatem materiale, seu veritatem speculativam, sed circa honestatem formalem; seu veritatem practicam.

N. 193. Obijcies 6. Judicium, per quod opus iudicatur infallibiliter licitum, vel est ipsa opinio probabilis; & hoc non; quomodo enim per iudicium essentialiter fallibile, iudicetur opus infallibiliter licitum? vel non est; & sic habetur intentum.

N. 194. Resp. iudicium, per quod opus iudicatur certo, & infallibiliter licitum certitudine, & infallibilitate conformitatis talis obijci cum eodem iudicio, & iudicii probabilis cum regulis morum, esse ipsam opinionem certo probabilem. Ad quæsitum dico, quod opinio probabilis sit iudicium fallibile fallibilitate, aut fallitate speculativâ difformitatis sui cum opere enuntiato; non autem sit fallibile fallitate practicâ difformitatis sui, & operis cum regulis morum. Dixi enim d. 18. *sect. 8.* quod cum omnis opinio practica certo probabilis sit bona fides de licentiâ, omnis autem bona fides certo excuset à peccato; hinc licet possit esse logicè falsa, seu representare objectum aliter ac est in re, ex.gr. ut licitum, quod in re est illicitum; attamen in dirigendo ad opus est semper recta, quia conformis primis regulis morum; & est semper certo recta, quia certum est, quod sit dictis regulis conformis; supponitur enim certo probabilis, & ideo repugnat, ut non sit licitum opus, quod dicatur licitum.

N. 195. Dices: Qui habet iudicium tantum probabile de non peccato, ei est tantum probabile, quod non peccet; ergo est etiam probabile oppositum; quod peccet; ergo habere debet iudicium certum reflexum de non peccato; nam directum est pure probabile de non peccato. Accedit, quod si iudicium reflexum certum de sufficientiâ opinionis probabilis, aut probabilioris non est necessarium, erit inutile.

N. 196. Resp. quod qui habet iudicium certo, est tantum probabile, de non peccato, sit certus de non peccato formali per ipsum iudicium formaliter, & intransitive, & sic nego consequentiam. Addo primò sermonem esse debere de probabilitate subiectivâ, non de obiectivâ; implicat autem, ut iudicans probabiliter opus A, non esse peccatum, iudicet simul probabiliter esse peccatum. Addo secundò, quod si mihi est certo probabile, quod non peccem ponendo opus A; eo ipso est mihi improbabile, quod peccem illud ponendo, nam oppositum certo probabili non est probabile, sed est improbabile. Ad additum nego antecedens, &

Tom. III.

dico esse utile, ut excludatur formido resultans ex non evidentia iudicii directi probabilis; immò, ait P. Muniessa *stim. 2. n. 26.* licet tales reflexiones metas probabilitatis non excedant, sunt tamen intra eandem multò probabiliores, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, quàm opinio directa de rebus, quia probabilitas non stat in indivisibili, ut veritas.

Instas ex P. Moya *tóm. 2. qu. 8. num. 2.* Qui licet operatur practicans opinionem benignam, est certus se non peccare; aliàs si esset tantum probabile, oppositum etiam esset probabile; ergo ne peccet, habere debet iudicium certum de non peccato.

Respondet P. Muniessa *stim. 2. n. 46.* tum quod aliud sit, quod, qui licet operatur, non peccet, aliud, quod certus sit, quod non peccet; tum, quod sit quidem probabile mihi subiectivè, quod non pecco; & esse probabile obiectivè quod pecco; non autem esse probabile subiectivè quod pecco. Sed contra; quia licet verum sit, aliud esse, quod hoc sit verum, aliud quod sit certum; attamen qui licet operatur, si est certus, quod licet operetur, eo ipso est certus de non peccato; ergo si concedit, quod qui licet operatur, non peccet, concedere etiam debet, quod sit certus se non peccare; eo enim sensu, quo certum est, quod qui licet operatur, non peccet, eodem etiam est certum, quod qui licet operatur, sit certus de non peccato. Distinguendum igitur erat antecedens: Qui certo licet operatur, certo non peccat, concedo; qui incerto licet operatur, nego; non autem concedere potest absolute antecedens P. Muniessa, quod qui licet operatur, non peccet; & deinde negare, quod sit certus de non peccato, qui licet operatur, nam inter opus licitum, & non peccatum est evidens illatio. Ego dico, quod qui certo probabiliter licet operatur, sit certus de non peccato formali, certitudine prudentis cum peccato formali repugnantie.

Obijcies 7. ex P. Eliz. *lib. 3. qu. 2. & qu. 18.* Non potest actus esse certus, cuius obiectum non est certum: sed obiectum ultimi dictaminis est opinio affirmans talem contractum licere, quod est obiectum incertum; ergo etiam ultimum conscientie dictamen est incertum.

Sed contra 1. quia quæro à P. Eliz. unde, nam, juxta ejus mentem, quod sola veritas speculativa sit regula morum, sumat certitudinem ultimum dictamen, quod juxta ferè omnes debet esse certum? Non ex eo quia sola veritas sit regula morum; tum quia



quia est de fide, quod non sola veritas excuset à peccato; tum quia hoc dictamen reflexum, quod sola veritas sit regula morum, non dirigit immediatè contractum; ergo dicere non potest, unde ultimum dictamen sumat suam certitudinem.

N.  
201.

Contra 2. quia est evidenter falsum, quod non possit dari actus certus de objecto incerto: ut enim de objecto evidenter falso datur actus verus, de necessario actus contingens; de immortali actus transiens; ita de objecto incerto dari potest actus certus, ut docui sepe; qui enim opinatur, potest reflexè evidenter scire se opinari; ergo potest actus reflexus esse evidens, etsi objectum non sit tale; quare maior est certò falsa. Hæc tamen transmissa, dico quod minor etiam sit certò falsa, nempe quod sit incertum, tale objectum esse probabiliter licitum; est quidem incertum, quod sit licitum, non tamen est incertum, quod sit probabiliter licitum. Addo quod licet, juxta Reflexistas, objectum ultimi dictaminis sit opinio affirmans licere contractum, attamen, per nos, objectum ultimi dictaminis est ipsa licentia contractus, cum per nos ipsa opinio affirmans licentiam contractus sit ultimum dictamen. Hinc videre est, quantum P. Eliz. hallucinetur; cognitiones enim, ex quibus, juxta oppositam Reflexistarum sententiam de necessitate dictaminis reflexi, deducitur dictamen certum, & evidens, non est ipsa opinio probabilis; hæc enim non est præmissa, sed objectum præmissarum; quod tandem P. Elizal. intellexisse debuisset; non autem dicere, quod sit impossibile, quod tale dictamen reflexu sit certum, cum, juxta Probabilistas Reflexistas, sententia stans pro licito usu probabilitatum sit illis saltem moraliter certa; ergo falsum est, quod tale dictamen reflexum non possit esse Probabilistis certum, etsi juxta me non sit necessarium.

N.  
202.  
S. Tho.

Objicies 8. S. Thom. quodlib. 8. art. 13. requirere videtur ad honestatem actus judicium excludens omnem formidinem; ait enim: *Siquis ex contrarietate opinionum in aliqua materia inducitur in quandam dubitationem, & tali dubitatione manente operatur, peccat; videtur autem per dubitationem intelligere non tantum verum dubium, sed etiam formidinem, nam subdit: Ex conscientia obligatur quis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, sive etiam opinionem cum aliqua dubitatione: sed opinio cum dubitatione est formido, nam dubitatio propriè non stat cum opinione, est enim suspensio omnis assensus: ergo S. Thom.*

exigit certitudinem exclusivam omnis formidinis de inhonestate, ut quis recte operetur. Confirmatur 1. quia operans cum dubio, seu formidine de veritate partis oppositæ committit se periculo faciendi contra legem, nam non est securus, quod non le committat. Secundo, quia prudentia ex Arist. 6. Ethic. cap. 5. est habitus cum verà ratione activus: sed opinio probabilis non includit veram rationem, nam sæpe est falsa; ergo non includit prudentiam, adeoque nec certitudinem.

Respondeo S. Thom. ut patet ex d. 18. sect. 5. §. 2. sæpe dicere, quod ad recte moraliter operandum requiratur certitudo, non quidem omnimoda, sed congrua materiei morali, quæ excludit quidem prudentem, non autem imprudentem formidinem: ergo dum S. Thom. requirit judicium certum de honestate, unicè requirit judicium excludens tantum prudentem formidinem.

Ad 1. confirm. aliud est dubium, aliud formido peccati; operans cum dubio peccat, ut dixi, & ideo requiritur, juxta omnes, judicium certum de non peccato; operans autem cum imprudenti formidine non peccat; præsertim si ea per judicium prudentem de non peccato contemnatur.

Ad 2. dico prudentiam, ut sæpe dixi d. 18. N. includere veram prædictam, non autem necessariò veram speculative rationem; aliis nemo sequens judicium temerarium verum imprudenter operaretur; & nemo sequens invincibilem errorem operaretur prudenter.

Dices: Prudenter opinans non potest errare, nam nullus errat per prudentiam, nec virtute malè utitur: ergo ut quis sit certus se rectè agere, præter judicium probabile necessariò eget judicio reflexo certo. Distinguo antecedens: errare speculative, nego; errare difformando se regulis morum, concedo: sæpe enim dixi, tum quod prudentes sæpe prudenter errant; tum quod imprudentes sæpe verum temerè dicant; & nego consequentiam; quia ipsum judicium probabile est quidem speculative probabile de peccato, & non peccato; attamen simul est practice certum, seu certitudine veritatis practice, & conformitatis cum regulis morum de non peccato.

Objicies 9. Ultimum dictamen de non peccato, aut honestate excludere debet omnem malitiæ apparentiam: opinio probabilis non excludit; ergo præter hanc necessariò est aliud judicium saltem moraliter evidens exclusivum omnis apparentiæ malitiæ. Confirmatur 1. quia adhuc dato, quod opinio



opinio practica probabilis sit per se ipsam  
iudicium moraliter certum de non peccato;  
attamen quia hoc iudicium non opponitur  
formidini peccati, nec excludit iudicium re-  
flexum dictans, quod operari cum formidine  
peccati sit peccatum; ideo non satis erit ad  
fine peccato operandum. Secundò, quia  
non licet se exponere periculo probabili  
peccandi; sed nisi operans sit certus de non  
peccato, exponit se illi, nam est etiam pro-  
babile se peccare; ergo. Tertiò, quia nisi  
dictamen conscientiae sit certum, erit con-  
iungibile cum hoc actu, *Fortè hic, & nunc*  
*Deo displiceo, & per talem actum pecco;* sed  
operari cum hac formidine est intrinsecè  
malum; ergo.

N. Sed contra; quia nimis probat: Vt enim  
208. Reflexitæ requirunt moralem non peccati  
evidentiam, ne quis peccet; ita alii cum  
Jansenitis requirunt physicam, aut meta-  
physicam non peccati evidentiam, ne quis  
peccet: ergo vel satis est certitudo moralis  
de non peccato excludens omne dubium, &  
formidinem prudentem peccati; vel si ea  
non est satis, nec satis erit moralis evidentia,  
sed necessaria erit physica, aut metaphysica  
non peccati evidentia, ne quis peccet. In  
forma distinguo maiorem: Vltimum de non  
peccato, aut de operationis honestate dicta-  
men excludere debet omnem prudentem  
malitiæ apparentiam, concedo; impruden-  
tem, nego maiorem: & distinguo mino-  
rem: Opinio probabilis non excludit im-  
prudentem, concedo; prudentem, nego  
minorem, & consequentiam. Dico enim  
satis esse, ut ultimum conscientiae dictamen  
sit prudenter certum, & prudenter dictans  
hoc opus non esse peccatum, aut esse hone-  
stum, seu, quod idem est, sit certum certi-  
tudine excludente omnem peccati conscien-  
tiam, & dubium: sed omne iudicium certò  
probabile de non peccato est per se ipsum  
formaliter prudenter certum certitudine  
excludente omne dubium, & conscientiam  
peccati; ergo satis est, ut ultimum dicta-  
men sit invidens, adeoque certò proba-  
bile.

N. Ad 1. confirm. dico, quod iudicium cer-  
209. tò probabile de non peccato, cum sit essen-  
tialiter per se ipsum bona fides non peccati,  
excludat tum prudentem peccati formidi-  
nem, tum illud iudicium reflexum, quod  
operari cum prudenti peccati formidine sit  
peccatum; immò tale iudicium reflexum de  
prudenti formidine tunc est impossibile,  
cum tunc non habeat prudentem peccati  
formidinem.

N. Ad 2. dico cum S. Thom. P. Suar. d. 32.  
210. Tom. III.

de Poenit. P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 8. P. S. Tho.  
Palao tom. 1. tr. 2. d. 2. pu. 9. n. 3. P. Muniessia  
stim. 2. non esse peccatum exponere se peri-  
culo peccati, alias nullus esse posset iudex, P. Mun-  
miles, &c. sed tantum exponere se periculo  
proximo imprudenter; nemo autem sequens  
certò probabilem exponit se imprudenter  
periculo peccati: & nego minorem, quod  
si est probabile me non peccare, sit etiam  
probabile me peccare; non enim simul ha-  
beo duò iudicia probabilia, unum de non  
peccato, aliud de peccato.

Ad 3. ait P. D. Thyrsus disp. 10. num. 122. N.  
quod formido compatibilis cum opinione  
non sint illi actus, *Fortè pecco: Fortè actus non*  
*licet, & Deo displicet;* sed isti, *Non repugnat*  
*hoc esse illicitum: Possibile est hoc aliter esse, ac*  
*judico;* quia de opinionis essentia est tantum  
id, quo differt à scientia, nempe ipse assen-  
sus de objecto, & assensus de non repugnan-  
tia ad oppositum. Sed contra, ait P. Muniessia  
stim. 2. n. 53. tum quia non satis constituitur  
opinio per id tantum, quo differt à scientia,  
sed etiam per id, quo ab omni non opinione  
differt: tum quia cum actualis formido non  
sit de essentia opinionis, nullus ex dictis  
actibus, quomodocumque exponantur, erit  
essentialis opinioni. Subdit num. 54. tò *Fortè*  
*res aliter est, ac opinor,* non dicere puram pos-  
sibilitatem aliter essendi, sed etiam motivum  
aliquod suavisum timoris, ne aliter sit, ac  
judico. Demum negat eos actus cum con-  
scientiae dictamine incompatibiles esse; etsi  
enim iudicans probabiliter contractum li-  
cere, cognoscat, non tantum esse verum,  
quod possit non esse licitus, sed etiam, quod  
dentur aliqua motiva suavisia, quod non sit  
licitus; attamen relativè ad motiva prepon-  
derantia, ob quæ affirmat licitum, contem-  
nuntur prudenter ut levia. Hæc P. Muniessia.  
At ego dico, tum quod de essentia opinionis  
non sit actualis formido; ergo illi actus non  
sequuntur necessariò opinionem; tum quod  
etsi possibiles sint cum opinione prudenti de  
non peccato, sunt tamen formido impru-  
dens, quæ optimè stat cum certitudine de  
prudenti cum non peccato adhæsione, &  
cum peccato repugnantia.

Dices: Formido peccati est conscientia  
peccati: ergo opus positum sub iudicio mo-  
raliter tantum certò de non peccato, quia  
ponitur cum formidine peccati, adeoque  
cum conscientia peccati, erit peccatum. Resp.  
tunc tantum formidinem peccati esse con-  
scientiam peccati, quando non unitur iudi-  
cio prudenti de non peccato; si autem uni-  
tur, tunc formido peccati non est conscien-  
tia peccati, quia in eo casu formido est im-  
prudens.



prudens, immò expellitur per prudens de non peccato, aut de honestate iudicium, ut dicam *sect. seq.*

## SECTIO VI.

*Alia Adversariorum argumenta pro necessitate evidentia reflexa.*

## §. I.

*Eo quia iudicium directum est sepe falsum.*

## SUMMARIUM.

*Obiectio: quia iudicium moraliter certum est sepe falsum, n. 213.*

*Et est impossibile cum formidine, adeoque necessarium evidens reflexum, ib.*

*Dico ab omni Catholico solvendum, n. 214.*

*Iudicium reflexum est regula immediata iudicii probabilis, non operationis, adeoque inutile, ibid.*

*Iudicium moraliter certum potest esse speculative, non practice falsum, ib.*

*Diffamen conscientie quid debeat excludere? n. 215.*

*Formido peccati divisa ab omni iudicio prudenti de non peccato est conscientia peccati, non unita. Cur? n. 216. 217.*

*Si actualis falsitas speculativa, insita iudicio inculpate erroneo excusatur a peccato, cur non excusabitur probabilitas falsitatis speculative unita iudicio certo probabilis de non peccato? n. 218.*

*Bona fides non potest esse practice falsa, sed speculative, ib.*

*Implicat, ut peccet eam sequens, ib.*

*Obiectio: quia bona fides non peccati stat cum hoc iudicio reflexo, operari cum formidine peccati est peccatum. Et quia conscientia probabilis est dubia, n. 219.*

*Dico bonam fidem esse cum eo iudicio reflexo impossibilem, n. 220.*

*Immo adhuc dato, quod impossibile sit, nil inde, n. 221.*

*Operari cum formidine prudenti peccati est peccatum, non cum imprudenti, ib.*

*Omnis certo probabilis est prudens persuasio non peccati formaliter, & intransitive, ib.*

*Opinio probabilis non est dubia, n. 222.*

*Quid dubium positivum, quid negativum? ib.*

*Quid dubium in genere? ib.*

*Quomodo differat a perplexitate? ib.*

*Fagnanus imponit, quæ non dicimus, n. 223.*

*Obiectio: quia omne iudicium moraliter certum est fallibile, n. 224.*

*Si ad securitatem non satis est certitudo moralis, nec evidentia, n. 225.*

*Bona fides potest esse speculative falsa de obiecto remoto, n. 226.*

*Opinio probabilis est certo prudenter conformis legi Dei, n. 227.*

**O**ppones 1. Omne iudicium pure moraliter certum potest esse re ipsa falsum; ergo opus sub eo elicitum esse potest formaliter illicitum; ergo præter iudicium probabile directum, necessarium est aliud evidens reflexum de licentia ejusdem operis. Confirmatur 1. quia conscientia regens actionem honestam debet infallibiliter repræsentare veram honestatem, nisi enim hanc ita repræsentet, illud sequens poterit non operari honeste. Rursus ita debet veram honestatem infallibiliter repræsentare, ut tale iudicium per se ipsum certissime intellectum de honestate electionis, absque ulla oppositi formidine: sed omnis actus infallibilis ex objecto, & ex modo tendenti, excepta Fide, est evidens; ergo ultimum dictamen debet esse evidens. Secundo, quia si non sit evidens, proponet obiectum cum aliquâ formidine peccati; ergo operantem non reddet omnino securum de non peccato; immò operabitur cum conscientia peccati: si enim non sit evidens, non excludet iudicium saltem reflexum dictans, quid operari cum formidine peccati sit peccatum; ergo ad recte operandum satis non est iudicium moraliter tantum certum de non peccato.

Sed contra 1. quia est ab omni Catholico solvendum, ut dixi *sect. 5. §. 2.* probetur enim, quod invincibilis error honestatis, aut non peccati, non tantum non honestet actum, quin nec a peccato formali excuset actum sub eo errore elicitum. Probat 2. quod ad recte operandum non tantum satis non sit certitudo moralis, sed nec evidentia moralis, adeoque metaphysicam de non peccato, aut de honestate evidentiam requiri, ut quis sine peccato, aut honeste operetur; nam cum iudicio moraliter evidenti de non peccato, aut de honestate stat contingentia oppositi. Probat 3. nec satis esse iudicium reflexum de licito usu opinionis probabilis, aut probabilioris, quia, ut dixi, una ex præmissis, ex quibus illud iudicium reflexum deducitur, est ad summum moraliter tantum certum, non autem moraliter evidens. Quis enim dicat hanc præmissam, *Licet sequi quamlibet certo probabilem*, ex qua hoc iudicium reflexum deducitur, ergo licet hanc sequi, esse moraliter evidenti? Multo minus quis hanc præmissam, *Licet tantum sequi probabiliorem*, ex qua hoc iudicium reflexum inferatur, ergo licet hanc sequi, dicet moraliter evidenti? Ergo argumentum probat non satis esse iudicium reflexum. Adde, etiam dicitur,



retur, quòd sit moraliter evidens hoc iudicium reflexum; Ergo licet sequi opinionem probabilem, aut probabilioris dictantem ut licitam volitionem pingendi die festo, hoc tamen iudicium reflexum non est regula immediata volitionis pingendi: regula enim immediata est ipsum iudicium probabile, aut probabilius, nempe, *Licita est volitio pingendi die festo*; sed ad summum dictum iudicium reflexum erit regula immediata ipsius iudicii probabilis, aut probabilioris, seu liciti usus sequendi iudicium probabile, aut probabilius dictans licere volitionem pingendi die festo, ut dixi *sect. 4.* In forma distinguo: Iudicium moraliter tantum certum potest esse falsum speculative, concedo; practice, nego antecedens, & consequentiam, nempe, quod opus ut elicited sub eà bonà fide non peccat, aut honestatis possit esse formaliter illicitum.

N. 215. Ad 1. confirm. dico, quòd dictamen conscientie debeat ita clare representare non peccatum, aut honestatem, ut ratione suae claritatis excludat, tum omne dubium, tum omne iudicium directum, aut reflexum peccati, aut non honestatis; tum omnem prudentem peccati, aut non honestatis formidinem: ut autem tale sit, satis est, ut sit moraliter certum certitudine prudentis ad non peccatum, aut ad honestatem adhaesionis. Juxta me autem, ut scripsi probavi *d. 18. sect. 8.* omne iudicium certò probabile de non peccato, aut de honestate est per se ipsum formaliter certum dicta certitudine; est enim per se formaliter bona fides non peccati, aut honestatis exclusiva omnis iudicii, & dubii, & prudentis formidinis de peccato; non autem necesse est, ut sit certum certitudine ortà ex evidentia de honestate, per quam evidentiam omnis formido peccati, etiam imprudens, excludatur. Immo talis evidentia, sive directà, sive reflexa, est impossibilis: directà plerumque, quia plerumque honestas operationis exequendae est inevidens; reflexa semper, quia semper nititur praemissae, quae non est moraliter evidens.

N. 216. Ad 2. dixi, quòd operari cum formidine peccati divisà ab omni iudicio prudenti de non peccato, sit peccatum, quia est operari cum conscientia peccati: talis enim formido peccati divisà à iudicio certò prudenti de non peccato est saltem dubium peccati; operari autem cum formidine peccati contemptà à iudicio certò prudenti de non peccato, non est operari cum dubio, aut conscientia peccati: ergo cum, per me, omne iudicium purè moraliter certum, seu cer-

Tom. III.

tum tantum certitudine prudentis de non peccato, persuasionis expellat vitaliter per se ipsum omnem prudentem peccati formidinem, eo ipso omne tale iudicium per se ipsum essentialiter pugnat non tantum cum conscientia directà peccati; (nam si habeo hoc iudicium certò prudens, *Non est peccatum*, repugnat, ut simul habeam iudicium oppositum directum, *Est peccatum*) sed etiam repugnat cum conscientia reflexà peccati; si enim habeo hoc iudicium prudens, *Non est peccatum*, quomodo habere possum hoc iudicium reflexum, *Est peccatum sequi iudicium prudens de non peccato*, cum sit evidenter falsum, & ei assentiri non possum?

Hinc falsum est, quod ait P. D. Thyrsus N. *dist. 10. n. 38.* qui exponens formidinem ait, 217. vel nihil est, quam cognitio, quā is, qui iudicat rem esse licitam, cognoscit aliquid esse argumentum pro parte contrariā; vel nihil aliud est, quam aliqua apparentia veritatis pro parte contrariā, quae tamen apparentia non vehementer impellit ad assensum, nam vincitur à preponderantiā motivi oppositi, vi cuius resolvit dubium, & iudicavit rem esse licitam. Hæc P. D. Thyrsus. Sed contra; quia formido potest etiam esse ex motivo præponderante, cum quo, si adit iudicium prudens de non peccato, ut potest juxta nos adesse, adhuc dabitur formido.

Dices: Bona fides non peccati est inevitabilis; ergo esse potest suo objecto difformis; ergo opus sub eius directione elicited potest esse formaliter illicitum. Sed contra; quia probat, quòd invincibilis error peccati non excuset à peccato formali opus ut sub eo elicited, quia error ille est objecto suo difformis. Si igitur actualis difformitas speculativa iudicii erronei cum suo objecto enuntiato non facit actum tendentem in illud objectum esse practice difformem regulis morum, multò minùs probabilitas ejusdem difformitatis speculativæ, insita iudicio probabili, cum suo objecto enuntiato faciet actionem sub eo iudicio probabili de non peccato positam, esse peccatum. In forma distinguo consequens: potest esse suo objecto difformis speculative, & in representando, concedo; practice, & directive regulis morum, juxta quas dirigit opus, nego consequentiam. Bona fides non peccati potest esse falsa speculative, quatenus opus, quod dicit licitum, potest in re esse illicitum; non tamen potest esse falsa practice, nam eo ipso, quod prudenter dictat tale opus licere, est conformis regulis morum dictantibus, omne prudenter licitum, licere, adeoque se & opus à se directum iisdem regulis

L. iij

regulis



regulis conformatur. Quare evidenter impli-  
cat, ut opus a tali bonâ fide, etsi in re spe-  
culativè falsâ, directum, sit formaliter illi-  
citurum, cum de ratione peccati formalis sit, ut  
sit contra dictamen conscientie; illud autem  
opus est juxta prudens conscientie dictamen.

N. 219. Oppones 2. Bona fides honestatis, seu  
prudens persuasio non peccati licet pugnet  
cum hoc judicio directo peccati, *Est pecca-  
tum*, non tamen cum hoc reflexo, *Operari  
cum formidine peccati, est peccatum*: ergo no-  
stra certitudo prudentis de non peccato per-  
suasionis stat cum conscientia peccati, quia  
stat cum eo judicio reflexo. Confirmatur:  
quia omnis opinio probabilis est dubia: ergo  
omnis conscientia probabilis est conscientia  
dubia: ergo omnis opinio probabilis est con-  
scientia peccati, quia omnis conscientia du-  
bia peccati, est conscientia peccati.

N. 220. Sed contra 1. quia, ut dixi, bona fides non  
peccati per se ipsum excludit non tantum  
omne judicium directum de peccato, & om-  
nem prudentem apprehensionem suavisam  
peccati, seu omnem prudentem peccati for-  
midinem, sed etiam contemnit omnem im-  
prudentem peccati formidinem; immò ex-  
cludit etiam omne judicium reflexum pec-  
cati. Nam bona fides non peccati est judi-  
cium, quo intellectus judicat saltem æqui-  
valenter, quod non obstante eâ peccati ap-  
prehensione, seu formidine, *Hoc opus non sit  
peccatum*: ergo ea bona fides non peccati est  
impossibilis cum judicio reflexo peccati.

N. 221. Contra 2. quia licet bona fides non pec-  
cati composibilis esset cum hoc judicio re-  
flexo, *Operari cum formidine peccati est pec-  
catum*, nil contra me, quia suo argumento  
tenentur Adversarii. Quæro enim, an cum  
bonâ fide probabiliori non peccati composi-  
bile sit illud judicium reflexum? Rursus  
quæro, an cum judicio reflexo delicto usu  
opinionis probabilis, aut tantum probabi-  
lioris, composibile sit hoc aliud judicium  
reflexum, aut formido, *Sequi opinionem pro-  
babilem, aut probabiliorem fortè non licet*? Er-  
go ab omnibus solvendum. Nil ergo con-  
tra nos, adhuc dato, quod hoc judicium re-  
flexum, *Operari cum formidine peccati, est  
peccatum*, sit componibile cum bonâ fide  
non peccati. Vel enim sensus est, *Operari  
cum formidine prudenti peccati, est peccatum*;  
tunc autem tale judicium est de subiecto  
non supponente; nam præsentè bonâ per-  
suasione non peccati, non stat prudens for-  
mido peccati: vel sensus est, *Operari cum  
formidine imprudenti peccati est peccatum*: hoc  
autem est falsum: ut enim ad rectè creden-  
dum fide Divinâ satis est talis certitudo actui

fidei insita, quæ omnem prudentem, non  
verò imprudentem mysteri credendi formi-  
dinem excludat: ita ad rectè moraliter ope-  
randum satis est talis certitudo non peccati  
in ipso actu judicii, quæ omnem pruden-  
tem, non autem omnem imprudentem pec-  
cati formidinem excludat: ergo cum omnis  
opinio practica certò probabilis sit essentia-  
liter prudens persuasio non peccati, adeo-  
que sit impossibilis tam cum peccato,  
quàm cum prudenti judicio, aut prudenti  
formidine peccati, eo ipso satis erit ad rectè  
moraliter operandum.

Ad confirm. nego antecedens, quod opinio  
nō probabilis sit dubia, nam dubium 10. q. 12.  
nere est suspensio voluntaria omnis judicii  
de re proposita. Si suspendatur omne judi-  
cium circa quæstionem propositam, qua  
deficit omne motivum suavisum alicuius,  
erit dubium negativum: si autem quia mo-  
tiva proposita judicantur per actum reflexum  
insufficientia, erit dubium positivum:  
nam dubium strictè tale (ait P. Teril. q. 1. ad  
34. & 50. & Herinc. tom. 2. d. 4. n. 30.) præter  
suspensionem omnis judicii circa rem pro-  
positam dicit aliquod judicium reflexum  
formale, aut virtuale de insufficientia mo-  
tivorum ad judicandum unam partem rei  
propositæ, præ aliâ parte: ita Catholicus  
saepè suspendit omne judicium circa myste-  
rium, nec tamen dubitat, etsi contra ejus  
fidem insurgant varix tentationes; non im-  
quàm dubitat, quia non habet judicium re-  
flexum de insufficientia motivi ad creden-  
dum. Vide P. Ripal. d. 2. de Fide scilicet 3. C.  
de Lugo d. 6. scilicet 1. P. Ovid. P. Hurt. P.  
Bernal: ergo cum in nostro casu detur alien-  
sus certò probabilis circa rem propositam,  
eo ipso opinio probabilis non est dubia.  
Quod si quærat, quomodo perplexitas  
differat à dubio: dico, quod licet omnis con-  
scientie perplexitas sit dubium, non tamen  
omne dubium est perplexitas: quapropter  
perplexitas consistit in duplici æquivalenti  
apprehensione suavisæ malitiæ, quæ appre-  
hensio conjuncta cum carentiâ motivi in-  
ducentis ad judicium victoriosum (ut bar-  
bare loquar) ejus apprehensionis, causat cum  
intellectus irresolutionem.

Hinc deduc, quàm immerito Fagnanus N.  
in caput Ne innitaris n. 175. dicat Probabi-  
listas docere licitum esse operari cum con-  
scientiâ speculativè dubia; si enim de tali  
speculativè dubiâ sit sermo, omnes negant;  
unicè enim docent, & docemus licitum esse  
operari cum judicio speculativè probabili,  
seu incerto de non peccato: addunt reliqui  
Probabilistæ, si tamen ad sit judicium morali-  
ter



liter evidens, aut certum reflexum de licito usu opinionis probabilis, ut rectè P. Moya *tom. 1. tr. 1. qu. 6. num. 41.* quod iudicium reflexum certum dicunt esse ultimum dictamen conscientiae, contradictoriè oppositum conscientiae dubiae; etsi nos huius iudicii reflexi necessitatem negemus, contenti ipsa opinione probabili, cum sit iudicium certò prudens de non peccato, excludens omnem conscientiam peccati dubiam. Sed de hoc infra. Hoc scio, Caramuelem in Apolog. n. 8. pag. 5. dicere, quòd Fagnanus plura imponat Theologis, quae numquam somniantur, ut vel sic apud indoctos eam gloriam habeat, quam apud doctos se habiturum desperat. Reverà tamen non potest in pluribus non laudari etiam a doctis.

N. 224. Oppones 3. Bona fides honestatis potest esse falsa; ergo si falsa sit, opus ab eà asseratum ut licitum, erit peccatum. Confirmatur; quia nullum iudicium de honestate fallibile potest esse recta regula operationis: sed omne iudicium etsi moraliter certum certitudine prudentis ad non peccatum adhaesionis est fallibile, & saepe falsum; ergo nullum tale iudicium esse potest recta regula morum.

N. 225. Sed contra; quia hoc saepe retorsit, tum paritate erroris invincibilis, qui saltem est recta negativa regula morum, quatenus excusat à peccato formali; tum instantià ineluctabili; nam etiam iudicium reflexum, etsi moraliter evidens, potest esse falsum; immò iudicium illud reflexum numquam est moraliter evidens, cum alterutra praemissarum sit ad summum moraliter certa; ergo non poterit esse regula operationis: ergo vel falsus est iudicium moraliter certum de non peccato; vel si hoc non est satis, nec satis erit moraliter evidens, sed necessaria erit ut quis moraliter operetur, evidentia physica, aut metaphysica de qualitate actus, & objecti, quae plerumque est impossibilis, & sapit Janlenismum. In formà distinguo: Bona fides honestatis actus potest esse falsa speculative, quatenus difformis objecto remoto, quod purè speculatur, concedo; practice falsa, quatenus difformis suo objecto proximo, nempe actui, quem juxta morum regulas dirigit, nego, antecedens: & distinguo consequens: ergo si sit falsa speculative, actus sub eà elicitus erit peccatum formale, nego; si practice, erit peccatum formale, concedo consequentiam. Meminerit lector, quòd opinio practica, si sit certò probabilis, erit practice vera, etsi eadem opinio practica possit esse speculative falsa; si autem non sit certò probabilis, erit pra-

ctice falsa, etsi esse possit speculative vera. Quod regulat actionem est veritas practica opinionis, non autem speculativa, cum hac sit prius incerta.

Ad confirm. omisà ignorantia invincibilis retorsione, & iudicii reflexi instantià, 226. dico, quòd bona fides honestatis potest esse fallibilis speculative circa objectum, numquam tamen practice circa opus, quia dirigit voluntatem ad opus conformiter ad regulas morum. Nam, ut docui d. 5. & 6. loquens de errore invincibili, objectum voluntatis non tantum est honestas realis, sed etiam honestas invincibiliter apparens talis, adeoque proxima regula humanorū actuum, seu ultimum de non peccato, aut de honestate iudicium, non debet necessario esse nisi verum moraliter, & practice, seu opus conforme regulis morum, & iudicio juxta eandem dirigenti.

Dices: Opinio probabilis est indifferens, N. ut sit conformis, vel difformis; ergo non est iudicium moraliter certum. Sed contra est; quia ut opinio probabilis sit recta regula morum, non requiritur, ut testatur ipse P. Moya *tom. 2. qu. 9. num. 57.* ut sit conformis suo objecto ut est in re, sed satis, ut ejus objectum judicetur prudenter conforme legi Dei; atque adeo opinio probabilis est quidem indifferens, ut sit conformis, vel difformis legi Dei; nam eo ipso quòd prudenter proponit tale objectum esse legi Dei conforme, eo ipso ipsa opinio practica certò probabilis est prudenter conformis eidem legi. Hec, paucis mutatis, P. Moya, quae si rectè intelligantur, solvunt omnia, quae ab eodem, & ab alijs trahuntur.

## S. II.

*Et quia iudicium probabile non potest esse moraliter certum de non peccato.*

## S U M M A R I U M.

*Eadem vel non sunt contra nos, vel sunt contra omnes Probabilistas, n. 229. 230.*

*Immo sunt contra illum, n. 232. 233.*

*Discrimen inter meam, & Fagnani sententiam, n. 234.*

*Mea certitudo moralis est de veritate practica, ibid.*

*Certitudo moralis de veritate speculativa plerumque implicat, n. 235.*

*Obiectio ex P. Eliz. quia formido peccati est notitia peccati, adeoque non satis bona fides, quia cum hac sit formido, n. 236.*

*Ut detur malitia obligatorie retrahens, non satis in apprehendatur peccatum, sed necesse, ut absit iudicium prudens de non peccato, n. 237.*

*Ad*



*Ad conscientiam peccati non satis cognitio peccati, ib. & n. 238. 239. 240.*

*Materia materialis transit in formalem; si cognoscatur, & desit iudicium prudens de non peccato; non vero si cognoscatur, & hoc adsit, n. 241.*

*Quid necesse ad conscientiam peccati à n. 236. ad 241.*

*Arguit P. Eliz. quia si bona fides non peccati est moralis certitudo non peccati, homo erit securus de sua justificatione, n. 242.*

*Et quia sicut nemo est certus de digna sumptione Eucharistiae, ita nemo de non peccato, ib.*

*Offendo ab omnibus solvendum, n. 243.*

*Viri eximia virtutis habere possunt moralem certitudinem de gratia; nam Tridentinum unice negat certitudinem fidei absque revelatione, n. 244.*

*Aliud, quod sciam me nunc non peccare, aliud quod numquam peccaverim, n. 246.*

*Cur certitudo moralis de statu gratiae regulariter repugnet, ib.*

*Certus se non indigne sumere, non ideo per hoc, quod non indigne sumit, dici potest, quod sit certus de statu gratiae, n. 247.*

*DD. tuentes non satis non conscientiam mortalis pro communione quotidianam, ib.*

*Meum iudicium de dispositione communionis quotidiane, ib.*

*Innoc. XI. ib.*

*Non debet certitudo actus reflexi taxari per certitudinem directi, sicut veritas reflexi non taxatur per veritatem directi, à n. 248. ad 252.*

*Hinc possum esse metaphysicè certus reflexe me non peccare sequendo dictamen purè moraliter certum de non peccato, n. 248. 249.*

*Aliud obiectum conscientia specificativè, aliud reduplicativè sumptum, n. 252. 253.*

N. 228. Fagn. **O**ppones 4. autoritates, & rationes, quibus Fagnanus, & alii Anti-Probabilistae utuntur, si non urgent contra Probabilistam Reflexistam asserentes iudicii reflexi de licito usu opinionis minùs probabilis necessitatem, ut quis sine peccato operetur, militant saltem contra nos docentes, quod iudicium practicum certò probabile applicet ultimo voluntatem: ergo ad rectè operandum, præter iudicium directum probabile, necessarium est aliud reflexum moraliter certum de licito opinionis probabilis usu applicans ultimo voluntatem ad operandum.

N. 229. Scio quod P. Moya tom. I. tr. I. qu. 6. n. 38. dicat omnia adducta à Fagnano contra Probabilistam militent tantum contra unum, aut aliud Modernum tuentem, quod iudicium

probabile practicum applicet ultimo voluntatem; atque adeo contra nos militent; non autem contra torrentem Probabilistarum docentium licitum sequi opinionem probabilem, addito alio iudicio moraliter certo de licito usu opinionis probabilis; sine quo iudicio ne quidem sequi licebit minus tutam, etsi probabiliorem. Hæc P. Moya.

Sed contra 1. quia argumenta Fagnani vel nihil contra nos, vel contra omnes Probabilistas probant: quia iudicium moraliter certum admissum à Reflexistis tanquam necessarium non dirigit immediate voluntatem ad opus dictatum ab ipsa particulari opinione probabilis, ex. gr. ad volitionem picturæ die festo; sed unice dirigit immediate ad volitionem sequendi opinionem probabilem: volitio autem utendi, seu sequendi opinionem probabilem, & volitio pingendi sunt objecta omnino diversa. Rursum illud iudicium reflexum supra licitum probabilitatis usum nititur præmissæ à nobis admittæ ut moraliter certæ, nempe, licet sequi opinionem minùs probabilem, & à Pagnano negatæ ut falsæ: ergo Fagnani argumenta vel non sunt contra nos, vel sunt contra Probabilistas Reflexistas.

Contra 2. quia argumenta Fagnani sunt contra eundem; vti enim admittit tamquam regulam formalem immediatam necessariam ad rectam volitionem iudicium aliud reflexum de necessitate omitendi minùs tutam minùs probabilem, & sequendi tutiorem, aut probabiliorem; vel vult ipsum iudicium probabilis, aut veritas circa tutius esse regulam immediatam rectæ volitionis? Non primum; tum quia idem iudicium reflexum est evidenter, aut saltem certò moraliter falsum juxta nos; tum quia non dirigit volitionem non pingendi, sed electionem tutioris, aut probabilioris. Non secundum; quia si, juxta Fagnanum, iudicium minùs probabile, quia est incertum, non est regula, neque probabilis, quia est incertum, erit regula.

Contra 3. quia sicut Fagnanus docet, N. 232. quod ex probabilibus generari possit iudicium moraliter certum speculativè de honestate actus; ait enim, Si rationes probabiles sint plures, & tanti ponderis, ut intellectus illis sine ulla formidine acquiescat, & iudicet rem ita se habere, hæc est moralis certitudo, quæ sufficit ad rectè operandum: & sicut Probabilistæ Reflexistæ dicunt, quod ex hoc duplici motivo possessionis libertatis, & ignorantie invincibilis de objecti veritate, deduci possit iudicium moraliter certum reflexum de licentia operationis, quomodo



ea motiva sint tantum probabiliora: cur non etiam ipsa opinio probabilis, licet nixa motivo probabili, possit per se esse moraliter certa, certitudine excludente omne peccatum, seu certa certitudine prudentis ad non peccatum adhesionis? hanc enim certitudinem prudentis ad non peccatum adhesionis voco ego certitudinem moralem de veritate practicā.

N. 233. Fagnan. Contra 4. quia idem Fagnanus requirit iudicium speculative certum de honestate actus in se, excludens opinionem probabilem; hoc autem iudicium est plerumque impossibile; immo docet, quod illud iudicium speculative moraliter certum de honestate actus secundum se excludat opinionem etiam probabiliorem; sed illud iudicium non potest esse certum, quia nititur motivis probabilibus, ut docet *num. 99.* ergo vel non est certum, vel si potest esse certum, est nixum motivo probabili, ita etiam iudicium reflexum de licito usu minus probabilis, est nixum motivo probabili sumpto à possessione libertatis, & ab ignorantia invincibili poterit, juxta Probabilistas Reflexistas, esse moraliter certum, ut recte ostendunt M. de Prado, & P. Moya *tom. 1. tr. 1. qu. 6. à n. 36.* immo ipsa opinio probabilis poterit esse moraliter certa certitudine practicā prudentis ad non peccatum adhesionis; non certitudine speculative de honestate actus, & objecti secundum se.

N. 234. Fagnan. Dices: Si requiritur, juxta me, iudicium moraliter certum, non differt à Fagnano, qui idem requirit. Sed contra; quia discrimen est palmare, nam Fagnanus requirit iudicium moraliter certum de speculative veritate actus, & objecti, ita ut actus, & objectum ita sint in re, ut sunt in mente; & ita in mente ut in re; quod iudicium plerumque implicat in incertis, nam de his raro habemus certitudinem moralem de speculative veritate: ego autem requiro iudicium certo probabile de honestate actus, & objecti ut sunt in re; eo autem ipso, quod est certo probabile, est moraliter certum de veritate practicā, seu de conformitate iudicii, actus, & objecti cum regulis morum. Quare mea certitudo moralis est certitudo de veritate practicā, seu de conformitate iudicii, actus, & objecti ut substant ei iudicio cum regulis morum: at certitudo Fagnani, Merendæ, Ricci, Mercori est de speculative veritate, seu speculative conformitate iudicii cum objecto ut est in re. Rursus mea certitudo est certitudo prudentis ad non peccatum adhesionis: at certitudo Adversariorum est conformitas in representando objectum ut

est in re: immo eorum certitudo est in hinc inde incertis plerumque impossibilis; mea autem toties habetur, quoties quis est certus de probabilitate opinionis.

Instabis ex Fagnano *n. 55. & n. 112.* non N. esse difficile habere moralem certitudinem de omni agibili. Sed contra ait Caram. in Apologem. *num. 19.* Lepidissima responsio! Scribat igitur moralium certitudinum librum, & cessabit contentio. Hoc ego scio, quod post Alexandrum VIII. sufficit probabilissima. Rursus scio ex eo principio, quod, ut quis bene moraliter operetur, necessaria sit certitudo de speculative veritate objecti, seu de honestate objecti ut est in se, deduci hæresim Janenii, quod Deus impossibilia jubeat; impossibile enim est habere speculativam certitudinem de veritate omnis actus, & objecti ut sunt in se.

Oppones 5. Cum bonâ fide honestatis stat N. formido peccati; ergo notitia obligatorie retrahens à peccato; ergo conscientia peccati. Confirmatur 1. quia conscientia peccati non est nisi notitia manifestans inhonestatem talis objecti: sed quoties adest formido peccati, adest ea notitia: ergo quoties adest formido peccati, adest conscientia peccati. Secundo: Qui timet peccatum, & vult operari, eo ipso formaliter peccat: sed sequens bonam fidem honestatis cum formidine peccati, timet peccatum, & vult operari, immo operatur sequendo eam bonam fidem; ergo eam sequendo peccat formaliter. Tercio, eo ipso quod adest formido peccati, eo ipso peccatum per sui formidinem actu cognoscitur: ergo eo ipso voluntas ponit opus cognoscens ejus malitiam; ergo illud ponendo peccat formaliter, etsi bonâ fide credat esse licitum. Ita P. Eliz.

Sed contra; quia, ut dixi *d. 5. & 6.* ut opus N. elicited sit formaliter illicitum, non satis est, ut re ipsa sit tale, sed necesse est, quod cognoscatur ut tale per notitiam obligatorie retrahentem ab illo, seu per notitiam proponentem debitum omittendi tale opus. Rursus hic docui, quod ut detur notitia obligatorie retrahens, seu conscientia peccati, non satis est, ut apprehendatur malitia, sed necesse, ut non detur iudicium prudens de non malitia; adeoque si cum ea notitia malitiæ detur iudicium certo prudens de non peccato, seu bona fides, eo ipso tunc non dabitur conscientia peccati, seu notitia obligatorie retrahens ab opere. In formâ distinguo antecedens: Imprudens formido peccati, concedo; prudens, nego antecedens, & consequentiam ob dicta.

N. Ad 1. confirm. nego maiorem; nam ad con-



conscientiam peccati non satis est notitia proponens malitiam in tali opere, sed præterea debet non dari iudicium prudens non peccati; in casu autem nostro adest, ut suppono, prudens non peccati iudicium.

N. 239. Ad 2. distinguo maiorem: Qui timet peccatum, & caret omni iudicio prudenti non peccati, peccat formaliter, si operetur, concedo; qui timet peccatum, & habet prudens non peccati iudicium, peccat formaliter, si operetur, nego maiorem; quia talis timor est imprudens.

N. 240. Ad 3. patet: Ut quis peccet, non satis est, ut ponat opus cognitum ut illicitum, sed ita cognitum ut illicitum, ut careat iudicio prudenti, quod sit licitum: in casu autem nostro, etsi apprehendatur malitia, quia tamen habeo prudens de non malitia iudiciū, excludens omnem prudentem, & contemnens eam imprudentem malitiæ apprehensionem, consequenter ponens illud opus iudicatum prudenter licitum, etsi imprudenter apprehensum ut illicitum, non peccat, nec potest formaliter peccare.

N. 241. Dices: Malitia materialis transit in formalem per cognitionem; ergo tunc ponitur opus formaliter illicitum. Distinguo: per cognitionem cum carentiā iudicii prudentis de non malitiā, concedo; per cognitionem iunctam prudenti iudicio de non malitiā, nego antecedens, & consequentiam. Constante ergo tenendum, quod ut detur conscientia peccati, aut cognitio obligatoriē retrahens, aut notitia proponens obligationem omittendi illud opus, aut prudens peccati formido, (sunt enim omnia synonyma) debet semper non dari iudicium prudens de non peccato; quod si hoc detur, eo ipso non dabitur conscientia, nec formido prudens peccati, nec notitia obligatoriē retrahens ab eo opere.

N. 242. Oppones 6. Si bona fides honestatis, aut non peccati est moralis certitudo non peccati, sequitur, quod homo erit non tantum de non peccato, sed etiam de sua justificatione securus, quod est contra Apost. dicentem, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*; & contra Scripturam sæpe clamantem nos peccare, dum putamus recte agere; & contra Tridentinum sess. 6. cap. 9. 12. 13. & can. 14. & 16. ergo bona fides non peccati, & honestatis non est certitudo moralis, essentialis cum non peccato connexionis, & infallibilis cum peccato oppositionis. Confirmatur ex eodem P. Eliz. lib. 3. qu. 2. §. 4. Qui non potest esse certus, quod digne sumat Eucharistiam, nequit esse certus de non peccato: sed nullus est certus

de digna Eucharistie sumptione; ergo nullus est certus de non peccato. Maior probatur; quia digna Eucharistie sumptio est certitudo non peccati. Hoc argumentum eo magis urget, quod, iuxta nos, sit reflexe metaphysicè evidens, quod sequens certò probabilem non possit peccare; si autem reflexe metaphysicè evidens est, quod opus ut elicitum sub bonâ fide honestatis sit formaliter licitum, eo ipso homini erit metaphysicè evidens propria iustificatio.

Sed contra; quia totum hoc diluitur. 2. per totam, & est ab omnibus solvendum five Probabilistis, five Probabilioristis, five Tutoristis. Quæro enim, an sequens minus, aut magis probabilem, magisque tutam, habeat certitudinem, aut evidentiam, five directam, five reflexam de non peccato, adeoque de propria iustificatione? Si affirmant, ergo ad solutionem tenentur. Si negant, contra est; quia Probabilistæ volunt, quod ultimum dictamen conscientie, nempe iudicium reflexum, sit moraliter evidens, aut certum; similiter Tutoristæ, & Probabilioristæ conveniunt cum sententiâ ferè omnium Theologorum, quod ultimum dictamen debeat esse certum de non peccato, ut fusi docui d. 18. sess. 4. ergo argumentum contra omnes concludit; immò olet Janlenismum, quatenus probat invincibiliter putantem se non peccare, peccare formaliter: velenum invincibiliter putans se non peccare est certus de non peccato, vel non est certus de non peccato? Si est certus de non peccato; ergo argumentum non concludit: si non est certus de non peccato; ergo non est de fide, quod sequens errorem invincibilem de non peccato non peccet: & ideo P. Eliz. ut aliàs notavi, apertè docuit accidere posse, ut formaliter peccet, qui cum bonâ fide, immò certitudine morali honestatis operatur, quod non puto sanum.

In formâ nego maiorem quoad utramque partem, & suppono ex Tridentino sess. 6. cap. 9. ut de fide, quod nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Hæc Tridentinum contra Hereticos iactantes quemlibet debere fide Divinâ credere se esse iustum coram Deo; hoc tamen non tollit, quin homo habere possit certitudinē quandam conjecturalem, quæ in multis est satis modica, quatenus lapsi in mortale probabiliter sibi suadent se esse satis dispositos ad recipienda Sacramenta mortuorum, & exinde arguunt se esse in gratiâ. Hoc certum, quod in viris eximie virtutis possunt adeo augeri conjecturæ, ut habeant certitudinem moralem.



Herine. moralem. Vide Herincx tom. 2. d. 5. de *justif.*  
qu. 6. per totam.

N. Hoc posito, nego iterum utramque par-  
tem. Primam nego, quia etsi homo eviden-  
ter metaphysicè reflexè sciat se non peccare  
sequendo iudicium prudens de non peccato,  
non ideo scit, se nullum per opera præce-  
dentia commississe peccatum; ad summum  
scit se nunc ponendo tale opus sub iudicio  
prudenti de non peccato, non peccare; non  
autem scit se nullum habere peccatum. Se-  
cundam nego; quia si non scit se non habere  
peccatum, multo minus scit se habere gra-  
tiam habitualement. Si ergo nec evidentiam,  
nec certitudinem habet de suâ innocentia,  
quæ præter carentiam peccati in tali opere  
includit carentiam omnis culpæ mortalis  
sibi notæ, & ignotæ, multo minus scire po-  
test se esse in gratiâ, quæ præsupponit om-  
nis culpæ mortalis carentiam: ergo etsi  
homo sit reflexè metaphysicè certus specu-  
lative de suo non peccato in tali opere, non  
ideo est certus de suâ omnimodâ innocentia,  
& multo minus de suâ justificatione.

N. Ratio est; quia, ut sit metaphysicè certus  
de suâ innocentia, debet esse metaphysicè  
certus, quod omnia sua opera elicta fuerint  
sub iudicio prudenti de non peccato, seu sub  
bonâ fide non peccati, ita ut numquam pec-  
caverit: aut si peccavit, debet esse meta-  
physicè certus se perfectam habuisse contri-  
tionem, aut attritionem cum Sacramento  
Pœnitentiæ, aut Baptismi, quæ pendent ab  
intentione Ministrum. Quis enim est meta-  
physicè certus, quod perfectam contriti-  
onem elicerit, aut quod Sacramenta mor-  
tuorum, pendentia ab alienâ intentione, &  
iurisdictione omnino ignotâ, ritè susceperit?  
Hinc acutè, & exquisitè ad rem nostram  
dixit Apostolus, se nullius peccati esse con-  
scium, non tamen per non conscientiam  
peccati esse justificatum, dividens carentiam  
peccati à justificatione, & asserens primum,  
& negans secundum: quomodo igitur Ad-  
versarius ex non conscientia peccati infert  
scientiam justificationis? præcipuè cum vix  
accidere possit sine specialissimâ Dei assi-  
stentia, ut quis sit metaphysicè certus, quod  
in nullo totius vitæ suæ opere peccaverit,  
immo semper sub iudicio prudenti non pec-  
cati, aut bona fide honestatis operatus fuerit.  
Quin toto hoc gratis dato, non erit meta-  
physicè certus de suâ justificatione, & quod  
elicerit actum supernaturaliter honestum,  
qualis necessarius est, ut quis intra, aut ex-  
tra Sacramentum justificetur, etsi esset me-  
taphysicè certus se eliciisse actum hone-  
stum. Ad ultimum dico nullibi Scripturam

docere, quod homo sciens se non peccare,  
peccet formaliter, immò Scriptura, & Fi-  
des docent oppositum, ut latè dixi d. 5. & 6.  
omne enim peccatum debet esse liberum,  
adeoque cognitum, vel in se, vel in sui  
causâ.

Ad confirm. dico, quod ut quis *dignè*, id N.  
est, sine peccato sacrilegii, Eucharistiam  
sumat, satis est, ut invincibiliter putet se  
esse in gratiâ; per hoc autem, quod invin-  
cibiliter putet se esse in gratiâ, non ideo est  
in gratiâ; ergo per hoc quod certus sit se  
*dignè*, seu sine novo peccato Eucharistiam  
sumere, non ideo certus est se esse in gratiâ,  
ut benè P. Moya tom. 2. qu. 9. n. 32. & nos  
supra *sect. 2.* Aliud igitur est certitudo de  
non peccato, aliud de statu gratiæ: invinci-  
biliter putans se esse in gratiâ, est certus se  
non peccare sumendo Eucharistiam, non  
tamen est certus de gratiâ. Addo, contra  
aliquos Modernos facilantes nimia liberta-  
te quotidianam Eucharistiæ sumptionem  
respectu omnium, quatenus supponunt, ut  
quis quotidie *dignè* communice, satis esse  
non conscientiam peccati gravis; contra  
quos disertè agunt G. de Lugo, P. Moya, C. de  
P. Dicast. P. Carden. tom. 3. exponens au-  
tem Innocentii XI. Bullam de Communio-  
ne quotidiana. Quod idem præstat P. Mu-  
nieſſa d. 32. de Eucharist. *sect. 3.* eandem  
exponens; Duardus, qui etsi Bullam non  
exponat, immò asserat utilius esse quotidie  
communicare, quàm non communicare,  
plures tamen præter non conscientiam pec-  
cati gravis requirit dispositiones, ut docet  
d. 2. *sect. 3. n. 5. in §. Secundum capitis, Omnis*  
*utriusque sexus.* Idem sentit Caram. lib. 3. *Caram.*  
*Fundamento 67. num. 34. 83.* asserens ei, qui  
anno integro nullum commisit mortale,  
permitti posse quotidianam Communio-  
nem; immò laico, qui heri *dignè* commu-  
nicavit, etsi totâ die nil boni, aut mali ege-  
rit, permitti potest hodie Communionem. Sed  
hoc non placet; puto enim positivam re-  
quiri dispositionem, & ideo S. Aug. in lib.  
de Ecclesiæ Dogmatibus vult, ut commu-  
nicaturus satisfaciât lacrymis, & orationibus  
extra confessionem pro peccatis venialibus;  
hæc enim si habitualia sint, aliquo modo  
Communione impediunt: immò P. Lay-  
man lib. 5. tr. 4. cap. 6. n. 5. dixit esse sacri-  
legium veniale accedere ad Eucharistiam  
cum veniali; quod tamen non affirmo. Qua-  
re iudico, quod ut quis quotidie communi-  
cet, non satis sit, ut careat omni culpâ mor-  
tali, sed præterea necessariam esse ex præ-  
cepto, & tanti Sacramenti excellentiâ ali-  
quam dispositionem: & ideo Innocentius  
Inn. XI.  
loquens

Apost.  
P. Eliz.

S. Aug.

P. Laym.

Inn. XI.



loquens de Monialibus dicit: *Si quæ verò tali puritate mentis emineant, & tali fervore spiritus incalcescant, ut dignæ quotidianâ Communionem videantur, hoc illis a Superioribus permittatur.* Ergo ex mente Pontificis præter non peccatum mortale, requiritur ad Communionem quotidianam aliqua dispositio.

N. 248. Dices: Implicat, ut iudicium de honestate moraliter tantum certum, sit eo ipso metaphysicè certum de eadem: ergo non est metaphysicè certum, quod sequens iudicium certo prudens de honestate, non possit peccare. Confirmatur: Quod est tantum probabile, non est certum: ergo cum sit tantum probabile, picturam die festo licere, non sum metaphysicè certus, quod pingendo die festo non peccem.

N. 249. Sed contra retorqueo tum contra conscientiam probabiliorē, tum contra conscientiam dictamen moraliter evidens: ergo si argumentum tenet, sola conscientia metaphysicè evidens de non peccato erit moraliter certa; nam retentâ eadem formâ, ita arguo: Non potest esse metaphysicè certum id, cuius oppositum est probabile; oppositum probabilioris est probabile; & oppositum moraliter evidens est contingens; immò oppositum ejus, cuius habeo invincibilem ignorantiam, est probabile, & contingens: ergo sequendo opinionem probabiliorē, aut moraliter evidentem, non sum metaphysicè, nec catholicè reflexè certus me non peccare.

N. 250. Purum igitur sophisma confundens objectum directum cum objecto reflexo, & promensurâ certitudinis, quam habet actus directus, taxare certitudinem actus reflexi: quo modo in simili, ut dixi *scilicet* 1. taxare quis vellet veritatem actus reflexi per veritatem actus directi; potest enim actus directus esse hæresis, & actus reflexus, docens eum esse refutari, esse actus fidei Divinæ: ergo potest etiam actus directus esse tantum probabilis, & certus uno certitudinis genere; reflexus autem potest esse evidens, & certus non tantum diversâ specie, sed diversâ genere certitudinis. Ita accidit in casu nostro, in quo factus directus, seu opinio probabilis est tantum certa certitudine practica, seu prudentis ad non peccatum adhesionis; non autem certitudine morali speculative.

N. 251. Quare in nostro casu objectum, quod opinio purè probabilis affirmat, est tantum probabile; attamen est metaphysicè evidens certum, quod idem actus, quem certo probabiliter honestum iudico, (non dico

certo honestum, sed certo probabiliter honestum) non possit esse peccatum, ut elicitur sub eo iudicio prudenti honestatis. Rursus est tantum certo probabile licere eum actum; adhuc tamen est metaphysicè evidens, quod idem actus ut elicitus sub eâ bonâ fide sit licitus: hinc est, quod licet sit tantum certo probabile picturam die festo licere; attamen non est purè probabile, sed est metaphysicè evidens, quod sit licita volitio pingendi die festo, ut elicitâ sub iudicio prudenti de ejus licentiâ.

Distinguendum igitur acutè est inter objectum conscientie specificativè; & objectum conscientie reduplicativè sumptum, seu ut subitans iudicio de honestate certo certitudine prudentis ad honestatem adhesionis, ut dixi *d. 5. & 6.* de objecto ut substante errori invincibili. Volito picturæ, quæ est objectum conscientie dictantis esse licitam, est certo probabiliter licita: ergo ea volitio est certo honesta certitudine morali practica, seu prudentis ad honestatem adhesionis; non autem est metaphysicè evidens, immò nec speculative moraliter evidens est, quod ea volitio picturæ sit licita; attamen eadem volitio picturæ, ut elicitâ sub eodem iudicio certo probabiliter, est metaphysicè infallibiliter speculative evidens, quod sit licita: eo modo, quo sepe salutum est, quod opus elicitum sub errore invincibili sit licitum; est tamen metaphysicè evidens, quod idem opus ut elicitum sub invincibili errore de licentiâ sit licitum; & metaphysicè repugnat, ut sit formaliter illicitum opus ut positum sub errore invincibili de ejus licentiâ; etsi in sensu diviso ab eo errore possit esse formaliter illicitum. In formâ, si de eodem iudicio sit sermo, concedo antecedens; si de reflexo supponitur aliud reflexum, nego antecedens, & consequentiam.

Ad confirm. concessio antecedenti, distinguo consequens: est tantum probabile actionem A, non esse peccatum, ut divinum à iudicio certo probabiliter de non peccato, concedo; est tantum probabile actionem A, non esse peccatum, ut substantem iudicio certo probabiliter de non peccato, nego consequentiam; hoc enim est metaphysicè certum, & speculative evidens, non quidem evidentiâ directâ actionis, sed evidentiâ reflexâ; est enim metaphysicè evidens, quod actio ut elicitâ sub iudicio certo probabiliter de non peccato nequeat esse peccatum. Breviter: aliud est, *Est tantum probabile hoc opus non esse peccatum*; aliud est, *Est tantum probabiliter hoc opus ut elicitum sub bonâ fide non peccatum*.



*est non esse peccatum. Primum est verum, secundum falsum: primum est objectum actus directi, seu ipsius opinionis certo pure tantum probabilis; secundum est objectum actus reflexi supra eam probabilitatem. Hæc quæ dixi, quod sit metaphysicè evidens non esse peccatum opus ut elicitedum sub iudicio certo probabili, aut probabiliori de non peccato, ad abundantiam dicta sunt.*

§. III.

*Eo quia probabilitas non potest esse regula.*

SUMMARIUM.

*Certitudo speculativa oritur ab evidentia, aut supernaturalitate; non ita practica, n. 254. 255.*

*Quid certitudo objectiva, quid formalis; quid formalis firma adhesionis speculative; quid firma adhesionis affectiva; quid certitudo formalis practica? n. 255.*

*Arguit P. Thyrs. formidinem ortam ex iudicio minus probabili esse prudentem, n. 256.*

*Nego; cur? n. 257.*

*Falsum, quod omnis probabilior sit speculativè moraliter certa, aut evidens. Cur? ib.*

*Obiectio: quia habens opinionem probabilem non habet nisi probabilitatem, n. 258.*

*Mibi certum quod quis potest esse certus de honestate formalis sui actus, etsi non sit certus de materiali. Constat in hoc actu, Deipara est sine labe concepta, n. 259.*

*Et in obediendo, ib.*

*Ut licitè operer, satis certitudo de honestate formalis actus, non de materiali eiusdem, ib.*

*Arguit P. Eliz. quia cum probabilitas conveniat utrique contradictorio, non potest esse regula, quia est indifferens ad legem, & non legem; immò magis est ad non legem, quam ad legem, quomodo horologium magis discordans motui solis non est regula, n. 260.*

*Ejus contradictio, n. 261.*

*Solvenda ab omni Catholico obiectio, ib.*

*Lex æterna est prima regula objectiva actuum humanorum; ratio autem est regula formalis proxima eam applicans, n. 262.*

*Probabile potest esse in mente, vel subjective, vel objective, ib.*

*Probabile directum quid habeat pro objecto; & quid probabile reflexum? ib.*

*Lex æterna non solum ut est in se, sed etiam ut in mente, est regula objectiva, n. 263.*

*Opinio probabilis subordinatur legi Dei, sive ut hæc est in re, sive ut in mente, n. 264.*

*Ratio probabilis concreta per hoc, aut illud iudicium, non est indifferens ad legem, & non legem, etsi abstracta sit indifferens, n. 265.*

*Explico, ib.*

Tom. III.

*Falsum quod qualibet probabilior se habeat magis ad verum, n. 266.*

*Minus probabilis etsi videatur magis falsa, non ideo est talis, ib.*

*Immo relative ad suum objectum non se habet nisi ad verum, nullatenus ad falsum, ib.*

*Paritas horologii inutilis; cur? n. 267.*

*Arguit Palanco moralem certitudinem haberi non posse per æquè, aut minus probabile, num. 268.*

*Dico nullam certitudinem de honestate objectivè esse necessariam, ut licitè operer, n. 269.*

*Moralis certitudo de honestate formalis est insita cuicunque iudicio certo probabili de honestate objectiva. Cur? ib.*

**O**ppones 7. Opinio certo probabilis N. practica est, juxta nos, moraliter certa de non peccato; ergo est moraliter evidens de non peccato. Consequentia probatur; quia certitudo oritur ex evidentia, aut supernaturalitate; sed in opinione probabilis non oritur à supernaturalitate; ergo ab evidentia.

Resp. certitudinem speculativam oriri ab N. evidentia, aut supernaturalitate; practicam autem non oriri necessario ab alterutra: sed certitudo moralis, quam damus cuilibet opinioni practicæ certo probabili, non est certitudo moralis speculativa, sed practica; ergo non oritur ab evidentia, aut supernaturalitate. Ratio est; quia plures sunt species, immò genera certitudinis, ut dixi in tract. de Fide; alia objectiva, de qua nihil in præfenti; alia formalis conveniens intellectui, quæ non est nisi determinatio intellectus ad verum, ut dixi d. 18. sect. 2. quæ certitudo formalis subdividitur in plures species: alia enim est certitudo formalis firmæ adhesionis purè speculativæ, vel purè intellectualis, vel eminentis veritatis; ita enim indifferenter loquuntur Alensis, Scotus, D. Bonav. & alii antiqui: alia est certitudo firmæ adhesionis affectivæ, vel pietatis, vel conscientiæ; ita enim iidem Antiqui loquuntur, & tribui solet actui fidei Divinæ: ita etiam alia est certitudo formalis practica, quæ non est nisi connexio talis actus cum regulis morum, seu essentialis, & intrinseca determinatio iudicii etsi tantum probabilis cum regulis morum, quæ certitudo non oritur ab evidentia, sed ab intrinseca, ut nobis apparet actus, cum regulis morum connexione, ita ut illis sit in dirigendo ad opus essentialiter conformis.

Oppones 8. ex P.D. Thyrs. diff. 10. n. 90. N. quod formido subsequens assensum fundatum in motivo minus, aut æquè verisimili, P. Thyrs.

M

fit



fit magna, & prudens: ergo per eum assensum non possum esse moraliter certus de non peccato.

N. Sed contra; quia sicut ipse vult *num. 75.*

257. quod assentiens ex motivo verisimiliori rem esse honestam, esto sciat non repugnare, quantum est ex vi motivi probabilioris pro tali assensu, (non enim cognoscitur ut infallibiliter connexum cum veritate) eum assensum esse falsum, & rem esse inhonestam; autamen resolutoriè, & determinatè sibi persuadet rem esse licitam, & nequit prudenter, & determinatè dubitare, vel formidare, an sit illicita, & parvipendit tamquam scrupulum formidinem. Ita assentiens ex motivo minus, certo tamen probabili, rem esse honestam, deliberatè, & determinatè sibi suadet rem esse licitam, & tunc nequit in sensu composito talis iudicii, prudenter dubitare, & formidare, an sit illicita, & parvipendit formidinem, nam scit eum assensum esse certo probabilem, adeoque prudentem, cum quo non stat formido prudens de opposito. Quare, quod nos dicimus est innegabile, nisi negetur, quod assensus nixus motivo minus, certo tamen gravi sit prudens, quod nobis est evidenter falsum. De hoc lege Illust. Michaellem de Fuentes *art. 7.* ubi rectè docet, quod si omnis probabilior opinio est certa moraliter, aut moraliter evidens, eo ipso talis erit suo Authori, qualis est hæc propositio, *Datur Roma*; quod dici non potest de opinionibus inter T.T. incertis; nullus enim formidare potest prudenter de veritate hujus, *Datur Roma*; possum autem de meâ mihi probabiliori reflectens ad opposita motiva prudenter formidare.

N. Oppones 9. Ut homo licitè operetur, debet habere certitudinem de honestate sui actus: sed operans juxta probabilem de honestate sui actus, non habet certitudinem de honestate sui actus, sed tantum probabilitatem: ergo sequens opinionem probabilem illicitè operatur: ergo necessarium est iudicium reflexum. Ita Merenda, & Fagnanus volentes necessariam esse certitudinem de honestate materiali objecti, & actus.

N. Sed contra; quia præter dicta *d. 18. sect. 5.*  
259. §. 1. & dicenda, quod quis potest esse certus de honestate formali sui actus, etsi certus non sit de honestate materiali ejusdem, adeit exemplum in hac propositione, *Deipara est sine labe concepta*, ubi non sum certus de honestate materiali ejus actus, nec de ejus veritate speculativâ ejusdem actus, ejusque objecti; & tamen certus sum de honestate formali cultus Deiparæ. In formâ dico, quod ut homo licitè operetur, non sit necesse, ut

fit certus de honestate materiali sui actus, satis ut certus sit de ejus honestate formali. Ita cum Superior (ait Caram. in Apolog. n. 106.) aliquid jubet, quod est probabiliter bonum, non sum certus, an materia, & objectum, circa quod est ille actus, sit bonum; & tamen certus sum eum actum esse honestum. Et distingo minorem: Operans juxta probabilem habet tantum probabilitatem, non certitudinem, de honestate objectivâ, & materiali ipsius actus, & objecti, concedo; de honestate formali actus, nego minorem, & consequentiam.

Oppones 10. ex P. Elizald. *lib. 3. qu. 18. N.* quod probabilitas non possit esse regula actuum humanorum: Primo, quia, ait *pag. 8. l. 197. §. 2.* Probabilitas convenit, juxta nos, utrique contradictorio: Secundo, quia ratio humana probabilis non subordinatur Divinæ legi, quæ est regula primaria: ergo opinio probabilis non potest esse regula secundaria, ut esse debet, si est regula morum. Antecedens probatur; quia lex Dei est una, & pro unâ tantum parte contradictionis; at ratio probabilis est pro utraq; parte, tam pro lege, quam contra legem: ergo ratio probabilis non subordinatur legi Dei: Tertiò, quia ratio probabilis est indifferens ad legem, & non legem; ergo non magis applicat, quam non applicat Dei legem; ergo non est regula formalis morum: Quarto, quia ratio humana dividitur in magis, minus, & equè probabilem; cum autem nos velimus, quod sit regula tam ratio minus, quam magis probabilis, eo ipso probabilitas sic sumpta, seu in genere, non magis se habet ad legem, quam non legem; non magis ad verum, quam ad falsum; immò sicut magis probabilis est magis ad verum, ita minus probabilis est magis ad falsum: ergo æquè, & minus probabilis non potest esse regula: Quintò, quia sicut horologium non magis concordans, quam discordans à mora solis non est regula conveniens temporis, & qui eo uteretur, erraret voluntariè; ita qui scienter sequitur minus, aut æquè probabile pro regulâ, quia assumit aliquid non magis concordans, quam discordans à lege Dei, quæ est regula primaria, peccabit imputabiliter, seu formaliter. Hoc argumento saepe usus fuit P. Eliz. *alibi*, hic autem *l. 2.* ait, quod convellat stirpitus, quidquid molis super probabilia fabricatum est.

Sed, ut ad evidentiam ejus inanitas saepius N. ostensa constet, quæro à P. Eliz. an probabile sit non tantum regula necessaria, sed se p. 261. sola sufficiens ad rectè operandum? Si non est sufficiens, ut reverà per illum non est, qui

Mich.  
de Fuët.

Merenda,  
Fagnanus.



qui solam veritatem vult morum regulam, sequitur 1. sibi contradicere, nam *lib. 3. qu. 1.* aperte docet probabile explicatum per plerumque non fallens esse morum regulam: ergo probabile, aut probabilis explicatum per plerumque non fallens erit sufficiens regula morum. Si autem est sufficiens, (quæ est altera pars quæsitæ) sequitur 2. eo ipso rure ejus argumenta, nam falsum erit aliquando regula morum; quomodo autem falsum cum se habeat ad non legem Dei, & discordet à primâ regulâ, erit regula secundaria, & applicans legem Dei: ergo argumentum ab omni Catholico in errore invincibili est solvendum: si enim invincibilis error primam veritatem, & legem applicare potest, cur aliquod judicium, quod non est certò falsum, quin est certò probabiliter verum, etsi in re falsum sit, non poterit idem præstare? Vide quæ dixi *d. 5. c. 6.*

Ut autem facile solvatur, habendum præ oculis est, quod Dei voluntas, seu lex æterna sit prima, & universalis regula objectiva actuum humanorum; ratio verò humana illam applicans est regula formalis proxima, & unica, & universalis eorumdè: ergo cum actuale judicium probabile dirigat immediatè operationem juxta Dei voluntatem, seu primam regulam objectivam, quam applicat, eo ipso idem judicium probabile erit regula formalis proxima actuum humanorum. Rursus meminisse oportet, quod judicium probabile, aut probabilius possit esse in intellectu, vel subjectivè directè; & non est nisi ipsa opinio probabilis directæ de non peccato, aut honestate operationis, ex. gr. *Licet pingere die festo*; vel objectivè reflexè, & non est nisi objectum judicii reflexi, ex. gr. *Licet sequi minus, aut (si mavis) magis probabilem de licentiâ pittura die festo*; in quo casu ipsum judicium probabile directum est objectum judicii reflexi certi: & sicut probabile directum habet pro objecto *licentiâ pittura die festo*, ita reflexum certum habet pro objecto *eandem licentiâ ut substantiam judicio probabilis directo*; seu probabilitatem, aut probabilitatem de licentiâ pingendi die festo. Dixi autem *sect. 4.* Reflexitas velle, quod ut licitè pingam, necessarium sit judicium reflexum certum; ita ut hoc sit regula immediata operationis; ipsum autem judicium probabile, aut probabilius directum sit tantum regula objectiva: ego autem ejus judicii reflexi necessitatem negavi, & dixi operationem dirigi formaliter immediatè, & proximè ab ipso judicio probabilis directo; ita ut hoc sit regula formalis proxima operationis honestæ.

Tom. III.

Porro P. Eliz. nobiscum convenit in hoc, quatenus negat tale judicium reflexum, ut docet *lib. 3. qu. 2.* etsi ille hoc neget, quia putat impossibile; nos autem quia non necessarium; quapropter tantò magis stare debet nostræ responsioni. Demum recordari debemus falsum esse, quod sola lex æterna ut est in se, sit regula humanorum actuum; immò ipsa lex Dei ut est in nostrâ mente est regula, ut patet in invincibiliter errante; ita ut ipsum judicium invincibiliter erroneum, vel ipsum judicium directum, sive probabile, sive certum sit regula formalis proxima; ipsa autem Dei lex, ut subsistans ei judicio invincibiliter erroneo, aut certo, aut probabilis, sit regula objectiva, cui operationem conformare tenemur, aut possumus.

In formâ nego antecedens. Ad 1. probationem transeat antecedens, & nego consequentiam.

Ad 2. probat. nego antecedens, quod opinio probabilis non subordinetur legi Dei; eo enim ipso, quod est certò probabilis, est illi conformis. Ad hujus antecedentis probationem fateor legem Divinam in re esse unam; attamen ratio probabilis non subordinatur legi Dei præcisè tantum ut est in se, sed ut est in mente. Cum enim opinio probabilis A, favens legi sit eidem ut est in mea mente conformis; (eo enim ipso, quod opinio est certò probabiliter vera, eo ipso est conformis legi ut mihi tunc apparet) & opinio probabilis B, favens libertati contra legem non sit eidem legi Dei disformis; tunc enim lex mihi apparet non existere, (nota autem quod ea duo judicia nequeunt simul esse, sed tantum successivè) consequenter si stricte, & pressè loquamur, una ex dictis opinionibus est quantum apparet juxta legem; alia nec juxta, nec contra legem; hæc enim quantum apparet, non datur, lex autem non apparet non est lex, sed est juxta libertatem.

Ad 3. distinguo: Ratio probabilis abstracta est indifferens ad legem, & non legem, transeat: at ratio probabilis abstracta, non est quæ me dirigit ad operandum, sed est ratio probabilis, seu probabilitas concreta, & contracta ab hoc, aut illo judicio probabilis: ratio probabilis concreta per tale, vel tale judicium, nego antecedens: vel enim judicium probabile favet legi, & sic illud non est indifferens ad non legem, nam dirigit operationem representando legem: vel judicium probabile non favet legi, sed libertati? & hoc non est indifferens ad legem, nam dirigit operationem proponendo

M ij

non



non legem; & distinguo consequens: ratio probabilis ut sic non est regula, concedo; talis ratio probabilis, nego consequentiam.

N. 266. Ad 4. probat. patet tum ex modo, tum ex alibi dictis; dixi enim esse evidenter falsum, quod quilibet probabilior magis se habeat ad verum; alias cum utraque contradictoria sit probabilior, una uni, altera alteri, utraque magis se haberet ad verum. Licet ergo minus probabilis comparative ad probabiliorem appareat minus vera, & magis falsa, non ideo est minus vera, & magis falsa. Rursus licet minus probabilis respectu ad probabiliorem appareat minus vera, & magis falsa, attamen comparative ad suum obiectum, & considerata ut est in se, magis se habet ad verum, quam ad falsum; immo ad falsum nullo modo se habet; nam quod affirmat, aut negat, negat, aut affirmat, quia putat verum, & oppositum, quod est probabilius, putat falsum.

N. 267. Ad 5. dico, quod paritas horologii, ut sæpe dixi, non sit ad rem; arguens enim supponit, quod sicut motus solis, ut est in se, est regula, cui horologium, ut sit physice rectum, conformari debet; ita à pari lex Dei, ut est in se, sit regula, cui iudicium, ut sit rectum, conformari debet; hoc autem est falsum. Addo 1. quod motus solis est patens, adeoque error horologii est evidens; non ita lex Dei dubia est patens, nec error opinionis in rebus incertis est evidens. Addo 2. quod licet arguens bene dicat, quod qui eligeret horologium æque indifferens, ut ostenderet, ac non ostenderet solis motum, scienter erraret; at malè supponit nos dicere, quod eligi possit pro regula opinio indifferens ad verum, & falsum; immo quodcumque directum pro regula operationis eligatur, eligatur, quia idem iudicium directum probabile putatur verum; & quod omittitur, omittitur, quia tunc putatur falsum. Alter his argumentis

P. Teril. occurrit P. Teril. qn. 49. per totam de Reg. mor. cuius responsum est verum putem, mihi tamen mea magis placet, quia expeditior.

N. 268. Oppones 11. ex Palanco, qui est qn. 33. n. 6. rectè doceat, quod ad honeste formaliter operandum necessaria sit aliqua certitudo de honestate obiectivâ operis eligendi, quæ certitudo, ait n. 8. satis est, ut sit moralis, aut probabilis aliquando fallibilis; attamen n. 10. simul docet, quod hæc moralis, seu probabilis certitudo haberi non possit, quoties æquè probabile est opus esse verum, ac esse licitum; sed tantum quando in solidum, seu unice probabile est, aut lon-

gè probabilius est licitum esse, quam illicitum. Ratio est; quia moralis, seu probabilis certitudo de honestate operis unice habetur, quando motiva magis inclinant in honestatem, quam in operis inhonestatem; ergo ea probabilis certitudo solum haberi potest, quando operanti est unice probabile, aut longè probabilius opus esse honestum, quam inhonestum.

Sed contra 1. quia licet verum sit, quod N. aliqua certitudo necessaria sit ad honeste formaliter operandum, nempe certitudo de honestate formali operis eligendi, quæ certitudo satis est, ut sit moralis; falsum tamen est, quod necessaria sit aliqua certitudo de honestate obiectivâ; immo hæc in incertis implicat, nisi quis velit omnia sibi incerta, esse sibi obiectivè certa. Secundo, quia falsum etiam est, quod moralis certitudo de honestate formali haberi non possit nisi per iudicium probabilis; nam ea certitudo moralis, seu prudentis ad non peccatum ad hæsiōis inest cuique iudicio prudenti: ergo cum, per me, omne iudicium practicum certo probabile sit prudens, eo ipso illi inest certitudo de non peccato formali.

## SECTIO VII.

*Aliquæ illationes.*

### SUMMARIUM.

*Non est impossibile, etsi non sit necessarium iudicium reflexum certum, n. 270.*  
*Nulla repugnantia in hoc, quod opinio sit tantum probabilis, & dictamen de licito usu sit certum, n. 271.*  
*Dictamen reflexum non dat certitudinem opinioni probabilis, dat huius usum, n. 272.*  
*Opinio de licito usu minus probabilis videtur certa, à n. 274. ad 277.*  
*Non tantum dantur prima principia ex terminis evidentiâ, quæ non possunt probari, sed etiam principia immediate ex se probabilis, quæ non possunt, nec debent probari. Tale est, qui certo prudenter agit, non peccat &c. n. 276.*  
*Nostra sententia de licito usu est saltem ipsi Probabilistis moraliter certa, n. 277.*  
*Immo etsi hoc negetur, ipsa certo probabilis est exercitè certa de non peccato, ib.*  
*Ut vitetur difficultas de necessitate iudicii reflexi certi; & de repugnantia ut directum probabile sit certum, melius est appellare ad reflexum certum de obiectivâ probabilitate, quam vel ad solum directum probabile, vel ad hoc ut unum certo reflexo de licito usu, & sequela iudicii directi certo probabilis, ib.*  
 Omnis



Omnia certò probabilis subjectivè est regula im-  
mediata, n. 278.

Et est semper practicè vera, n. 279.

Est evidens implicare, ut peccet sequens certò  
probabilem, n. 280, 281, 282.

Falsum quod ait Caram. quòd id quod certificat  
conscientiam non sit probabilis, sed sola non  
certitudo opinionis opposita, n. 283.

N. 270. **E**X dictis inferi. plerisque Anti-Probabilistas impugnare Probabilistas ex eo quòd reflexio supra ipsam probabilitatem impossibilis sit ad formandum certum de non peccato iudicium. Sed, ut ostendi *fest. 1. & 2.* falluntur; esto enim illud iudicium reflexum certum non sit necessarium, ut sim certus de non peccato, attamen non repugnat, ut sit certum certitudine respectivà seu respectu Probabilistarum. Si enim Probabilioritis quælibet propria probabilior est illis respectivè certa, cur non sententia affirmans licitum certò probabilis usum esse possit Probabilistas certa; tantò magis, quòd nulla opinio particularis probabilior, adeoque Probabilioritis moraliter certa, habeat tot fundamenta, quot sententia stans pro licito usu certò probabilium? Nam, ut rectè P. Card. *tom. 3. d. 56. à n. 187.* hæc duæ propositiones, *Licet uti omni certò probabili, sed opinio docens licitam die festo picturam est certò probabilis*, sunt certæ saltem moraliter: Minor, quia eam opinionem de picturà die festo suppono certò probabilem: Maior, ob omnes rationes, quibus probatus est licitus cuiusque opinionis certò probabilis usus: ergo hæc consequentia, *Licet uti hac opinione, seu pingere die festo*, est etiam certa, immò, juxta Probabilistas Reflexistas, est conscientie dictamen; etsi ego negaverim esse ultimum conscientie dictamen, cum superfluum sit hoc iudicium reflexum, ut licitè pingam.

N. 271. Confirmat P. Card. præter ea, quæ ego dedi *fest. 1.* quia nulla est repugnantia in P. Card. hoc, quòd opinio sit tantum probabilis, & dictamen de eà sequendà sit certum, ut passim docent P. Elizal. M. Merc. & alii Anti-Probabilistæ, qui hoc ostendunt tum in subdito obediente Superiori aliquid purè probabile præcipienti, & tamen subditus est certus se non peccare; tum in sequente opinionem purè probabilem D. Thom. & tamen format iudicium certum de non peccato reflexum: ergo hæc consequentia, *Licet hanc sequi*, potest esse certa, esto certum non sit, quòd liceat pictura die festo.

N. 272. Addit P. Card. *num. 212.* aliud esse, quòd dictamen reflexum det certitudinem usui  
Tom. III.

opinionis probabilis, aliud, quòd det illam ipsi opinioni probabili. Illud est verum, quia deducitur ex duplici præmissa certà sibi, *Licet uti quælibet practicà certò probabili, sed opinio docens licitum pingere die festo est talis*, ergo licet uti opinione docente licitum pingere die festo; quæ conclusio est ipsum dictamen reflexum certum, quia utraque ejus præmissa est certa. Hoc est falsum, nec ullus Probabilista hoc docet; potest enim propositio directa esse probabilis, & reflexa esse certa, ut patet ex dictis.

Dices certum non esse, quòd liceat uti N. quælibet practicà certò probabili: ergo illud iudicium reflexum, *Licet uti opinione probabili docente licitam die festo picturam*, non est certum. Rursus si non est certa universalis, *Licet uti quælibet probabili*, multò minùs certa erit particularis, *Licet hæc uti*; & multò minùs erit certus, qui habet hoc iudicium, à S. Do. *Licet pingere die festo.* Ita M. Jacob. à S. Do. minic.

Sed contra, ait P. Card. *n. 233.* Etsi plures pietate, & doctrinà illustres negent esse certum, immò esse verum, quòd liceat usus cujusque probabilis, attamen eorum auctoritas contra certitudinem deductam ex principiis intrinsecis, ut sunt omnes rationes, quibus licitum probavimus probabilitatum usum, nihil probat. Subdit paucos esse, qui iudicent standum semper pro lege contra libertatem; sunt enim tantum Synichius, M. Baro, M. Merc. & alii tres; similiter pauci sunt stantes pro præcepto eligendi probabiliorem, si conferantur cum oppositis. Addit eos ipsos Anti-Probabilistas non intelligere perfectè nostram mentem, & plura impugnare, quæ nos non negamus; Scriptor autem ignorans, & impugnans quod nescit, non est audiendus: hoc autem suadet Catalogus malarum illationum, quas dedi *d. 11.* quibus nos uti putant Anti-Probabilistæ. In formà dico, quòd hoc antecedens, *Licet uti quælibet practicà certò probabili*, sit certum respectu Probabilistarum; dari enim certitudines respectivas est manifestum. Ad additum dico, quòd si universalis non est certa, nec certa est particularis sub eà contenta eo genere certitudinis; universalis tamen est certa, ut dixi, ipsis Probabilistis.

Deinde do non esse certum hoc antecedens, *Licet uti quælibet practicà certò probabili*, certitudine, inquam, veritatis speculativæ; nego tamen opinionem docentem licere picturam die festo, quam suppono certò probabilem, non esse certam certitudine prudentis ad non peccatum adhæSIONIS, etsi

M iij non



non sit certa certitudine logicæ conformi-  
tatis sui cum objecto.

N. Scio, quod P. Teril. *quæ* 16. de Reg. mor.  
276. velit nostram de licito usu cuiusvis practi-  
P. Teril. cæ certò probabilis sententiam, non tantum

esse certam, quin esse inexpugnabilem; quod  
etfi Adversarii ad hæc audita risuri sint, hoc  
non probat, ait *quæ* 17. nos dicere falsum; eo  
modo, quo quia Janseniste, auditis quæ de  
ignorantiâ invincibili dicunt Anti-Probabi-  
listæ, & nos, rideant; & ex eo quia Hete-  
rodoxi rideant ea, quæ Orthodoxi dicunt  
de credibilitate unicæ fidei Catholica, & ea  
negent; non inde sit verum non esse, quod  
sententia de ignorantia invincibili, & de  
obligatione amplectendi fidem Romanam  
non sit inexpugnabilis. Idem inquit in no-  
stro casu dicendum: ut enim Janseniste, &

Heterodoxi nostra argumenta non vident,  
vel quia ea non ponderant, vel ex affectu in  
partem oppositam inclinato, vel ex passione  
mentem cecante, ita accidit Anti-Probabi-  
listis, qui si nostra argumenta ritè conside-  
rarent, illico veritatem viderent. Sed demus  
nostram de licito cuiusvis certò probabilis  
usu sententiam non esse certam; certum ta-  
men est, ait P. Teril. *num.* 16. quod sit evi-  
denter, & certò probabilis intransitivè, &

per se formaliter; claritas autem, aut certa-  
tudo ipsi iudicio certò probabili intrinseca  
certificat exercitè ipsum operantem de bonâ  
operatione, nec est necessarius, vel processus  
in infinitum, qui implicat; vel aliud judi-  
cium certum, aut evidens reflexum, pro-  
bans certò probabilitatem iudicii directi,  
nam, ut notavimus in *tract. de Fide*, non tan-  
tùm dantur prima principia ex terminis, seu  
immediatè evidentia, quæ non egent, nec  
possunt ulterius probari; sed etiam dantur  
principia immediatè ex se probabilia, quæ  
nec possunt, nec debent ulterius probari,  
qualia sunt, quod qui prudenter operatur, non  
peccat; qui sequitur consilium prudens, non  
peccat; quod nemo tenetur lege naturali ad  
probabilius, sicut nemo ad perfectius; hæc  
enim principia sunt saltem immediatè pro-  
babilia, si non sunt immediatè evidentia.

N. Ecce 1. sententiam de licito usu esse fal-  
277. tem respectivè certam, seu ipsis Probabili-  
stis. Ecce 2. quod adhuc negato, quod ea sit  
certa iisdem, non sit, quod ipsa opinio parti-  
cularis, ex gr. *Licet pingere*, non sit forma-  
liter per se certa de non peccato formali;  
certificat enim exercitè ipsum operantem de  
bonâ operatione eo ipso, quod cognoscatur  
ut certò probabilis. Ecce 3. quod ut vite-  
mus difficultatem inter Reflexistas, & non  
Reflexistas, illos obligantes ad iudicium re-

flexum supra licitum probabilis, aut pro-  
babilioris usum, ut habeatur certitudo de  
non peccato formali; hos rejicientes tam-  
quam superfluum hoc iudicium reflexum  
certum, immò impugnant ejus certitudi-  
nem, & asserentes impossibilem; ecce, in-  
quam, ut hanc difficultatem vitemus, dice-  
mus melius esse formare iudicium reflexum  
de probabilitate, quod est, & semper esse  
debet certum, quàm niti directo; quodli-  
bet enim directum, etfi probabilius, est in-  
certum, nisi ejus certitudo exponatur ut à  
nobis: rursus quodlibet reflexum supra li-  
citum usum cuiusvis probabilis, aut proba-  
bilibioris potest ad summum esse respectivè  
ad suos Patronos certum; non autem abso-  
lutè omnibus; nam Probabilioriste non  
tantum negant, quod hoc iudicium reflexum,  
*Licet sequi omnem certò probabilem*, sit  
certum, quin negant esse verum: similiter  
omnes Tutoriste hoc iudicium, *Licet sequi  
omne probabilius*, non tantum negant esse  
certum, quin esse verum: ergo certitudo  
absoluta hujus iudicii reflexi, *Licet sequi  
omne probabile, aut probabilius*, non datur.

Infer 2. juxta nos omnem practicam live N;  
magis, sive minùs, sive æquè, certò tamen  
probabilem, esse regulam immediatam, &  
formalem operis eliciendi, adeoque esse ul-  
timum conscientia dictamen; iudicium au-  
tem reflexum supra licitum cuiusvis proba-  
bilis, aut probabilioris usum esse regulam  
immediatam utrius liciti cuiusvis probabilis,  
aut probabilioris, nec esse ultimum dicta-  
men.

Infer 3. quod licet quilibet practice pro-  
babilis, aut probabilior, aut probabilissima;  
immò moraliter certa, possit esse in repre-  
sentando falsa, semper tamen est practice  
vera, ita ut eam sequens non possit peccare.  
Ratio est; quia omnis bona fides de non  
peccato excusat semper à peccato, immò  
repugnat, ut sequens illud iudicium, sive  
magis, sive minùs, certò tamen probabile de  
non peccato, peccet: ergo licet opinio pra-  
ctice probabilis, immò moraliter certa pos-  
sit esse speculative falsa, quatenus potest  
repræsentare ut licitum, quod in se est illi-  
citurum; est tamen semper practice vera, quia  
se, & opus, quod dirigit, conformat primis  
regulis morum: ex gr. hoc ultimum di-  
ctamen, *Licet pingere die festo*, esto esse pos-  
sibile, quatenus falsum esse  
sit speculative falsum, quatenus falsum esse  
potest, quod liceat pictura; est tamen pra-  
ctice verum, quatenus idem dictamen est  
conforme his regulis morum: Quod non  
est certò veritum, immò est certò probabi-  
liter, aut probabilius non veritum, non est  
veritum.



veritum, pictura die festo talis apparet, ergo non est verita, ergo non est peccatum: Quod ratio certò probabilis, aut probabilior dictat licere, est licitum, sed ratio certò probabilis, aut probabilior dictat picturam licere die festo, ergo hæc die festo licet.

N. 280. Infer 4. non tantum esse verum, & certum, sed esse reflexè metaphysicè evidens, quod sequens opinionem practicam certò probabilem, aut speculativè probabiliorem, nec peccet, nec peccare possit. Ratio est: quia hæc consequentia, *Ergo sequens opinionem practicam certò probabilem, aut speculativè probabiliorem non peccat, nec potest peccare*, deducitur ex his præmissis metaphysicè evidentibus: *Ille non peccat, nec potest peccare, qui sequitur prudens, aut prudentius conscientia dictamen: sed sequens opinionem practicam certò probabiliorem, aut probabilem, etsi minus, sibi oppositâ, sequitur dictamen conscientia prudens, aut prudentius*; ergo eam sequens, nec peccat, nec potest peccare. Maior est metaphysicè evidens; est enim primum Ethicæ principium per se notum. Minor etiam est metaphysicè evidens, nam est ipsissima opinio- nis practicæ certò probabilis, aut probabili- oris definitio, cuius nomine venit iudicium prudens, aut prudentius de re operabili: ergo etiam consequentia est metaphysicè evi- dens.

N. 281. Confirmo 1. hæc ratione metaphysicè evi- denti: *Ille non peccat, nec potest peccare, qui caret prærequisito necessario ad potentiam pec- candi*; quæ maior est metaphysicè evidens: sed habens opinionem certò practicè proba- bilem de non peccato caret tum iudicio de peccato, tum apprehensione obligatoriè re- trahente à peccato, nam ut ea apprehensio obligatoriè retrahat à peccato, debet esse di- visa à iudicio prudenter dictante, tale opus non esse peccatum: ergo habens opinionem certò practicè probabilem, nec peccat, nec potest peccare.

N. 282. Confirmo 2. argumento evidenti, quod trahit Caram. in *Dialexi pag. mihi 339. ex Caram. Illust. Stephano Spinulâ in Opusc. de liberâ, Spinulâ. & prudenti agibilium electione in Adoralibus pag. 23.* Vel intellectus est certus de hone- state materiæ hic, & nunc eligendæ, & tunc evidens est, quod sit certus de honestate ele- ctionis; ea enim electio est certò honesta,

cujus materia est certò honesta: vel intel- ctus probabiliter tantum cognoscit hone- statem materiæ? & tunc adhuc est certus de honestate electionis; ea enim electio est hic, & nunc certò honesta, cuius materia, quan- tum fieri potest, cognoscitur hic, & nunc ut honesta; ergo nullum est dubium de ejus honestate: sed opinio probabilis de hone- state materiæ est cognitio sufficientissima; evidens enim vix aliquando est possibilis, nec Deus vult impossibilia: ergo electio ei conformis erit honesta, & sine peccato: er- go cum opinione probabili de honestate ma- teriæ, immò de materiali honestate electio- nis, nulla potest manere formido de formali honestate electionis: ergo opinio probabilis de honestate materiali objecti, immò ele- ctionis nullam habere potest formidinem de honestate formali electionis: potest quidem esse incerta de honestate materiali objecti, & electionis; numquam tamen de honestate formali electionis: ea enim opinio probabi- lis dictat hic, & nunc electionem esse forma- liter honestam; & huic iudicio non potest subesse fallum. Hæc Caram. ex Spinulâ.

Infer 5. falsum esse quod docet Caram. N. tom. 4. in suâ *Dialexi a n. 190. pag. mihi 117. 283.* nempe quod ratio formalis reddens consci- entias in praxi securas, non sit certitudo, aut maior, aut equalis, aut minor probabilitas sententiæ, quam sustinemus, sed sit mera contrariæ opinionis non certitudo. Falsum, inquam 1. quia supponit, quod quoties una ex contradictoriis est probabilis, etiam altera talis sit; quod latè rejeci d. 4. Secundò, etsi daretur utramque contradictoriam semper esse probabilem, attamen, quod me directè movet ad assensum opinionis meæ, non est non certitudo oppositæ; nam non certitudo oppositæ est negatio impedimenti prære- quisita, ut possim meæ opinioni assentiri: quo modo ratio formalis, & causalis motus pedis non est negatio catenæ, seu impedi- menti, sed ipsa potentia motiva est causa; & ipse motus est ipsa ratio formalis motus. Quod ergo conscientiam reddit in praxi se- curam est ipsum iudicium prudens insitum formaliter, & intransitivè cuique opinioni certò probabili; vel est iudicium certum de possessione libertatis, quoties lex est dubia, seu non est certa. Sed de hoc infra.



## DISPUTATIO XX.

*De sufficientiâ, vel insufficientiâ conscientiæ speculative,  
aut practicæ dubiæ.*

## SUMMARIUM.

*Quæstio, n. 1.*

N. 1.



STENDI d. 18. & 19. quamlibet opinionem certò probabilem practicè se solà absque alio reflexo supra licitum probabilitatum usum iudicio satis esse ad licitè operandum; ita ut quælibet opinio certò probabilis practicè se solà sit regula formalis, & proxima operationis eliciendæ; immò d. 19. sect. 9. ostendi esse reflexè metaphysicè evidens, ut eam sequens peccet. Videndum modò; an ad licitè operandum satis sit conscientia dubia, seu opinio sive speculative, sive practicè dubia.

## SECTIO I.

*Quid dubium, & quid conscientia speculative  
aut practicè dubia?*

## §. I.

*Quid dubium ut sic?*

## SUMMARIUM.

DD. tractantes de dubio, formidine, suspitione, n. 2.

Dubium improprie, & proprie tale, quid, n. 3.

Dubium, & suspensio non sunt idem, n. 4.

Cur Catholicus suspendens iudicium non dubitet, ibid.

Definitio dubii, n. 5.

Quid positivum, & quid negativum? ibid.

Opinans formidat, non dubitat, ibid.

P. Eliz. & Palanco negat dubium negativum esse dubium. Cur? n. 6.

Impugno, n. 7.

Dubium positivum, & negativum quid? n. 8.

Vacillatio animi unde oritur? n. 9.

P. Eliz. impugnat dubium negativum, eo quia omne dubium est cum ratione, n. 10.

Solvo P. Eliz. ald. rationes, n. 11. 12.

Discrimen inter dubium, & iudicium temerarium, n. 13.

Et inter dubitationem, & probabilitatem formalem, n. 14.

Dubium non stat cum probabilitate formali, stat cum objectivâ, n. 15.

*Dubium est in intellectu, non in re, n. 16.*

*Discrimen inter formidinem, & dubium, n. 17.*

*Formido quid? Ibid.*

*Dubium, & formido peccati non sunt idem. Cur? n. 18.*

*Quandonam conscientia peccati dubia, & formidolosa idem sint? Ibid.*

**L** Atè tractant de dubitatione, formidine, N. 1. suspitione, tam Philosophi in libris Posteriorum, & in Animastica, quam Theologi, ubi de Fide, & de Actibus humanis, Quare legi possunt P. Suar. 1. 2. d. 12. sect. 5. P. Valqu. 1. 2. d. 62. & 63. P. Ripald. d. 2. de Fide sect. 3. C. de Lugo, P. Ovied. & alii Scholastici. Videri etiam possunt Theologi Morales in Tract. de Consc. nempe P. Bardi, P. Bresserus, M. Tapia tom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 8. P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 3. P. Teril. qu. 34. & 50. de Reg. mor. P. Carden. in Indree suorum quatuor Tomorum, & P. Eliz. lib. 4. ubi agit de dubitatione, & dubio, & hujus solutione. Ego plura docui passim, sed præcipue d. 18. & 19. docui enim non satis esse dubiam probabilitatem, nec licere operari cum dubio practico peccati. Rursus docui formidinem peccati non esse dubium peccati. Similiter opinionem probabilem excludere iudicium dubium reflexum peccati, Fortè pecco, immò nihil obitare, etsi non excluderet. Dixi etiam, quod ad dubium speculativum non sequatur semper dubium practicum. Quare paucis modò exponendum, quid sit dubium, & quid conscientia speculative, & practicè dubia.

Non loquor de dubio improprie tali, quo sensu omne, quod non est certum, aut quod includit formidinem, dicitur dubium, atque adeo omne iudicium probabile, quia est incertum, erit dubium; & ideo Philaleus phil. cap. 2. & P. Lessius lib. 2. de Just. cap. 29. dub. 2. dixit: Dicimus dubitare, quamdum in neutram partem certi sumus. Sed loquor de dubio, aut dubitatione strictè tali, quæ, juxta me, ut dixi diff. 18. sect. 6. §. 1. præter suspensionem omnis iudicii juxta P. Teril. qu. 50. de Reg. mor. a. n. 5. & P. Suar. 1. 2. quibus accedit M. Passerinus tom. 1. in 2. 2. M. Pass.



Herinc. *qu. 86. n. 237.* & Herincx *tom. 2. d. 4. n. 30.* præter suspensionem omnis, inquam, iudicii circa rem propositam, dicit iudicium aliquod reflexum formale, aut virtuale de motivorum insufficientia ad iudicandam unam præ aliâ parte.

N. 4. Quare licet P. Carden. *tom. 1. d. 6. cap. 5.* ad dubitationem tria requirat, nempe suspensionem iudicii de utraque parte; apprehensionem præviam circa rem, de qua dubito; & suspensionem assensus ex eo, quia deest motivum actu determinans ad alterutram partem: attamen præter hæc tria addere debebat quartum, nempe reflexum aliquod iudicium formale, aut virtuale de motivorum insufficientia. Ratio est; quia optimus Catholicus sepe circa mysterium suspendit omne iudicium, ut dixi *d. 19. sect. 6. §. 1.* nec tamen dubitat: ergo dubitatio strictè talis præter suspensionem omnis iudicii directi circa rem propositam, necessario dicit existentiam alicujus iudicii reflexi formalis, aut virtualis de motivi insufficientia, quo iudicio reflexo, quia Catholicus caret, ideo tunc non dubitat.

N. 5. Itaque dubium in genere est voluntaria omnis iudicii de re propositâ suspensio. Dico, voluntaria; & ideo qui dormit, non dubitat, etsi omne iudicium suspendat. Si suspendat omne iudicium directum circa rem propositam, ex eo quia omne motivum suum assensus directi deficit, erit dubium negativum. Si suspendat omne iudicium directum circa rem propositam, iudicans reflexè motiva proposita esse insufficientia, erit dubium positivum. Ita discurre ob rationem allatam, quâ convincitur necessitas alicujus iudicii reflexi præter suspensionem omnis iudicii directi, ad dubitationem strictè talem. Quod si cum communi velimus necessarium non esse iudicium aliquod reflexum de motivorum insufficientia, præter voluntariam omnis iudicii directi suspensionem circa rem propositam, tunc, ut dixi *d. 18. & alibi*, dubium negativum erit, quo quis dubitat, nullo præsentem motivo pro alterutrâ parte contradictionis: dubium positivum erit, quo quis dubitat, præsentem rationem pro utràque, aut alterutrâ parte contradictionis, ait P. Card. *tom. 1. d. 6. n. 115.* & P. Teril. de Reg. mor. *qu. 50. n. 7.* quibus concordat M. Merc. *1. p. art. 9. pag. 21.* dicens: Dubium, aliud est positivum, quando adfunt rationes æquales pro utràque parte contradictionis; aliud negativum, quando intellectus nullam pro neutrà parte habet rationem; vel si aliquam pro una parte habet, ei omnino non adhaeret, sed

formidat, quod res aliter sit, ac apparet; & hæc formido convenit opinioni. Hæc M. Mercor. qui tamen non placet, dum putat opinantem dubitare; formidat quidem, at non dubitat opinans; cum dubium essentialiter dicat omnis iudicii directi suspensionem: ergo omnis opinionis: ergo eo ipso quod quis opinatur, repugnat, ut dubitet.

Contra hæc satis clara infurgit P. Elizald. *lib. 4. qu. 2.* quem quoad omnia sequitur Palanco *qu. 13.* quod dubium negativum non sit propriè dubium, sed sit potius nescientia; nam ex S. Thom. *in 3. dist. 7. qu. unic. art. 4.* dubium, seu actus dubitationis est motus rationis super utràque parte contradictionis cum formidine determinandi alteram; at ubi nulla est ratio, non potest esse motus: ergo dubium negativum non est dubium: & ideo P. Elizald. *qu. 1. §. 4. ad 6.* dixerat, non posse tradi unam definitionem communem dubio positivo, & negativo, quia ex Logica, & Metaphysica notum est, quod, quorum una non est ratio, una quoque non sit definitio.

Sed contra; quia peto, an idem effectus à principiis inter se oppositis provenire possit? Sanè nemo hoc negabit; immò ipse P. Eliz. *qu. 2. §. 3. pag. 209.* hoc affirmat dicens: *Sex- ro cernitur ex perfectâ scientiâ, & ex summâ ignorantia eundem effectum nasci, nempe nihil dubitandi.* Si ergo in oppositis inter se principiis dari potest ratio realis univoca causativa ejusdem effectus, quomodo negare potest ex dubio positivo, & negativo abstrahi posse unam rationem communem univocam dubii? Miror virum acutum dicere, esse ex Metaphysica certum, quod non detur ratio communis positivo, & negativo; cum oppositum sit certum: ita ab homine, & equo, seu à rationali, & non rationali abstrahitur una ratio communis animalis: ab affirmante, & negante una ratio communis actus, & iudicii: ab ente, & non ente (etsi, per me, non ens nihil prorsus sit) una ratio communis, oppositi, objecti, verificativi, cognoscibilis: ergo esto dubium positivum, & negativum sint opposita; potest tamen ab illis abstrahi una ratio communis, & sic unâ definitione definiri.

In formâ nego antecedens: nolo enim in re, cujus tota contentio ad voces reduci potest, à communi omnium sententiâ recedere; hæc autem asserit dubium negativum esse propriè dubium, & ideo dubium in genere dividit in positivum, & negativum tamquam in species idem genus participantem: & nos diximus dubium in genere esse animi fluctuationem in utramque partem contra-

N. 6.  
P. Eliz.  
Palanco.  
S. Tho.

P. Eliz.

N. 7.  
P. Eliz.

N. 8;



contradictionis circa questionem propositam, & non solutam: si fluctuatio sit ex insufficientia motivorum unius, aut utriusque partis, erit dubium positivum: si sit, quia nullum proponitur motivum pro neutra parte, erit negativum: ea igitur vacillatio animi est motus rationis. Ad alia patet.

N. 9. Quod si queratur in quo hac animi vacillatio consistat; dico consistere tum in hoc quod intellectus apprehendat utramque partem contradictionis sine omni, vel saltem sine idoneo motivo, & suspendat omne iudicium directum; tum praeterea in iudicio reflexo de non motivo, aut non sufficienti motivo. Hinc patet falsum esse, quod ait P. Elizald. *qu. 1. §. 4.* quod idem sit dubitare negativè, ac nescire; nam nescire est non cogitare de illa re: dubitare autem negativè est apprehendere hanc, vel illam questionem, & non solvere, saltem quia nullum adest aptum fundamentum. Plura P. Terillus *qu. 50. de Reg. mor. à num. 8.* contra P. Elizald.

N. 10. Insurgit 2. P. Eliz. *lib. 4. qu. 2. §. 2. & seqq.* & Palanco *qu. 13. num. 6.* dubitare semper esse cum ratione; & bene dubitare, cum gravi ratione, ut constat ex praxi Doctorum, qui postquam questionem moverunt, statim proponunt rationem dubitandi: ergo omnis dubitatio est cum ratione. Secundo Aristot. 2. Elenchorum *cap. 7.* ait, quod ratio acuta facit maximè dubitare, quia maximè mordet: ergo possunt adesse acutissimae rationes, & maximè dubitare. Vbi ergo est, ait P. Eliz. illud aliquorum, seu Probabilistarum, habeo rationem, quae evidenter non solvitur, ergo habeo non quidem dubitare, sed prudenter assentiri; etiam Adversarius rationes oppositas similes habeat? Tertio, quia ab omni dubitante querere possum, *cur*, non minus ac possum querere *de quo*; sicut autem rogatus *de quo* dubitet, ineptiret, si diceret, nescio, aut de nullo dubito; ita à pari interrogatus, *cur* dubitet, ineptiret, si diceret, nescio, *cur* dubitem: ergo esse dubium habet rationem. Quarto, quia dubitatio est instar nodi, & ideo ab Aristot. 3. Metaph. *n. 3.* dubitans comparatur ligato; ita enim intellectus per dubium ligatur, ut non possit ad ulteriora progredi, non minus ac ligatus; sed nodus non est pura negatio: ergo cum dubitatio sit nodus, non potest esse pura negatio rationum: ergo omne dubitare est propter rationem: cum autem dubitare sit de utraque parte contradictionis, hinc patet, quod dubitare semper est ob rationes utriusque partis.

N. 11. Sed contra; quia Adversarius arguit à

particulari ad universale; ab his enim, quae conveniunt dubio positivo, arguit ad dubium in genere, immò ad speciem oppositam, seu ad dubium negativum; & est ac qui argueret equum non esse animal, quia equo non convenit, quod convenit animali rationali. Quare habere *cur*, habere rationem, & similia, conveniunt dubio positivo, non ut dubium est, sed ut positivum est: ergo malè inferitur, quod dubium negativum non sit propriè dubium, quia ea, quae conveniunt dubio positivo, non conveniunt negativo. Addo: Sicut in Physica dicimus, quod privatio sit principium, etiam non fit eo modo, quo materia, & forma, sed suo modo; & definitio principii proportionatur privationi iuxta esse, quod habet; ita à pari hinc dici potest, quod dubium negativum semper habeat *cur*, & rationem; sed *cur*, & rationem suo modo, seu *cur* negativum, quod est carentia omnis motivi. Quod si Doctores rationes dubitandi proponunt, eo ipso ea eorum dubia sunt positiva; & ex hoc non inferitur, quod dubitatio negativa non sit verè dubitatio.

Quod ait, rationes acutissimas componi posse cum dubitatione, nemo nostrum negat. Quod autem inde concludit contra Probabilistas, eos errare, dum dicunt, habeo rationem, quae evidenter non solvitur, ergo non habeo dubitare, sed prudenter assentiri: hoc, inquam, est profusè inane. Si enim non negamus, immò affirmamus rationes acutissimas stare posse cum dubitatione, quomodo infer nos dicere, ex eo quia rationes acutas habemus, nos non dubitare, sed prudenter assentiri? Dicimus enim, quod illis stantibus, possumus vel dubitare, suspendendo omnem assensum directum; vel non dubitare, assentiendo uni parti. Falsatur ergo P. Eliz. dum putat nos dicere non posse stare cum dubitatione rationes acutas, nam admittimus dubium positivum, quod supponit rationes, vel pro una, vel pro utraque parte contradictionis; quae rationes esse possunt, vel omnino insufficientes ad prudentem probabilem assensum; vel etiam sufficientes pro illo sint, non tamen sufficientes sunt ad cogendum intellectum; & ideo dicimus adesse dubium positivum, quando omnis directus assensus circa questionem ex insufficientia, seu ex inevidentia motivorum suspenditur. Lege P. Terill. *qu. 50. de Reg. mor. à n. 24.* qui P. Eliz. doctrinam anatomizat.

Ex definitione dubii stricte sumpti, seu N. ut pressius loquar, dubitationis stricte sumpti, patet 1. discrimen inter dubium, & iudicium



dicium temerarium; hoc enim dicit assensum directum uni parti ex fundamento levi: dubium autem excludit omnem assensum directum utriusque partis contradictionis de re, circa quam dubito. Hinc P.D. Thyrsus *disf. 10. n. 112.* ait: Dubium propriè solum intercedit, quamdiu intellectus est anceps, nec resolutoriè affirmat aliquam ex partibus contradictionis: & *num. 117.* ait, quod prudenter judicans rem esse honestam, non dubitet propriè, an sit illicita, quia dubium importat suspensionem iudicii.

N. Patet 2. discrimen inter dubitationem, & probabilitatem formalem; quia dubitatio est suspensio omnis assensus directi; probabilitas autem formalis, seu iudicium probabile est essentialiter assensus ex gravi fundamento.

N. Patet 3. quod licet dubitatio excludat omne iudicium, non tamen excludit motum, immò utriusque, aut alterutrius partis motivum supponit; aliàs dormiens dubitaret. Hinc æquivocatus est Caram. ait P. Carden. *tom. 1. d. 6. cap. 1.* dum supposuit, quod dubium non flet cum probabilitate: si enim de probabilitate formali loquatur, verum dicit, quia probabilitas formalis est essentialiter ipsum iudicium probabile: si de objectivà, est prorsus falsum, loquendo de dubio positivo; nam intellectus cognoscens motivum utriusque partis suspendere potest omnem assensum, vel quia motiva non sunt sufficientia ad assensum certo prudentem; vel licet sufficientia sint, quia tamen non sunt evidentià, non cogitur intellectus ad assensum. Hinc P.D. Thyrsus *disf. 10. num. 110.* dixit, quod omnes res inter DD. Catholicos controversæ, de quibus dantur opiniones contrariæ, dici possint absolute dubiæ, eo ipso quod controversentur, an sint necne licitæ.

N. Patet 4. dubii denominationem esse rebus extrinsecam relativè ad intellectum dubitantem; nam omnis res est in se determinata.

N. Patet 5. non esse idem, ut sæpe notavi, formidinem, ac dubium, ut etiam notat Philaleus *pag. 2.* dicens: Dubium strictè sumptum communiter distinguitur à formidine: quod dubium est suspensio omnis assensus ex insufficientià motivi, tam pro unâ, quam pro aliâ parte; formido autem supponit assensum; sed quia non est certus propter motiva tantum probabilia, quibus nititur, ideo intellectus formidat, ne opposita pars sit vera; quare formido jungitur cum assensu probabili. Notat autem, quod DD. aliquando confundant dubium im-

propriè sumptum cum formidine, quatenus tam illud, quam hæc excludit certitudinem. Sed utinam Candidus horum semper meminisset; sanè non objecisset, quod sequens opinionem probabilem sit dubius de peccato, cum assensus probabilis, & dubium peccati toto Cælo distent. Idem docuit P. Vasqu. *1.2.d.62. n. 26.* nempe, quod dubium, & formido peccati idem non sint; quia formido unius partis non excludit determinatum assensum alterius; sed formido in eo tantum posita est, ut aliquis per actum reflexum iudicet rationes illius partis, cujus habet assensum, non esse evidentes, sed tantum probabiles, & sic non repugnare, ut pars opposita sit vera. Idem P.D. Thyrsus *disf. 10. n. 86.* dicens, quod formido non sit nisi cognitio fallibilitatis motivorum, seu cognitio, quâ quis cognoscit, quod res, quam determinatè ita esse opinatur, possit aliter se habere, ac iudicat.

Ratio autem cur formido, & dubium peccati idem non sint, est, tum quia formido itat cum assensu unius partis; dubium autem est suspensio omnis assensus directi circa utramque partem: ergo quantum distat suspensio omnis assensus à conjunctione cum aliquo assensu, tantum distat dubium à formidine. Tum quia optimus Catholicus sæpe involuntariè formidat de mysterio, quod firmissimè credit, nec tamen de eo dubitat: ergo dubium, & formido nec mutuo, nec non mutuo sunt idem. Hinc sæpius dixi conscientiam peccati dubiam non esse idem, ac conscientiam peccati formidolosam: quia conscientia peccati formidolosa stat cum iudicio certo probabili de non peccato; non ita conscientia peccati dubia. Immo *d. 19.* dixi tunc tantum conscientiam peccati formidolosam esse idem, ac conscientiam peccati dubiam, quando non adest prudens de non peccato iudicium eam formidinem expellens: si autem hoc prudens de non peccato iudicium adsit, eo ipso conscientia peccati formidolosa non est conscientia peccati dubia. Vide *disp. 19. sect. 6. §. 1.*

§. II.

Quid dubium speculative, & practicum? & quid conscientia speculative, & practica dubia; & quid formido?

SUMMARIUM.

Quid dubium speculative, & quid practicum? n. 19.

Quid speculative practicum, quid practice practicum? lb.

Opinio



Opinio practica potest esse speculative vera, & practice falsa; aut speculative falsa, & practice vera: quid? ibi.

Quid conscientia dubia? quid speculative, quid practice dubia? n. 20.

Mihi verius est, quod formido non sit necessario iudicium, sed plerumque simplex apprehensio suavia falsitatis, aut malitiae, n. 21. 22.

Ea apprehensio exponitur communiter vocibus significantibus iudicium, n. 23.

Cur formido sit potius apprehensio? a num. 23. ad 26.

Formido non bene explicatur per forte est, aut forte non est, n. 26.

Similiter non bene per videri, n. 27.

Alia plura explicantur per verba significantia iudicium, etsi iudicium non sint, n. 28.

Mens P. Thyrsi circa formidinem, n. 29.

Adhuc admisso quod formido sit iudicium, ostendo, quod ad recte operandum satis sit certitudo moralis unita formidini imprudenti de opposito, n. 30.

Hinc operari cum hoc iudicio, forte pecco, separato a iudicio prudenter contemnente dictum iudicium, est peccatum, non autem unito, ibid.

N.  
19.

**D**ubium speculative, inharendo meae doctrinae, est suspensio voluntaria omnis iudicii directi de speculative veritate honestatis, aut inhonestatis objecti; existentiae, aut non existentiae legis: Practicum est suspensio voluntaria omnis iudicii directi circa honestatem, aut non honestatem ipsius electionis de eo objecto; considerare enim, an electio liceat in ordine ad illam ponendam, est munus intellectus practici. Atque adeo dubium speculative est dubium de natura objecti in genere moris; dubium practicum est dubium de natura electionis in genere moris; haec enim est, quae immediate regulatur a iudicio practico. Ita communiter, etsi forte non adeo clarè, exponitur dubium practicum, & speculative, à P. Moya tom. 2. qu. 4. num. 1.

P. Moy. Mastr. Mynez, Mastr. in 2. d. 5. & ex parte Herinc. tom. 2. d. 4. n. 30. Mynez 1. p. cap. 2. sect. 4. pag. 81. dicens: Dubium speculative est, quod non versatur directè circa actionem humanam, ex gr. an res hec sit mea, an talis res sit aqua: vel licet circa illam versetur, versatur tamen modo generali, abstrahendo à circumstantiis particularibus, ex. gr. an liceat vendere rem, de qua dubito, an sit aliena. Hoc dubium, inquit, dici solet speculative practicum, cui opponitur practice practicum, quod versatur circa actionem hic, & nunc ponendam, spectatis omnibus

circumstantiis in particulari. Breviter: ipsa opinio practica potest esse speculative vera, si sit conformis objecto ut est in re; ea opinio practica erit speculative vera, etsi esse simul possit practice falsa, nempe si sit leviter probabilis. Rursus eadem opinio practica potest esse practice vera, nempe si sit certo probabilis, seu conformis morum regulis; & simul esse speculative falsa, si sit difformis suo objecto ut est in re. Ex quo patet opinionem practicam aliam esse practice veram, aliam practice falsam: & ideo aliqui opinionem certo probabilem, practicam practice vocant, nempe illam, quae est practice vera.

Ex hoc facile deducitur, quid sit conscientia dubia in genere, & quid speculative, aut practice dubia. Conscientia tunc est dubia, quando intellectus, propositis pro utraque parte motivis honestatis, & inhonestatis materialis ipsius objecti; & honestatis, & inhonestatis formalis ipsius electionis, suspendit omne iudicium directum circa eadem. Conscientia tunc est speculative dubia, quando intellectus suspendit omne iudicium directum circa naturam objecti in genere moris, seu circa materiale, & intrinsecam bonitatem, & malitiam; aut ejus objecti licentiam, vel prohibitionem. Conscientia tunc est practice dubia, quando suspendit omne iudicium directum circa ipsius electionis naturam, an ea liceat, vel non. Autem ad dubium speculative sequatur semper practicum, plura dixi d. 18. & 19. & paulo post.

Queritur, an formido sit necessario iudicium, quo intellectus formaliter, aut virtualiter, directè, aut reflexè iudicat, forte res, quam ita iudico esse, ita non est; an verò sit pura apprehensio falsitatis, aut malitiae de eo ipso objecto, quod credo verum, aut opinor honestum?

Mihi longè probabilius est, quod formido sit plerumque simplex apprehensio suavia falsitatis, & malitiae, (quae tamen simplex apprehensio communiter exponi solet per voces importantes iudicium, nempe, *Fortè non licet*) inclinans intellectum ad oppositum ejus, quod credit, aut opinatur, ut bene P. Ripalda: etsi contrarium doceat P. Rip. P. Vafq. 1. 2. d. 62. n. 26. P. Teril. P. Card. P. Vafq. tom. 3. d. 56. à num. 350. P. Moya, & alii, qui inde arguunt contra nos, quod nulla conscientia peccati formidolosa esse possit moraliter recta, quia omnis formidolosa est peccati dubia: ergo ne sit dubia peccati, necessarium est iudicium reflexum de licito usu minus probabilis moraliter evidens, exclusi.



exclusivum omnis etiam imprudentis formidinis peccati; quod iudicium reflexum negavi necessarium d. 19. sect. 4.

N. 23. Quod autem formido non sit iudicium, sed simplex apprehensio, probatur 1. quia satis est, ut sit apprehensio suavis iudicii oppositi absque ulla falsitatis, aut malitiae apprehensione: ea enim apprehensio allicit intellectum ad eam affirmationem, etiam eadem apprehensio communiter exponatur vocibus significantibus iudicium, ad quod inclinat, *Fortè hoc non licet, fortè hoc est falsum*: ergo non est necesse, ut formido sit iudicium.

N. 24. Secundò, quia si omnis formido esset necessario iudicium, optimus Catholicus firmissimè credens mysteria revelata, & involuntariè de illis formidans, haberet simul hos duos actus: Datur Incarnatio: Fortè Incarnatio non datur: quo casu Catholicus non tantum formidaret, sed dubitaret; quod quis diceret? Ergo licet formido explicetur per verba significantia iudicium, reverà tamen non est iudicium.

N. 25. Tertiò, quia vix uniri possunt ea duo iudicia, *Datur Incarnatio; Incarnatio fortè non datur*: Non pecco pingendo die festo; Fortè pecco pingendo die festo: ergo non est necessario iudicium falsitatis, aut malitiae, sed plerumque est simplex apprehensio suavis oppositi ejus, cui assentior, proponens, non autem iudicans oppositam malitiam, aut falsitatem.

N. 26. Hinc patet, ut docui in *Logicà*, & in *Tract. de Fide*, formidinem non bene explicari per fortè non est; nam est potius dubium, quam formido; suspendit enim omne iudicium directum circa rem; & reflectit supra motivam rei, eaque considerans dicit, *Fortè ita non est*; ubi tò fortè idem est, ac *considerato tali motivo opposito, res ita non est*.

N. 27. Similiter, ut dixi contra P. Elizald. non bene exponitur formido per *videri*, quasi sensus sit, *Res ita videtur*, ut exponit P. Eliz. & P. D. Thyrsus *disf.* 10. hic enim actus est iudicium reflexum supra directum, non autem circa puram rem. Rursus hoc ipsum iudicium reflexum est evidens; quomodo igitur potest esse formidolosum? nam evidens est rem mihi ita videri.

N. 28. Quod igitur dico est, quòd licet explicem ipsam formidinem, seu suavis iudicii oppositi apprehensionem, per verba significantia iudicium, nam aliter explicari nequit ipsa tamen formido non est iudicium, ut patet in aliis sexcentis, quorum essentiam explico per actum iudicii, & tamen ipsa non sunt iudicia. Igitur actus opinati-  
Tom. III.

tivi formido ita explicari potest: *Res ita est, est, attento motivi oppositi lumine, non repugnet ita non esse. Res ita est*, est actus opinativus; reliqua verba significant suavisam oppositi apprehensionem, in qua consistit formido. Quod licet explicetur per verba significantia iudicium de ipsa apprehensione, & ipsam apprehensionem, non tamen est iudicium. Dicitur etiam, *attento lumine* potius, quam *attento motivo*, quia idem motivum attingi potest actu evidenti, aut inevidenti, atque adeo à modo, quo motivum representatur, oritur formido, nempe à lumine inevidenti.

Post hæc legi P. D. Thyrsus *disf.* 10. à N. n. 79. ubi explicans quid sit opinio, & quæ ejus formido, ait n. 84. ex S. Thom. 3. p. 2. q. 9. art. 3. ad 2. Opinanti duo videntur, unum est rem ita esse, alterum est non repugnare oppositum. Primum est circa actum ipsum; secundum respicit potentiam, & non repugnantiam ad oppositum: & num. 85. ait: Opinio itaque in quantum opinio, & in quantum differt à scientià, dicit, & affert duo illa, scilicet, assensum circa actum, & cognitionem; & assensum circa non repugnantiam ad oppositum, etiam in sensu composito omnium, quæ illi hic, & nunc representantur. Non ergo de actu ipso dicit, fortè esse, vel non esse, ex. gr. Petrum fortè esse innocentem; sed determinatè dicit, sibi verum esse videri, Petrum esse innocentem, seu sibi videri Petrum esse re ipsa innocentem; licet etiam in sensu composito, & stantibus illis omnibus, quibus movetur, non repugnet id esse falsum, seu Petrum re ipsa esse innocentem. In quibus verbis quod approbo est, quòd formido respiciat non repugnantiam ad oppositum, seu potentiam ad hoc. Quod autem non placet est, quòd exponat per tò *sibi videri*; hic enim actus non est opinio, immò iudicium evidens reflexum. Rursus opinio non erit iudicium directum, sed reflexum; est enim per P. D. Thyrs. assensus circa actum, & circa non repugnantiam ad oppositum: sed assensus circa actum, & cognitionem est actus reflexus: ergo opinio semper erit actus reflexus, quod est falsum: etenim quòd hoc ita mihi videatur, est cognitio evidens, non autem opinativa: similiter necessarium non erit iudicium directum, sed reflexum supra probabilitatem actus ad securitatem conscientie, quod tamen semper negat.

Licet autem hæc ita sint, ne tamen meam N. de sufficientià certitudinis moralis ad con-302 scientiæ rectitudinem sententiam, adeo ut, necessaria non sit evidentia moralis exclu-  
N siva



siva omnis formidinis, arcere videar doctrinae traditæ, quod formido non sit nisi apprehensio sua ipsa oppositi ejus, quod hic, & nunc judico, gratis concedere volo, quod formido sit judicium de opposito, nempe tale judicium, *Fortè non licet, fortè est falsum*; adhuc tamen dico, quod ad rectè moraliter operandum satis sit certitudo moralis conjuncta cum imprudenti formidine oppositi, ut dixi d. 19. sect. 6. Quare dum Adversarii dicunt operari cum judicio dictante, *Fortè pecco, fortè non licet*, est intrinsicè malum, quia est operari cum conscientia dubia peccati, & est quasi contemptus legis Divinae, & est periculum peccati; distinguendum est, ut dixi l. c. operari cum judicio dictante, *Fortè pecco*, separato ab omni judicio prudenter contemne dictum judicium, & bonâ fide dictante, *Non pecco*, est intrinsicè malum, concedo; est enim, ut ibi dixi, operari cum conscientia dubia peccati: operari cum eo judicio formidoloso, *Fortè pecco*, addito tamen judicio consequenti prudenter, & absolutè contemne illud judicium, & prudenter absolutè dictante, *Non pecco*, est intrinsicè malum, nego. Ratio est; quia licet transmittam, quod formido sit judicium quasi disponens animum ad legis Dei contemptum, attamen unitum judicio certo prudenti, et si non evidenti, dictanti, *Hoc licet*, eo ipso tollit eam dispositionem, & omne peccati periculum.

## SECTION II.

*An cum conscientia speculative, aut practice peccati dubia licitum sit operari?*

## §. I.

*Status questionis, & præclara Eximii Doctoris doctrina.*

## SUMMARIUM.

*Status questionis, & quid conscientia speculative, & practice dubia? n. 31.*

*P. Suar. ait, quod quis possit esse in generali, seu speculative dubius, an lex detur, & in particulari esse certus, quod ea lege non obligetur, n. 32.*

*Solutio ejusdem P. Suar. ad objectionem, quod omnis dubitans in genere, dubitet in particulari, n. 33.*

*Exemplificat in justitiâ, dubitat possidens, an res sit sua, & tamen licitè tenet. Idem ait in omni aliâ virtute, n. 34.*

*Potest speculative dubius de peccato fieri practice certus de non peccato per principium superveniens, n. 35.*

*Ait P. Suar. legem non esse satis promulgatam, quoties rationabiliter dubitatur, an lata sit, ibid.*

*M. Passerinus affirmat quod cum dubio de honestate materiali objecti stet certitudo de materiali honestate actus, n. 36.*

*Immo ait ex hoc capite ineptè impugnari Probabilistas, ib.*

*Exemplificat in rustico, qui dubitat, num talis res secundum se sit licita, qui tamen est certus esse sibi licitam, ut dictam a Parocho, n. 37.*

*Hinc non repugnat, quod speculative dubius sit practice certus; n. 38.*

*Cum prudenti, immo prudentiori formidine de inhonestate materiali, fiat infallibilis certitudo prudentialis de honestate materiali, ib.*

*Dubio pratico non deposito tenemur ad id; at non tenemur eo deposito, n. 39.*

Querimus an licitum sit cum conscientia speculative, aut practice peccati dubia operari? Dixi conscientiam speculative dubiam esse illam, quæ dubia est de morali bonitate, aut malitia objecti, ex quo cumque capite moralis illa bonitas, aut malitia proveniant, sive quia sit inhonesteca objecto, sive quia detur, aut non detur lex illud prohibens, aut precipiens, aut permittens. Conscientiam practice dubiam dixi esse, quæ dubia est de bonitate, aut malitia morali ipsius operationis, unde cumque illa proveniant.

Sed antequam meam mentem exponam, N. transcribere duxi, quæ habet P. Suar. quem 22. immeritò Probabilioristæ pro se citant, qui 8. tom. 5. in 3. p. d. 40. sect. 5. an. 13. præter alia, quæ supra dedi d. 19. sect. 1. hæc habet: Alii verò per contrarium extremum dicunt posse hominem deponere dubium, & se gerere perinde ac ille, qui nullam habet irregularitatem, quamvis teneatur nactâ opportunitate maiorem adhibere diligentiam. Ratio est; quia in eo casu post factam diligentiam ignorantia, quæ manet, est involuntaria, & ideo practice nullum est periculum peccati... Dices: Illa ignorantia non est positiva, sed negativa tantum; nam ille non judicat invincibiliter se non habere præceptum, sed solum negativè se habere nesciens, an sit præceptum, & ideo adhuc versatur in periculo, etiam secundum suam existimationem, ne fortè in re sit præceptum, & illud violat. Sed contra; nam ex illâ ignorantia negativâ in universalis, optimâ ratione infertur positiva ignorantia in particulari per illud judicium præcticum, quo aliquis prudenter judicat se non obligari hic, & nunc tali præcepto quia



Opinio practica potest esse speculative vera, & practice falsa; aut speculative falsa, & practice vera: quid? ibi.

Quid conscientia dubia? quid speculative, quid practice dubia? n. 20.

Mihi verius est, quod formido non sit necessario iudicium, sed plerumque simplex apprehensio suavis falsitatis, aut malitiae, n. 21. 22.

Ea apprehensio exponitur communiter vocibus significantibus iudicium, n. 23.

Cur formido sit potius apprehensio? a num. 23. ad 26.

Formido non bene explicatur per forte est, aut forte non est, n. 26.

Similiter non bene per videri, n. 27.

Alia plura explicantur per verba significantia iudicium, etsi iudicium non sint, n. 28.

Mens P. Thyrsi circa formidinem, n. 29.

Adhuc admisso quod formido sit iudicium, ostendo, quod ad recte operandum satis sit certitudo moralis unita formidini imprudenti de opposito, n. 30.

Hinc operari cum hoc iudicio, forte pecco, separato a iudicio prudenter contemnente dictum iudicium, est peccatum, non autem unito, ibid.

N.  
19.

**D**ubium speculative, inharendo meae doctrinae, est suspensio voluntaria omnis iudicii directi de speculativa veritate honestatis, aut inhonestatis objecti; existentiae, aut non existentiae legis: Practicum est suspensio voluntaria omnis iudicii directi circa honestatem, aut non honestatem ipsius electionis de eo objecto; considerare enim, an electio liceat in ordine ad illam ponendam, est munus intellectus practici. Atque adeo dubium speculative est dubium de natura objecti in genere moris; dubium practicum est dubium de natura electionis in genere moris; haec enim est, quae immediatè regulatur à iudicio practico. Ita communiter, etsi forte non adeo clarè, exponitur dubium practicum, & speculative, à P. Moya tom. 2. qu. 4. num. 1.

P. Moy. Mastr. Mynez, Mastr. in 2. d. 5. & ex parte Herinc. tom. 2. d. 4. n. 30. Mynez 1. p. cap. 2. sect. 4. pag. 81. dicens: Dubium speculative est, quod non versatur directè circa actionem humanam, ex gr. an res hec sit mea, an talis res sit aqua: vel licet circa illam versetur, versatur tamen modo generali, abstrahendo à circumstantiis particularibus, ex. gr. an liceat vendere rem, de qua dubito, an sit aliena. Hoc dubium, inquit, dici solet speculative practicum, cui opponitur practice practicum, quod versatur circa actionem hic, & nunc ponendam, spectatis omnibus

circumstantiis in particulari. Breviter: ipsa opinio practica potest esse speculative vera, si sit conformis objecto ut est in re; ea opinio practica erit speculative vera, etsi esse simul possit practice falsa, nempe si sit leviter probabilis. Rursus eadem opinio practica potest esse practice vera, nempe si sit certo probabilis, seu conformis morum regulis; & simul esse speculative falsa, si sit difformis suo objecto ut est in re. Ex quo patet opinionem practicam aliam esse practice veram, aliam practice falsam: & ideo aliqui opinionem certo probabilem, practicam practice vocant, nempe illam, quae est practice vera.

Ex hoc facile deducitur, quid sit conscientia dubia in genere, & quid speculative, aut practice dubia. Conscientia tunc est dubia, quando intellectus, propositis pro utraque parte motivis honestatis, & inhonestatis materialis ipsius objecti; & honestatis, & inhonestatis formalis ipsius electionis, suspendit omne iudicium directum circa eadem. Conscientia tunc est speculative dubia, quando intellectus suspendit omne iudicium directum circa naturam objecti in genere moris, seu circa materiale, & intrinsecam bonitatem, & malitiam; aut ejus objecti licentiam, vel prohibitionem. Conscientia tunc est practice dubia, quando suspendit omne iudicium directum circa ipsius electionis naturam, an ea liceat, vel non. Autem ad dubium speculative sequatur semper practicum, plura dixi d. 18. & 19. & paulo post.

Queritur, an formido sit necessario iudicium, quo intellectus formaliter, aut virtualiter, directè, aut reflexè iudicat, forte res, quam ita iudico esse, ita non est; an verò sit pura apprehensio falsitatis, aut malitiae de eo ipso objecto, quod credo verum, aut opinor honestum?

Mihi longè probabilius est, quod formido sit plerumque simplex apprehensio suavis falsitatis, & malitiae, (quae tamen simplex apprehensio communiter exponi solet per voces importantes iudicium, nempe, *Fortè non licet*) inclinans intellectum ad oppositum ejus, quod credit, aut opinatur, ut bene P. Ripalda: etsi contrarium doceat P. Rip. P. Vafq. 1. 2. d. 62. n. 26. P. Teril. P. Card. P. Vafq. tom. 3. d. 56. à num. 350. P. Moya, & alii, qui inde arguunt contra nos, quod nulla conscientia peccati formidolosa esse possit moraliter recta, quia omnis formidolosa est peccati dubia: ergo ne sit dubia peccati, necessarium est iudicium reflexum de licito usu minus probabilis moraliter evidens, exclusi.



siva omnis formidinis, arcere videar doctrinae traditæ, quod formido non sit nisi apprehensio sua ipsa oppositi ejus, quod hic, & nunc judico, gratis concedere volo, quod formido sit judicium de opposito, nempe tale judicium, *Fortè non licet, fortè est falsum*; adhuc tamen dico, quod ad rectè moraliter operandum satis sit certitudo moralis conjuncta cum imprudenti formidine oppositi, ut dixi d. 19. sect. 6. Quare dum Adversarii dicunt operari cum judicio dictante, *Fortè pecco, fortè non licet*, est intrinsicè malum, quia est operari cum conscientia dubia peccati, & est quasi contemptus legis Divinae, & est periculum peccati; distinguendum est, ut dixi l. c. operari cum judicio dictante, *Fortè pecco*, separato ab omni judicio prudenter contemne dictum judicium, & bonâ fide dictante, *Non pecco*, est intrinsicè malum, concedo; est enim, ut ibi dixi, operari cum conscientia dubia peccati: operari cum eo judicio formidoloso, *Fortè pecco*, addito tamen judicio consequenti prudenter, & absolutè contemne illud judicium, & prudenter absolutè dictante, *Non pecco*, est intrinsicè malum, nego. Ratio est; quia licet transmittam, quod formido sit judicium quasi disponens animum ad legis Dei contemptum, attamen unitum judicio certo prudenti, etsi non evidenti, dictanti, *Hoc licet*, eo ipso tollit eam dispositionem, & omne peccati periculum.

## SECTION II.

*An cum conscientia speculative, aut practice peccati dubia licitum sit operari?*

## §. I.

*Status questionis, & præclara Eximii Doctoris doctrina.*

## SUMMARIUM.

*Status questionis, & quid conscientia speculative, & practice dubia? n. 31.*

*P. Suar. ait, quod quis possit esse in generali, seu speculative dubius, an lex detur, & in particulari esse certus, quod ea lege non obligetur, n. 32.*

*Solutio ejusdem P. Suar. ad objectionem, quod omnis dubitans in genere, dubitet in particulari, n. 33.*

*Exemplificat in justitiâ, dubitat possidens, an res sit sua, & tamen licitè tenet. Idem ait in omni aliâ virtute, n. 34.*

*Potest speculative dubius de peccato fieri practice certus de non peccato per principium superveniens, n. 35.*

*Ait P. Suar. legem non esse satis promulgatam, quoties rationabiliter dubitatur, an lata sit, ibid.*

*M. Passerinus affirmat quod cum dubio de honestate materiali objecti stet certitudo de materiali honestate actus, n. 36.*

*Immo ait ex hoc capite ineptè impugnari Probabilistas, ib.*

*Exemplificat in rustico, qui dubitat, num talis res secundum se sit licita, qui tamen est certus esse sibi licitam, ut dictam a Parocho, n. 37.*

*Hinc non repugnat, quod speculative dubius sit practice certus; n. 38.*

*Cum prudenti, immo prudentiori formidine de inhonestate materiali, fiat infallibilis certitudo prudentialis de honestate materiali, ib.*

*Dubio pratico non deposito tenemur ad id; at non tenemur eo deposito, n. 39.*

Querimus an licitum sit cum conscientia speculative, aut practice peccati dubia operari? Dixi conscientiam speculative dubiam esse illam, quæ dubia est de morali bonitate, aut malitia objecti, ex quocumque capite moralis illa bonitas, aut malitia proveniant, sive quia sit inhonestæ objecto, sive quia detur, aut non detur lex illud prohibens, aut precipiens, aut permittens. Conscientiam practice dubiam dixi esse, quæ dubia est de bonitate, aut malitia morali ipsius operationis, undecumque illa proveniant.

Sed antequam meam mentem exponam, N. transcribere duxi, quæ habet P. Suar. quem 22. immeritò Probabilioristæ pro se citant, qui 8. Nov. tom. 5. in 3. p. d. 40. sect. 5. an. 13. præter alia, quæ supra dedi d. 19. sect. 1. hæc habet: Alii verò per contrarium extremum dicunt posse hominem deponere dubium, & se gerere perinde ac ille, qui nullam habet irregularitatem, quamvis teneatur nactâ opportunitate maiorem adhibere diligentiam. Ratio est; quia in eo casu post factam diligentiam ignorantia, quæ manet, est involuntaria, & ideo practice nullum est periculum peccati... Dices: Illa ignorantia non est positiva, sed negativa tantum; nam ille non judicat invincibiliter se non habere præceptum, sed solum negativè se habere nesciens, an sit præceptum, & ideo adhuc versatur in periculo, etiam secundum suam existimationem, ne fortè in re sit præceptum, & illud violat. Sed contra; nam ex illâ ignorantia negativâ in universalis, optimâ ratione inferitur positiva ignorantia in particulari per illud judicium præcticum, quo aliquis prudenter judicat se non obligari hic, & nunc tali præcepto, quia



quia nemo obligatur lege, nisi illi sit sufficienter proposita: sed qui post factam diligentiam sufficientem ad cognoscendum, an sibi sit tale præceptum impositum, non potuit id assequi, non habet talem legem sufficienter propositam: ergo licet in generali, seu speculativè maneat dubius, an talis lex lata sit, in particulari est certus se non obligari tali lege. Atque ita cessat fundamentum contrariæ sententiæ, quod nemo potest facere absque peccato id, de quo dubitat, an sit peccatum: negamus enim in eo casu talem hominem dubitare, an illud hic, & nunc sit peccatum, quandoquidem hic, & nunc est certus se non obligari præcepto.

N. Dices, satis esse, quod in generali dubitet hunc actum secundum se esse peccatum, quia peccatum, sive secundum se, sive in particulari sumptum vitandum est: hoc autem dubium manet semper in tali homine, quia, cum semper generatim dubitet, an talis lex lata sit, consequenter dubitat, an actio ipsa sit peccaminosa. Respondetur falsam esse illam primam propositionem generaliter sumptam; nam si quis non dubitet, an talis actio hic, & nunc sibi sit peccaminosa, parum refert, quod dubitet, an talis actio secundum se, seu materialiter sumpta sit peccaminosa. Neque hæc generalis dubitatio infert necessariò illam particularem, nisi quando nulla est facta diligentia ad expellendam dubitationem generalem; neque subest aliqua rationabilis causa operandi cum tali generali dubio, quando expelli non potuit: his autem duobus concurrentibus sæpe licitum est operari, non obitante tali dubio. Hæc ad verbum Eximius D.

N. Exemplificat in materiâ justitiæ; possidens enim rem, & dubitans, an sua sit, potest eam tenere, cum melior sit conditio possidentis. Subdit: Quod verò aliqui dicunt, hoc solum habere locum in materiâ justitiæ, non verò aliarum virtutum, falsum est, & sine fundamento dictum; quia non minus vitandum est peccatum in materiâ justitiæ, quam aliarum virtutum: & sicut in materiâ justitiæ occurrere potest sufficiens ratio, ob quam, & non obstante illo generali dubio, potest in particulari esse certitudo practica de honestate actus; ita in materiâ aliarum virtutum potest similis ratio occurrere. Ut in materiâ religionis, nemo obligatur voto, de quo dubius est, an illud emiserit, ut rectè dixit Soto lib. 7. de Just. qu. 3. art. 2. & in materiâ temperantiæ, qui justè, & invincibiliter dubitat, an hodie sit

Tom. III.

dies jejunii, non est cogendus jejunare: & simile est de observatione festi; & in universum in materiâ obedientiæ, quamdiu quis invincibiliter dubitat, an præceptum sit impositum, & non potest post moralem diligentiam notitiam illius consequi, non est cogendus in conscientia ad observationem talis præcepti. Hæc ad litteram P. Suar.

Ecce primò ovum non esse ovo similis, N. 35. quam nostra doctrina doctrinæ Patris Suarii; utitur enim nostris principiis de non sufficienti obligatione legis dubiæ, & quod possessio faveat in omni virtutum materiâ. Ecce 2. ostendit, quod homo cum conscientia speculativè dubiâ possit esse practicè certus de non peccato; ita ut ego dubitans, an tale objectum sit secundum se illicitum omnibus, adeoque mihi, (quod est esse speculativè dubium) adhuc esse possim practicè certus, quod tale objectum mihi liceat, quatenus mihi accedit principium, quod nemo tenetur vitare objectum dubiè vitium. Idem prorsus habet tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 5. ubi agit de obligatione voti dubii, & resolvit non obligare ob allatas rationes. Idem 1. 2. de Act. hum. d. 12. sect. 5. P. Suar. ubi ait, circa dubium juris advertendum variis modis posse contingere. Primò, quia simpliciter dubitatur de totâ lege quoad exercitium, an sit lata necne; & tunc generalis regula est non obligare. Ratio peti potest ex illo principio, quod in dubiis melior est conditio possidentis; homo autem continet libertatem suam: vel certè ex illo, quod in hac materiâ notandum est, quod lex non obligat, nisi sit sufficienter promulgata; quamdiu autem rationabiliter dubitatur, an lata sit, non est sufficienter promulgata. Hæc P. Suar. qui l. c. sect. 6. plura similia repetit, & omnia nostra principia confirmat.

Similia habet Probabiliorista M. Passeri. N. 36. nus tom. 3. in 2. 2. d. 186. n. 259. ex Caietano tom. 1. opusc. 31. respons. in fine; ex quo M. Pass. infert, quod non tantum probabilitas, sed dubietas speculativa stet cum infallibili practica certitudine prudentiæ; idest, quod datur certitudo practica, seu de honestate formali prudentiæ cum dubio speculativo de objecto, seu de materiali honestate prudentiæ; ita ut possim esse certus, me formaliter honestè operari, quin certus sim de materiali honestate objecti, & actionis: & ideo n. 260. ait ex hoc capite invalidè impugnari ulum probabilitatum; possum enim esse incertus de lege, & certus de honestate formali operando contra illam, seu esse non tantum moraliter, sed metaphysicè certus de honestate formali actionis dubiæ.

N ij

Conj



N. Confirmat n. 261. ex M. Mart. de Prado  
37. cap. 1. n. 7. & M. Joan. à S. Thom. 1. 2. d. 12.  
M. Pass. art. 3. exemplo idiotæ dubitantis, an teneatur restituere. In hoc dubio sic prudentia syllogizat certissime. Quod mihi Parochus meus dicit esse honestum, sive id sit mihi, alias evidens, & certum, sive de eo in singulari, & materialiter sumpto dubitem, seu suspicer, an sit contra hanc, vel illam legem, id verè est mihi amabile, salvo ordine finis recti, seu laudabiliter, & honeste: sed Parochus dicit, honestum esse non restituere: ergo. Ecce quomodo prudentia infallibiliter ducat etiam dubitantes, nec ulla est contrarietas, quod rusticus dubitet de re secundum se; & non dubitet de re ut dicta à suo Parocho: sicut nulla, quod Religiosus dubitet de re præcepta, an sit illicita, & non dubitet, quod ea res ut præcepta sit illicita: nulla quod formidem de mysterio SS. Trinitatis, ut est in te, seclusa fide proponente; & quod sim omnino certus de eo ut proposito per fidem. Hæc, & alia satis clara M.

M. Pass. Passerinus, alias Probabiliorista, quibus constat dari posse certitudinem veritatis practicæ in prudentia cum dubietate, immò prudenti formidine veritatis speculativæ, seu de materiali honestate objecti, & actionis secundum se.

N. Dices repugnare, ut speculativè dubius sit simul practicè certus. Nego, quin oppositum est evidens: ego enim prudenter formido, & dubito ex. gr. an habeam causam sufficientem frangendi jejunium: & tamen certus practicè sum, quod honestè operor frangendo jejunium, accedente Superioris mandato: ergo cum prudenti, immò prudentiori formidine de objecto materiali prudentiæ, ex. gr. de inhonestate in fractione jejunii secundum se, stat infallibilis certitudo prudentiæ de honestate violationis jejunii ut à Superiore præceptæ, quod est objectum formale prudentiæ.

N. Instabis: In omni dubio practico tene-mur ad tutius: sed dubium de licentiâ actionis est practicum: ergo. Sed contra 1. quia axioma verum est de dubio practico, eo non deposito. Secundo, verum est, si tutius stet contrariè, seu pro unico tuto, & minùs tutum pro non tuto; non autem si comparativè, ut expresse S. Antoninus, M. Sylvest. P. Sanch. M. Candid. M. Passer. n. 264 & alii sine numero.

§. II.

Resolutio questionis.

## SUMMARIUM

Dari potest conscientia speculativè dubia, practicè non dubia, n. 40.

Plura exempla, n. 41.

Nulla repugnantia, quod intellectus sit certus de uno, & incertus de alio objecto, n. 42.

Diversum est objectum iudicii speculativi ab objecto practici, ib.

Si conscientia speculativè dubia fiat practicè non dubia, licitum sub hac operari: non ita si non fiat practicè non dubia. Doctores, n. 43.

Est contra P. Eliz. ib.

S. August. ait iustum posse recte bellare, iubente Rege sacrilego, si quod iubetur, vel non esse contra præceptum Dei certum est; vult autem, certum non est, n. 44.

Ex S. Aug. si lex non est certa, licet contra illam operari, ib.

Doctores tuentes teneri subditum parere in omni quod non est certo peccatum, n. 45.

Possum conscientia speculativè dubia supervenire principia certificantia honestatem actionis, n. 46-47-48.

Potest conscientia practicè directe dubia fieri reflexe practicè certa, n. 49.

Doctores, ibid.

Quid directe practicè dubia, quid reflexe practicè certa? n. 50.

Rationes conclusionis, à n. 50. ad 52.

Si conscientia practicè directe dubia fiat practicè reflexe certa, licet cum ea operari, n. 53.

Nulla repugnantia, quod intellectus, incertus de honestate electionis, fiat certus de eius honestate, n. 54-55.

Dico 1. Dari potest conscientia speculativè dubia, & practicè non dubia. 40. Est omnium contra P. Eliz. lib. 4. q. 10. §. 2. in fine pag. mihi 229. qui non intelligit, quomodo possit conscientia simul esse speculativè dubia, & practicè non dubia; & lib. 3. quest. 6. P. D. Thyrsus dissentiat. 7. n. 54.

Pater: nam eadem conscientia potest esse dubia, num lex existat, num objectum liceat; & simul esse practicè non dubia, quod talis actio circa objectum dubie prohibitum sit licita; ut constat tum in baptizante, qui est speculativè incertus de valore Sacramenti, & tamen est practicè certus de honestate, immò de obligatione ministrandi Sacramentum Baptismi incerti valoris in casu necessitatis: tum in medico, qui est speculativè incertus de efficacia pharmaci,



pharmaci, & tamen est practicè certus de honestate, immò obligatione applicandi tale pharmacum in casu, quo certum desit: tum in conjugio, qui est incertus de valore secundi matrimonii bonâ fide initi, & tamen est practicè certus de honestate redditionis debiti: tum in Fidei, qui est speculativè incertus de proprio gratiæ statu, & tamen est practicè certus de non indignâ Eucharistiæ sumptione: tum in non audiente Sacrum, in non jejunante, in non implente votum, qui sunt speculativè incerti de existentia legis obligantis audire Sacrum, fervare jejunium, implere votum; & tamen sunt practicè certi de non inhonestate, non auditionis, non jejunii, non impletionis voti: ergo certò certius est dari conscientiam speculativè dubiam, & practicè certam de licentiâ operationis. Omnes enim allatæ conscientiæ sunt speculativè dubiæ de valore Baptismi, pharmaci, & matrimonii. Rursus aliæ sunt speculativè dubiæ, num existat lex obligans ad Sacrum, ad jejunium, & ad votum; & tamen omnes dictæ conscientiæ sunt practicè certæ de honestate, aut licentiâ actionis, aut omissionis, nempe administrationis Baptismi, præscriptionis pharmaci, redditionis debiti, non auditionis Sacri, non observationis jejunii, non impletionis voti.

N. 42. Confirmo: quia nulla est repugnantia, quòd intellectus sit certus de uno, & sit incertus de alio objecto realiter distincto: sed objectum intellectus speculativè dubii est ipsa moralis natura objecti; objectum intellectus practicè certi est ipsa electio ejus objecti; electio autem realiter, inadæquate saltem, est distincta à suo objecto: ergo nulla est repugnantia, quòd intellectus simul sit speculativè incertus de existentia legis, & practicè certus de non obligatione ejusdem. Omitto plura, nam ad conclusionis evidentiam satis est notare, quòd judicium practicum diversas circumstantias pro objecto habeat ac speculativum.

N. 43. Dico 2. Si conscientia speculativè dubia fiat practicè non dubia, licitum est sub tali conscientia reddita practicè non dubia operari: secus non licet. Ita omnes cum P. Suar. *ll. cc.* P. Carden. *tom. 1. d. 15. n. 551.* P. Sanch. *lib. 1. Sum. cap. 6. Caie. tan. in opusculis tr. 31. resp. 13.* M. Bann. *2.2. qu. 10. art. 1. P. Ovied. 1. 2. tr. 5. contr. 4. punct. 1.* M. Passer. *l. c.* M. Joan. à S. Th. *Tom. III.*

Thom. *l. c.* P. Moya *tom. 1. tr. 1. qu. 6. à p. Moy. n. 37. & tom. 2. qu. 4. n. 3.* qui plurimos refert, citatis fideliter eorum verbis; M. Mer-  
cor. *1. p. art. 12. pag. 29. & 31.* qui ait intellectum speculativè dubium de honestate posse esse practicè certum de eâ, quoties nova accedat ratio, vel autoritas, vel consuetudo, vel præsumptio, vel possessio, aut quid simile: quòd si nulla superveniat, qualis est dispositio intellectus speculativè, talis est in praxi: Philaleus *qu. 6. pag. mibi 137. & alibi*, M. Baro *2. p. Manud. d. 4. sect. 1. art. 3. §. 2. pag. mibi 364.* dicens: Ad hanc conclusionem speculativam formidolosam, puto me ex legitimo conjugio natum, sequi posse practica alteram, & omnino indubitam: ergo colendus est mihi omni genere officiorum is, à quo ex probabili opinione vitam hausi: idem ait *pag. 379.*

Est autem tota conclusio contra P. Elizald. *lib. 4. q. 16. §. 3. pag. mibi 229.* qui tamen potius verbis, quam re dissidet; vel si re dissidet, est, quia fatetur se non intelligere rem nobis evidentem; nempe quomodo conscientia possit simul esse speculativè dubia, & practicè certa.

Probatur 1. ex S. August. *lib. 22. contra Faustum cap. 75.* dicente: *Justus si forte etiam sub Rege homine sacrilego militet, rectè S. Aug. potest eo jubente bellare, si quod sibi jubetur, vel non esse contra præceptum Dei certum est, vel an sit, certum non est.* Ecce duo affirmat Doctorum Doctor: primum est, quòd Justus possit Regi obedire bellum gerendo, quando est certus, quòd bellum imperatum non sit contra præceptum Dei: alterum est, quòd idem Justus possit bellum gerere obediendo Regi, quando non est certus, adeoque quando est dubius, num sit contra præceptum Dei, id est, quando est speculativè dubius de justitiâ belli: ergo ex S. Aug. si conscientia speculativè dubia fiat practicè non dubia, licitum est cum ea operari.

Idem habet S. Bernardus *lib. de Præcept. & Dispens. cap. 9.* dicens: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus.* Cui doctrinæ adherent quotquot sentiunt subditum teneri parere Superiori, quoties quod præcipitur, subditus judicat probabiliter licitum. Ita P. Sanch. *lib. 6. Sum. cap. 3.* & apud eum plurimi; pro quâ opinione P. Carden. *tom. 1. d. 16. cap. 4. & tom. 4. diss. 2. n. 596.* quam sequitur, refert 45. Doctores. Ergo si conscientia speculativè dubia fiat practicè non dubia, ut sit subditi conscientia, addito

N iij Supe



Superioris præcepto, licitum est cum ea operari.

N. 46. Probat 2. quia certum est, quod liceat operari cum conscientia practice non dubia, seu moraliter certa, ut constat ex disp. 18. & 19. nam cum bona fide, seu prudenti estimatione de licentia actionis est licitum operari; hæc enim bona fides in dirigendo eam actionem est conformis primis regulis morum: sed omnis conscientia practice non dubia est moraliter certa, est enim talis, bona fides, ut *ibidem* docui: ergo cum conscientia practice non dubia licet operari.

N. 47. Confirmo: quia conscientia speculative dubia de honestate objecti possunt supervenire principia reflexa certificantia honestatem actionis circa idem objectum, ut constat exemplis adductis n. 41. ex. gr. Sum dubius num hodie sit dies festus, & tamen possum esse certus, quod liceat hodie laborare, quatenus conscientia de die festivo dubia accedit hoc principium certum, *Nulla lex incerto constans, certo obligat*: ergo cum lex de die festivo mihi non constet, quin est incerta, non me certo obligat: ergo licitum est sub dubio, an sit dies festus, laborare. Similiter subditus saepe est incertus de licentia alicujus operationis, ex. gr. an liceat edere, domo egredi; & tamen accedente Superioris præcepto certus est se non peccare edendo, & domo egrediendo: ergo conscientia speculative dubia de honestate materiali objecti, & actionis potest superaddi aliquod principium, quo eadem conscientia speculative dubia fiat practice certa de licentia, & honestate formali ejusdem operationis speculative dubia.

N. 48. Probat 3. quia ad licite sine peccato formali operandum requiritur dictamen prudens, seu bona fides dictans tale opus non esse peccatum: sed *sola* præsentente conscientia speculative dubia, non adest tale dictamen; præsentente autem conscientia practice certa adest: ergo præsentente *sola* conscientia speculative dubia non licet operari; si autem ea fiat practice certa, licet cum ea operari.

N. 49. Dico 3. Potest conscientia practice directe dubia fieri reflexe practice certa. Est omnium contra P. Perez.

N. 50. Explico, & probó: Conscientia practice directe dubia est conscientia dubia de honestate, aut licentia actionis: Conscientia practice reflexe certa est conscientia certa de ejusdem actionis licentia, & honestate; quatenus superadditur principium certum reflexum de ejus licentia, aut honestate.

Jam verò quod conscientia practice directe dubia fieri possit reflexe practice certa, est evidens, tum ex dictis pro prima conclusi. quæ facile huic adaptari possunt: tum quia conscientia directe practice dubia de licentia actionis addi potest principium certificans esse licitum operari, quatenus licita est omnis actio, quæ non est certo vetita, & prudenter judicatur non vetita: tum quia rusticus dubius de honestate juramenti potest, accedente sapientis Confessarii consilio, esse reflexe practice certus de ejus juramenti honestate: & subditus dubius de licentia locutionis, comestionis, & similibus operationum, addito Prælati præcepto, est practice reflexe certus de earum honestate: ergo conscientia directe practice dubia fieri potest reflexe practice certa.

Confirmo 1. Fac enim, ut ego dubitem, an volitio edendi sit nunc licita: ecce dubium tale dubium versetur circa actionem, est dubium practicum; potest autem huic dubio practico, an electio cibi sit licita, supervenire principium reflexum certificans me de licentia, aut honestate volitionis edendi: ex. gr. Omnis electio, quæ certo non constat esse mala, immò prudenter putatur bona, est licita: sed electio, de qua dubito num sit mala, mihi certo non constat esse malam, quin prudenter puto esse bonam: ergo licet.

Confirmo 2. quia etsi conscientia sit in N. hoc casu dubia de honestate materiali, seu objectiva talis actionis; (dico objectiva, nam ipsa honestas actionis est in hoc casu objectum dubitationis) etiam inquam, conscientia dubia sit de honestate objectiva talis electionis; attamen ipsa conscientia est reflexe certa ratione principii superadditi de honestate formali ejusdem electionis: est enim certum, nullum, quod certo non constat esse malum, aut vetitum, esse licitum: ergo licita erit reflexe talis electio. Hoc suaderi potest ex textu Apostoli, quem dedimus d. 11. eumque, ut nos expolimus, exponit V. P. de la Puente tom. 4. de Periculis. P. Perez. 430. ad 434. & D. Perez num. D. Perez.

Dico 4. Si conscientia practice directe dubia fiat practice reflexe certa, licet cum ea operari. Est omnium contra P. Elizald. & videri potest P. Terillus qu. 12. an. 20. & 21. M. Tapia tom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 8. & 9.

Probat 1. quia licet sequi conscientiam N. moraliter certam de honestate electionis; sed quoties conscientia practice directe dubia est reflexe practice non dubia de ejusdem electionis licentia, & honestate, adest con-



scientia moraliter certa de ejus electionis licentia: ergo cum ea licet operari.

N. Confirmitur: quia esto repugnet intellectum simul esse certum, & incertum de eodem objecto, non tamen de realiter distinctis: sed electio edendi, aut bellum gerendi, ut relata ad unas circumstantias; eademque ut relata ad alias, sunt objecta realiter inadæquate distincta: atque adeo intellectus est incertus de honestate electionis ejus, & belli, consideratæ præcisè ejus electionis naturæ: & est certus de honestate ejus electionis cibi, & belli, consideratæ eâ electione, ut præcepta à Superiore; aut ut substantia huic principio certo practico reflexo, *Omnis electio certo non vetita est licita*: ergo nulla est repugnantia, quod intellectus incertus de honestate electionis fiat certus de ejus honestate: ubi aliud est honestas electionis in se; aliud honestas electionis ut substantia principio reflexo, quod omne præceptum, si non certo confitetur esse inale, est sequendum; aut huic, *Omnis voluntas, si non certo confitetur esse mala, est licita seu permissa*.

## §. III.

An cum solâ conscientia directè practice dubiâ sit licitum operari?

## SUMMARIUM.

Si conscientia practice directè dubiâ non fiat practice certa reflexe, non licet cum eâ operari.

Ita DD. omnes contra P. Perez, n. 56.

Quia tenemur habere bonam fidem, adeoque non satis carentia male fidei, n. 57. 58. 59.

Argumenta P. Perez, quod opus ex non malâ fide sit negativè ex bonâ fide, n. 60.

Et quia si non adest mala fides, nescitur opus esse peccatum, ib.

Solvo, quia necessaria ex Apostolo est bona fides, n. 61.

Ut quis peccet, satis est, ut vel careat judicio de non peccato, vel habeat judicium de peccato, non autem necesse semper, ut habeat judicium de peccato, n. 62. 63. 64.

Ego juxta utramque sententiam tam tuentem, quod ad libertatem necessariam pro peccato, satis sit sola apprehensio malitiæ cum carentiâ judicii distantis, opus non esse peccatum, quam tuentem, necessitatem judicii distantis opus esse peccatum, solvo objectionem, n. 65. 66. 67. 68.

Ostendo peccare, qui sine judicio de non peccato operatur, etsi careat judicio de peccato, n. 68. Non potest suspendi judicium reflexum, quod peccet, qui suspensio omni directo tam de pec-

cato, quàm de non peccato operatur, quia illud est evidens, ib.

Immo etsi suspenderetur illud reflexum, adhuc peccabit, qui suspensio omni directo operatur, n. 69.

Quomodo peccet, qui nescit se peccare suspendendo omne judicium directum, num. 70.

71. 72.

Illicitum est operari cum dubio peccati, eo non deposito per principium reflexum, n. 73. 74.

P. Terillus sentit operantem cum dubio ideo tantum peccare, quia temnit legem certam, non quia operatur cum dubio. Ejus rationes a n. 76 ad 81.

Impugnat Palanco Terillum, n. 82. 83.

Mea mens, n. 84.

Sequitur, & explicio P. Terillum, n. 85.

Enimque defendo, n. 87. 88.

Deo 5. Si conscientia practice directè dubiâ non fiat practice certa reflexe, non licet cum eâ operari. Est omnium contra P. Perez tra. P. Ant. Perez tr. 2. de Just. d. 2. cap. 4. & Pontius Joan. Pontium in 2. dist. 39. qu. 2. num. 56. quem ex ejusdem Scholâ impugnat Fogarinus d. 1. a n. 6.

Probitur 1. quia cum solâ conscientia N. speculative dubiâ non licet operari, ut dixi 57. num. 48. ergo multo minus cum solâ conscientia practice dubiâ. Confirmitur omnium autoritate Doctorum, que in re morali, ut probat P. Card. facit evidentiam moralem.

Probat 2. à priori ex P. Moya tom. 1. n. 1. qu. 6. a n. 29. & tom. 2. qu. 4. num. 11. & aliis passim; quia omne opus, quod non est ex fide, est peccatum juxta Apost. id est, omne opus, quod non procedit ex judicio prudenti de licentiâ ejusdem operis, est formaliter peccatum: sed purè dubius de licentiâ nullum habet judicium prudens de ejusdem operis licentiâ, immò operari vult, sive illud sit licitum, sive illicitum: ergo illud opus elicatum sub puro dubio de licentiâ, & non licentiâ, de honestate, & inhonestate, erit formaliter peccatum. Maior est certa ex Apost. Minor est certa ex hypothefi, supponitur enim, quod quis operetur sub conscientia practice dubiâ de malitiâ operationis, non depositâ per ullum judicium prudens. Consequentia tenet.

Confirmitur: Dubitans de bonitate morali electionis, aut objecti, vel dum elicit eam electionem, aut eligit illud objectum, habet judicium prudens dictans, cuique licere omne id, quod certo nescitur esse illicitum; & tunc eo ipso non operatur cum dubio, immò per illud judicium reflexum deponit dubium.



bium: vel caret omni iudicio prudenter dictante licere sibi cum eo dubio operari? & tunc operatur, non tamen ex bonâ fide: ergo peccat, cum illicitum sit sine bonâ fide operari, ut constat ex Apost. & omnium autoritate supponentium dari præceptum reflexum, ne quis operetur cum puro dubio de malitiâ electionis, aut objecti, excluso omni iudicio prudenti de licentiâ, aut honestate operationis, & objecti: ergo ad rectè sine peccato operandum, debet conscientia practicè dubia deponi per iudicium reflexum dictans, *Omne quod non constat certò esse malum, est licitum.* Urgeo: Non licet operari cum conscientia probabiliter tantum probabili, ut docui d. 18. *sect. 3.* ergo multò minùs cum dubio practico, seu cum conscientia practicè dubia. Consequentia tenet ex paritate, & omnium autoritate, & ratione *ibidem* adductâ. Omitto rationem, quam obiter insinuat Palanco *qu. 16. a. n. 39.* & Philaletus *pag. mibi 137.* puto enim non tenere.

Palanco.  
Philal.

N.

60.

P. Perez

Dices 1. ex P. Perez, omne opus elicitum non ex malâ fide, esse negativè ex bonâ fide: sed omne opus elicitum sub puro dubio honestatis, & malitiæ non est ex malâ fide: ergo omne tale opus est negativè ex bonâ fide. Minor probatur; quia omne opus elicitum sub puro dubio honestatis, & malitiæ, sicut elicitur sine iudicio dictante illud esse licitum, ita elicitur etiam sine iudicio dictante illud esse illicitum: ergo est negativè ex bonâ fide, seu non est ex malâ fide. Confirmatur; quia ad sine peccato, seu ex bonâ fide operandum satis est, ut operans nesciat illud esse peccatum, non autem necesse est, ut sciat non esse peccatum: sed operans, præsentè cognitione bonitatis, & malitiæ, & sine omni iudicio de bonitate, & malitiâ operationis, seu operans sub puro dubio de malitiâ, & bonitate actionis ponit eam actionem nesciens eam esse peccatum: ergo sine peccato, & ex bonâ fide operatur. Similia habet Pontius l. c. apud Fogarinum l. c.

Pontius  
Fogar.

N.

61.

Apost.

Sed contra evidenter; quia Apostolus expressè ait esse peccatum opus, quod non est ex fide: ergo ut opus sit peccatum, satis juxta Apost. est, ut fiat sine bonâ fide, seu sine iudicio dictante illud esse licitum, ut explicat Glossa ordinaria; sed fit; ergo est peccatum. Hinc ad confirm. nego antecedens; dico enim, quòd ut quis sine peccato operetur, non satis sit, quòd nesciat opus esse illicitum, sed necesse est, ut habeat aliquod iudicium directum, aut reflexum, quo judicet tale opus non esse illicitum.

tum, debet enim opus esse ex bonâ fide: sed nullus dubitans habet tale iudicium, ut supponitur: ergo non habet bonam fidem. Vide quæ dixi d. 18. *sect. 1.* ubi innui, quòd omnes DD. prærequirant iudicium certum de non peccato, ut quis sine peccato operetur, quod ipsum fulè suasi *sect. 4.* adeo ut P. Suar. & P. Moya velint nostram conclusionem esse de fide. Si ergo prærequiritur certum de non peccato iudicium ne quis peccet, eo ipso qui eo certo de non peccato iudicio caret, peccabit, si operetur: sed purè dubitans de honestate, & inhonestate eo caret: ergo operans cum eo puro dubio peccat, ut *ibidem* docui, & solvi argumentum, & dedi rationem, cur, ut quis peccet, necesse non sit, ut habeat certum de peccato iudicium, sed satis sit, ut careat iudicio certo de non peccato: ut autem quis non peccet, non satis sit, ut careat iudicio certo de peccato, sed necesse sit, ut habeat iudicium certum de non peccato.

Dices 2. Ut quis peccet, necesse est, ut N. eliciat opus contra iudicium dictans illud 60. esse illicitum: sed habens purum dubium caret tum iudicio dictante opus licere, tum iudicio dictante idem opus non licere; ergo non peccat. Nego maiorem ob rationem immediatè allatam. Ut quis peccet, satis est, ut eliciat opus sine iudicio bonâ fide dictante licere; non autem necesse est, ut eliciat opus sub iudicio dictante non licere. Deinde retorqueo: Ut quis peccet, necesse est, juxta Adversarium, ut ponat opus contra iudicium dictans non licere: sed operans sub puro dubio malitiæ, & honestatis operationis, etsi careat utroque iudicio directo, tam dictante, *opus A, licet*, quam dictante, *opus A, non licet*; non tamen caret iudicio reflexo dictante, *esse peccatum operari sine iudicio prudenti de licentiâ operationis*: ergo operans sub puro dubio, & sine ullo iudicio directo de licentiâ operationis, aut saltem reflexo peccabit formaliter. Vide P. Oried. *2. oia. 1. 2. tr. 5. contr. 1. n. 14.*

Dices 3. Sublato præcisè uno constitutivo N. vo libertatis moralis ad peccandum necessa- 63. rio, implicat esse peccatum: sed præsentè conscientia dubia deficit unum ex dictis constitutivis; ergo eâ præsentè implicat esse peccatum. Minor probatur; quia unum ex constitutivis libertatis moralis ad peccandum necessariè est iudicium de malitiâ operationis: sed præsentè conscientia dubia deficit non tantum iudicium de honestate, sed etiam de malitiâ operationis: ergo deest unum ex dictis constitutivis. Confirmatur: Nesciens opus esse illicitum, non potest peccare:



peccare: sed habens conscientiam dubiam nescit opus esse illicitum, nam suspendit omne iudicium tam de licentiâ, quam de non licentiâ operationis: ergo non potest peccare. Ita P. Perez.

P. Perez

N.

64.

Sed contra 1. quia hoc, & sequentia probant non tantum operantem cum conscientia dubia peccati non peccare, quin nec peccare operantem cum ignorantia culpabili, & affectatâ non malitiâ: ut enim eadem formâ: Implicat peccatum, quoties deest iudicium dictans, *hoc opus esse peccatum*: sed laborans ignorantia vincibili malitiâ caret eo iudicio dictante, *hoc opus esse peccatum*, quin habet iudicium imprudens dictans, *Hoc opus non est peccatum*: ergo laborans vincibili ignorantia malitiâ non potest peccare.

N.

65.

Contra 2. quia duplex est inter T.T. sententia circa libertatem necessariam ad peccandum, an requiratur iudicium dictans, hoc opus esse peccatum; an satis sit apprehensio suavis malitiâ cum carentia iudicii dictantis, idem opus non esse peccatum. Ne autem veritatem communissimâ nostræ conclusionis ad unam tantum sententiam limitemus, respondebo juxta utramque.

N.

66.

Juxta affirmantem, quod ad libertatem constitutivam peccati satis sit, ut detur apprehensio suavis peccati, & nullum ad sit iudicium de honestate illi contradicens, concessâ maiori, nego minorem. Ad probationem, juxta eandem sententiam, dico, quod ad libertatem constitutivam peccati satis sit sola apprehensio suavis peccati cum carentia iudicii de non peccato; non autem necessarium sit iudicium de peccato: ergo cum, stante conscientia dubia, detur apprehensio suavis malitiâ sine iudicio dictante *hoc opus non esse peccatum*; etsi tunc etiam non detur iudicium dictans, *hoc opus esse peccatum*, dantur constitutiva libertatis moralis ad peccandum necessaria. Quia, juxta hanc sententiam, ad potentiam moralem completam peccati satis est, ut detur apprehensio suavis malitiâ, & non detur iudicium dictans, *Hoc opus non est peccatum*; non autem necesse est, ut detur iudicium dictans, *Hoc opus est peccatum*.

N.

67.

Ad confirm. dico, quod operans nesciens opus esse peccatum, nescientiâ excludente omnem notitiam suavis malitiâ, non possit peccare: operans autem nesciens opus esse peccatum nescientiâ excludente hoc iudicium, *Hoc opus est peccatum*; non autem excludente apprehensionem suavis malitiâ divisam ab omni iudicio dictante, *Hoc opus non est peccatum*; dico, inquam, quod

iste operans possit peccare: etenim eo ipso quod iste operans habeat apprehensionem suavis malitiâ divisam a iudicio dictante, *Hoc opus non est peccatum*, etsi careat iudicio dictante, *Hoc opus est peccatum*, habet conscientiam peccati. Ut enim detur conscientia peccati, necesse non est, ut detur iudicium dictans, *Hoc opus est peccatum*; sed satis, ut detur apprehensio suavis malitiâ, & non detur iudicium de non peccato, eam apprehensionem excludens, seu illi contradicens.

Juxta sententiam negantem, quod ad libertatem peccati satis sit apprehensio suavis malitiâ cum carentia iudicii de non peccato, sed necessario requiri iudicium dictans, *Hoc opus esse peccatum*, concessâ maiori, nego minorem. Ad probationem distinguo: præsentem conscientia dubia practice de non peccato, non adest iudicium directum dictans tale opus esse peccatum, concedo; reflexum dictans opus sub conscientia dubia de peccato elicito esse peccatum, quatenus peccatum est operari sine bonâ fide non peccati, seu sine dictamine conscientia de non peccato, nego. Ad reliqua patet: licet ergo, stante conscientia dubia, desit omne iudicium directum tam de non peccato, quam de peccato operationis, circa quam versatur dubium; attamen adest iudicium reflexum dictans, quod *omne opus elicito sine iudicio de non peccato, aut de honestate, sit peccatum*; quod iudicium est unum ex constitutivis libertatis ad peccandum completæ. Rursus etsi directum nesciat opus esse peccatum, reflexum tamen scit, quod sit peccatum opus elicito sub dubio de peccato. Demum licet suspendat omne iudicium directum de peccato, & non peccato talis operationis, non tamen potest suspendere reflexum, quia est evidens, nam evidenter cognoscit, quod opus sub dubio malitiâ elicito sit peccatum.

Quod si P. Perez dicat posse etiam suspendi iudicium reflexum, quia non est evidens, prius negabo posse suspendi; nam evidens est lex ferre omnibus Theologis, & Apostoli textus, quod homo operans sine bonâ fide, seu sine iudicio prudenti de non peccato peccet: sed operans cum conscientia dubia scit evidenter, quod operetur sine iudicio prudenti de non peccato: ergo scit evidenter, quod peccet: ergo nec suspendit, nec potest suspendere iudicium illud reflexum evidens. Deinde transmittam, quod iudicium illud reflexum possit suspendi; adhuc sequitur, quod operans cum conscientia practice dubia peccet, quia operatur

N.

69.

P. Perez



operatur sine iudicio de non peccato, seu sine bonâ fide honestatis, quod satis est ad hoc, ut peccet, ut dixi; etsi tunc contra nullum operetur iudicium dictans tale opus esse peccatum, quatenus supponitur suspendi omne tale iudicium tam directum, quam reflexum.

N. 70. Dices 4. Sine conscientia peccati non potest esse peccatum: sed conscientia dubia peccati non est conscientia peccati: ergo cum conscientia dubia peccati non potest esse peccatum. Ratio est; quia operans cum conscientia dubia peccati nescit opus esse peccatum: sed ad peccatum requiritur, ut sciatur opus esse peccatum: ergo operans cum conscientia dubia peccati non peccat.

N. 71. Respondeo, concessâ maiori, distinguendo minorem: Conscientia dubia peccati non est conscientia peccati, sumpto tò conscientia pro iudicio de peccato, concedo; pro notitiâ suâsivâ malitiæ separatâ ab omni iudicio non peccati, nego. Vel aliter: Cum conscientia dubia peccati non potest esse conscientia peccati, seu iudicium directum de peccato, concedo; reflexum, non quidem de peccato in solâ operatione secundum se consideratâ, nam de hac dubitat, an sit peccatum; sed de operatione ut unitâ dubio malitiæ, & ut divisa ab omni iudicio non peccati, de quâ operatione ut unitâ tali dubio scit evidenter, quod sit formaliter illicita, nego.

N. 72. Ad rationem distinguo maiorem: nescit iudicativè, transeat; nam suspendit omne iudicium: nescit apprehensivè simul cum carentiâ iudicii de non peccato, nego maiorem: & distinguo minorem: requiritur, ut sciatur iudicativè opus esse peccatum, nego; apprehensivè cum carentiâ iudicii de non peccato, concedo minorem, & nego consequentiam. Vel aliter: nescit, seu non iudicat directè tale opus esse peccatum, concedo; nescit, seu non iudicat reflexè, quod opus ut elicatum sub dubio malitiæ sit formaliter peccatum, nego maiorem: & distinguo minorem: requiritur ut sciatur, seu iudicetur reflexè esse peccatum, concedo; directè, nego minorem, & consequentiam. Igitur vel ad libertatem peccati requiritur necessariò iudicium de peccato; & tunc etsi non detur iudicium directum, quod tale opus dubitatum peccatum, sit peccatum, datur tamen iudicium reflexum dictans esse peccatum opus elicatum sub dubio malitiæ: vel ad libertatem peccati satis est apprehensio suâsivâ malitiæ cum absentia iudicii de non peccato? & tunc, cum ea detur, consequenter datur conscientia peccati.

Dices 5. Vel licitum est operari cum dubio peccati, vel non? Si licet, vera erit opinio Pontii, & P. Perez: si non licet, falsum erit esse illicitum, quod dubito esse illicitum. Accedit, quod, juxta nos, omne id liceat, quod nescitur esse illicitum: sed dubitans nescit tale opus esse illicitum: ergo opus dubitatum illicitum licet.

Respondeo illicitum esse operari cum dubio peccati, eo non deposito per principium superveniens reflexum; licitum autem deposito dubio: eo autem ipso non operor cum dubio, sed opus ignoratum peccatum operor ei nixus principio, quod licet facere opus, quod non iudicatur peccatum. Ad additum dico per illud principium, *Omne, quod non certo iudicatur illicitum, est illicitum*, deponi dubium, & probare esse licitum deposito dubio ponere opus, quod dubitavi, non quod dubito esse peccatum; nam eo ipso, quod deponitur dubium, non dubito, sed dubitavi.

Quæres, an operans cum dubio ideo formaliter peccet, quia contemnit legem certam certo cognitam; an verò etiam peccet independentè sâ lege certâ certo cognitâ, seu præcisè quia operatur in dubio?

P. Teril. qm. 18. de Consc. à n. 10. affirmat, quod operans cum dubio peccet præcisè, quia contemnit legem certam propo. 2. Teril. sitam per iudicium certum, & evidens, nempe per primum principium reflexum Synderesis, quo cuique constat ea regula juris naturalis, *In dubiis tutior pars est eligenda*; aut per aliud primum principium reflexum cum illo convertibile, quale est hoc, *non licet ponere id, de quo dubitatur, an sit malum*.

Probat 1. quia si voluntas merè dirigetur per dubium, liceret aliquando operari in dubio, ex. gr. liceret pauperi dubitanti, an sit necne leve peccatum prodigalitatis, an verò sit actus heroicæ liberalitatis, privare se unico, quem habet, aureo, ut puellæ periclitantis dotem compleat; liceret, inquit, pauperi ita dubitanti operari cum eo dubio, absque eo quod peccaret: sed numquam licet operari cum dubio: ergo operans in dubio, ideo tantum peccat, quia operatur contra legem certam, quæ si non adit, non peccabit.

Probat 2. quia ut quis contemnat legem, nisi enim obligantem, lex debet existere, nisi enim existat, non obligat, nec propriè contemnitur: ergo operans cum dubio, ideo peccat tantum, quia contemnit legem existentem, & certam, non autem quia contemnit legem non existentem, aut dubiam. Probat



N. Probat 3. *imm.* 15. quia peccans in dubio violat legem non operandi in dubio, sibi certò notam: ergo ideo præcisè peccat, quia violat legem sibi certò reflexè notam; est enim evidens principium reflexum certum, nulli licere se exponere peccati periculo, seu operari cum dubio.

N. Probat 4. à priori; quia ad liberè operandum requiritur iudicium absolutum de honestate, vel turpitudine objecti; non enim voluntas potest determinatè, & deliberatè eligere objectum cum mero dubio de ejus honestate, vel turpitudine; necesse enim est, ut præcedat iudicium determinatum, & absolutum de ejus honestate, vel turpitudine: sed purum dubium non continet tale iudicium: ergo præter dubium, opus est alio iudicio ultimo regulante voluntatem; illud autem non est, nisi aliquod principium universale Synderesis, ex. gr. *Non licet operari cum dubio*, applicatum per actum experimentalem, seu per hanc minorem, sed *ego nunc dubito, an contrarius sit licitus*, adeoque non licet mihi contrahere: ergo in omni dubitante datur ultimum dictamen conscientiae proponens certam legem, quæ toties certò violatur, quoties homo in dubio constitutus sequitur partem minus tutam. Hæc P. Terill.

N. Sed contra hanc doctrinam insurgit Palanco *qu.* 16. *an.* 28. fusissimè dicens, quod independentè à lege reflexà sequendi partem tutiorem sit peccatum agere cum dubio id, de quo positivè dubito, an sit peccatum. Probat 1. quia per talem legem reflexam vetatur agere sub dubio, quia malum est agere sub dubio; non autem ideo malum est, quia vetatur, sed quod vetatur, quia malum, & non est malum, præcisè quia vetatur; est malum independentè à tali lege vetante illud: ergo agere sub dubio est malum independentè à lege illud reflexè vetante. Minor patet; quia vetitum, quia malum, supponitur malum pro priori, & independentè à tali prohibitione. Maiorem probat; quia quod vetatur lege naturali, vetatur necessariò à Deo; sed agere sub dubio prohibetur lege naturali, prohibetur enim, quia est in se malum; ergo non prohibetur liberè, sed necessariò à Deo: ergo agere sub dubio est malum ante omnem prohibitionem; est enim agere modo contemptivo legis Divinæ.

N. Probat 2. quia etsi non daretur lex reflexa vetans agere sub dubio; adhuc ita agere esset contemptus legis directæ Dei: sed contemptus legis Dei directæ est ex se peccatum, independentè ab eo, quod prohibea-

tur lege reflexà; immò etsi per impossibile à lege reflexà non prohiberetur; ergo etsi lege reflexà non prohiberetur, esset peccatum. Hæc Palanco, qui deinde totus est in solvendis P. Terilli argumentis.

Ego ut dicam quod sentio, concedo, quòd N. independentè à lege reflexà vetante agere sub dubio, sit peccatum sub dubio agere: concedo etiam ideo vetari sub dubio agere, quia est intrinsecè malum; ita ut ideo vetetur agere sub dubio, quia est in se malum; non autem ideo sit malum, quia vetatur. At non inde sequitur falsam esse opinionem P. Terilli dicentis, quòd ideo peccet agens in dubio, quia contemnit legem certam; immò hoc est prorsus verum. Quare distinguì debet lex objectiva, & lex formalis: etsi enim non daretur Legislator legem ferens de non operando cum dubio, adhuc esset peccatum agere cum illo; & qui cum dubio ageret, esto non contemneret voluntatem Legislatoris, (quæ in dicto casu nulla esset) contemneret certam legem naturalem insitam ipsi objecto ex se intrinsecè malo: atque adeo semper verum est, quod docet P. Terillus, quòd operans in dubio ideo peccet, quia legem certam contemnit. Cum autem lex certa naturalis vetans agere cum dubio, quia est intrinsecè malum agere cum dubio, nequeat à nobis moraliter violari nisi per cognitionem applicetur, hinc est, quòd ea debet nobis applicari.

Ex hac doctrinà facilè solvuntur quæ N. trahit Palanco putans, quòd P. Terillus neget esse intrinsecè malum agere sub dubio; immò *n.* 10. idem P. Terillus exponens suam secundam assertionem apertè ait, quòd sit cuique evidens ea regula juris naturalis, (*naturalis, dicit*) *In dubiis tutior pars est eligenda*: ergo est in se malum ante omnem directam prohibitionem agere in dubio: ergo hoc non negat P. Terillus; sed quod negat est, posse quem peccare, quin contra legem certam operetur; & verissimum dicit; nam qui operatur cum dubio, operatur contra hanc legem naturalem cuique certam, *Non licet operari cum dubio*; hæc enim lex non est dubia, sed est certa. Ab aliis superfedeo.

Unum tantum in Palanco adverto; ait enim *n.* 48. quòd si P. Terilli doctrina, quòd ut voluntas eligat liberè objectum, requiratur prævium iudicium de objecti honestate, aut turpitudine, nec satis sit dubium: si hæc P. Terilli doctrina est vera, sequitur (ait Palanco *n.* 49.) quòd innumera hominum opera liberet à peccato, & poenā, & vix peccare relinquat, nam grandes peccatores



tores vix aliquando, vel numquam curant de formando ultimo conscientiae dictamine certo, quo de sui operis inhonestate certificentur; immò nil curant de operis honestate, aut inhonestate, sed tantum de delectatione, aut lucro: ergo cum tales peccatores sint innumeri, nullus horum peccabit. Hæc, & alia Palanco.

N. Sed contra; quia duplici ex causâ homo  
87. peccat: vel quia ponit opus, quod directè iudicat absolute inhonestum; vel quia suspendendo omne iudicium directum de operis honestate, & inhonestate, ponit illud opus dubitans de malitiâ; & tunc habet iudicium certum reflexum proponens, quod malum sit operari sine iudicio de honestate, aut saltem de non malitiâ operis. Quilibet enim, antequam operetur, tenetur formare aliquod sive directum, sive reflexum conscientiae iudicium, quo ultimo iudicet, quod opus saltem non sit malum; quod si hoc suspendat, & operetur, peccabit, quia operatur sine bonâ fide, seu sine prævio dictamine directo de operatione; habet tamen in eo casu dictamen reflexum dictans esse peccatum ponere opus non iudicatum saltem non malum. Adde peccaturum eum omnem, qui sine omni iudicio, tam directo, quam reflexo de non malitiâ operis operetur: etsi enim, ut sine peccato operetur, necessarium non sit iudicium directum de non peccato; tunc tamen necessarium est reflexum, aliter sine bonâ fide operabitur. Alterutrum ergo iudicium de non peccato necessarium est, ne quis peccet, ut dicam d. 21.

N. Ecce igitur, quod doctrina P. Terilli nec  
88. tollit potentiam peccandi, nec excusat à peccato, & poenâ opera peccatorum: nam peccator quantumcumque enormis vel dum ponit opus malum habet dictamen prævium directum de operis malitiâ, vel non? Si habet, ergo peccat, quia ponit opus sub dictamine de inhonestate. Si non habet dictamen directum, habeat tamen iudicium reflexum, adhuc peccat, quia ponit opus sub iudicio reflexo de ejus malitiâ. Quod si careat tum iudicio directo, tum reflexo de non peccato, adhuc ponendo illud opus peccabit, quia operatur sine ullo iudicio prævio de non peccato. Immò tandem huic doctrinæ manum dat Palanco num. 58. dicens: Et quidem adeo evidenter peccaminosus est ille modus operandi sine conscientia, seu quod idem est, sine scientiâ honestatis, & inhonestatis operis, ut ipso lumine naturæ ad explicandum hominem pessimè operantem, his verbis utamur: Est

homo sine conscientia, operatur sine conscientia; cognoscentes ipsum modum eligendi sine conscientia esse ex terminis, & ab intrinseco pessimum. Ecce, juxta Palanco, est lumine naturæ notum, quod operari sine conscientia operis sit pessimum: ergo ne quis peccet, necesse est, ut addit aliqua conscientia, seu iudicium sive directum, sive reflexum de non malitiâ operis: ergo vera est doctrina P. Terilli, quod ad non peccatum, aut ad opus bonum, necessarium temper sit aliquod dictamen prævium de non malitiâ, aut de honestate operis.

### SECTIO III.

Solvuntur argumenta contra nostras conclusiones allatas sect. antec. §. 2.

#### §. I.

Quia implicat, ut quis sit speculative dubius de licentiâ, & simul de eâ practice certus.

### SUMMARIUM.

Satis per me conscientia directâ, sive reflexa, n. 89.

Arguit P. Eliz. quia intellectus speculative dubius de malitiâ objecti, est etiam practice dubius de licentiâ actus, n. 90.

Et quia oppositum est intelligibile, nam ex incerto certum sequi non potest, n. 91.

Et quia implicat certitudo simul, & incertitudo de eodem objecto, n. 92.

Contradictio P. Eliz. n. 93.

Instatur argumentum variis exemplis, n. 94. Certum, incertum, dubium, verum, falsum, probabile, sumi possunt tum objective, tum formaliter, n. 95.

Sicut ex antecedenti incerto subjective sumpto sequi non potest consequens subjective certum, ita ex incerto objective sumpto sequi potest consequens subjective certum, ib.

Premissa conscientie reflexe sunt evidentes, et habent quid incertum pro objecto. Quales sint, n. 96.

DD. tuentes eas premisas esse evidentes, ib. Intellectus speculative dubius de malitiâ objecti fit practice certus de non malitiâ actus ob principia superveniens, n. 97.

DD. hoc tuentes, n. 98.

Ostendo quomodo cum incertitudine obiecti sit certitudo de honestate actus, ib.

Intellectus speculative dubius est etiam practice dubius, nisi superveniat principium certum reflexum, n. 99.

Explico, n. 100. 101.

Quid conscientia directâ, quid reflexa? ibid. & n. 102. 103.

Ostendo



Ostendo modum resolvendi conscientiam, & deponendi dubium, n. 100.

Qua diligentia adhibenda ut tutò exerceamus actionem dubiam? n. 105.

Sicut de probabilitate objecti habere possum evidentiam, & de falsitate veritatem, ita de dubietate licentia habere possum certitudinem licentia, n. 106.

Diversum est objectum conscientia speculative incerta, immò practice incerta, ab objecto conscientia reflexa. Assignatur, n. 107.

Est certum hoc principium, Actio de cuius inhonestate non dubito est permisa; actio, cuius inhonestatem prudenter negare possum, est permisa, ib.

Nulla repugnantia, quòd intellectus directè practice incertus de honestate electionis sit reflexè practice certus de illa, n. 108.

Ob libertatis possessionem cum dubio speculativo de lege, aut malitia objecti, & actus stat iudicium practicum de licentia illius, n. 109.

Inductio quòd quis possit esse practice certus de licentia eius de quo speculativè est dubius, n. 110. 111.

An iudex teneatur stare allegatis, & probatis ubi habet in oppositum evidentiam? ib.

N. 89. **D**icta à me sèst. antec. non ideo dicta sunt, quia velim conscientiam reflexam esse semper ad rectè operandum necessariam; hoc enim, juxta me, est falsum, ut ostendi d. 19. satis enim est conscientia directè purè probabilis de licentia operationis; hæc enim, si sit certò probabilis, est regula sufficiens, & infallibilis ad rectè operandum. Sed hæc dicta sunt, ut ostendatur, quomodo intellectus directè speculativè dubius de existentia legis, immò directè practice dubius de honestate electionis possit fieri certus. Dixi autem fieri posse reflexè practice certum per principia reflexa, & ostendi facile prout esse, quod P. Eliz. fatetur sibi inintelligibile. Sanè si intelligit, quomodo ex non inventione veritatis fiat intellectus per argumentum reflexum certus de inventione veritatis; cur non intelligat, quomodo intellectus speculativè dubius de honestate objecti fiat practice certus ob principium superadditum de honestate electionis? Aut quomodo intellectus practice directè dubius de licentia electionis fiat reflexè practice certus ob principium superadditum de ejusdem electionis licentia?

N. 90. **P.** Eliz. Primum itaque ex P. Elizald. argumentum est; quia eo ipso quòd intellectus est speculativè dubius de malitia, aut prohibitionem objecti, eo ipso est etiam practice

Tom. III.

dubius de licentia operationis: ergo nulla conscientia speculativè dubia potest esse practice non dubia: ergo omnis conscientia ut sit moraliter certa de licentia operationis, debet prius esse certa de non malitia objecti; seu omnis conscientia practice certa debet prius esse speculativè certa.

Confirmat 1. quia intelligi non potest, N. quomodo conscientia speculativè dubia de natura objecti, imò practice dubia de licentia actionis, fieri possit practice non dubia. Antecedens probatur; quia ex incerto, & dubio implicat sequi certum; hæc enim est tota ratio, cur omnis Logica doceat, quòd conclusio debiliorem partem sequatur: ergo ex conscientia speculativè dubia de morali natura objecti, aut ex conscientia directè practice dubia de natura actionis implicat sequi conclusionem, seu conscientiam reflexè certam de licentia actionis, cum præmissæ, ex quibus ea conclusio, aut conscientia deducitur, sint incertæ.

Confirmat 2. quia implicat, ut stante N. dubietate intellectus speculativi circa naturam objecti, dentur principia certa de honestate ejusdem objecti electione; & multò magis implicat, ut in intellectu practice dubio de honestate electionis dentur principia certa de ejusdem electionis honestate: ergo implicat, ut conscientia speculativè incerta sit simul practice certa; & multò magis implicat, ut conscientia practice incerta de honestate electionis sit simul practice certa de ejusdem electionis honestate. Antecedens probat, tum quia implicat ut intellectus habeat certa principia de licentia electionis, quam dubitat esse illicitam: tum quia implicat, ut in eodem intellectu stent simul certitudo, & incertitudo ejusdem omnino objecti: sed in nostro casu intellectus est simul speculativè incertus de honestate objecti, immò est practice incertus de licentia electionis ejusdem objecti; & simul est practice certus ob principia reflexa de ejusdem electionis licentia: ergo in eodem intellectu simul stant incertitudo, & certitudo practica ejusdem omnino objecti, seu electionis.

Antequàm directè occurrat argumentis N. P. Elizald. notandum 1. omnia in eum retorqueri, quatenus docet, quòd dubius, num aliqua lex existat, possit esse certus de ejus legis non obligatione, deponendo dubium speculativum de ejus existentia per discursum reflexum certum de non obligatione, hoc pacto: Si lex existeret, eam post maturam adhibitam diligentiam invenissem, non inveni, ergo non existit. Quæro modo



si ex incerto certum sequi non potest, quomodo P. Elizald. infert conclusionem certam de non obligatione, immò de non existentia legis ex incertitudine de existentia ejusdem? Ergo suis argumentis cogitur respondere.

N. 94. Notandum 2. omnia argumenta instari innumeris aliis exemplis: possum enim, ut saepe dixi d. 18. & 19. habere evidentiam de re non evidenti; habere certitudinem de re probabilis, seu, ut clarius loquar, habere evidentiam de non evidentia rei; habere certitudinem de probabilitate rei; habere veritatem de falsitate rei; quæro modò, quomodo hoc fieri possit?

N. 95. Notandum 3. incertum, inevidens, dubium, probabile, falsum sumi posse, tum objective, quatenus ipsa inevidentia, & incertitudo, & falsitas actus est objectum actus reflexi evidētis, certi, veri; tum formaliter pro ipso actu formali reflexo evidenti, & certo, tendente in eum actum directum incertum, falsum, inevidentem, tamquam in suum objectum. Jam sicut certum prorsus est, quòd ex antecedenti incerto, & inevidenti, subjective, & formaliter sumpto, sequi non possit consequens evidens, & certum, quia conclusio sequitur debiliorem partem; ita æquè certum est, quòd ex antecedenti inevidenti, aut incerto, & purè probabili, objective, & signatè sumpto, colligi possit consequens evidens, & certum: quatenus cum inevidens, incertum, & probabile objective sumptum non sit, nisi ipse actus incertus, probabilis, & inevidens; potest talis actus incertus esse objectum actus reflexi certi, & evidētis; potest enim esse mihi evidens ipsa inevidentia, & incertitudo, & probabilitas actus directi: ergo ex antecedenti inevidenti, & incerto, sumpto objective, & signatè, colligi potest consequens evidens, & certum.

N. 96. Ita accedit in casu nostro loquendo de conscientia reflexa supra statum objecti, seu actus directi; nam præmissæ, etsi habeant pro objecto aliquid signatè incertum, sunt prorsus certæ, saltem circa licentiam operationis: præmissæ enim sunt istæ, aut his similes: *Cuique licet electio objecti, quod non certò constat esse veritum, sed objectum A, de cuius morali natura dubito, non certò constat esse veritum, ergo ejus electio licet.* Vel loquendo de conscientia practica directè dubia: *Cuique licet electio, quæ non certò constat esse verita, sed electio, de cuius licentia dubito, non certò constat esse verita, ergo ea electio licet.* Ecce utriusque syllogismi præmissæ sunt

certæ, & evidentes; & ideo C. Pallav. hoc principium, *Quicumque facit id, quod omnibus pensatis sibi videtur bonum*, (aut saltem permisum) *honestè facit*, aut saltem non illicite facit, vocat primum principium practicum; eique assentitur Caram. in Dis. lexii in Epist. quæ examinat pag. mibi 324. mentem C. Pallavicini, P. Vatqu. P. de Sales, Steph. Spinulæ, & Philal.

In formâ dico verum prorsus esse, quòd intellectus speculative dubius de legis existentia, aut de malitia objecti, nisi assumat alia principia, per quæ tum dubium speculative de honestate objecti, tum dubium practicum directum de licentia actionis deponat, sit practice dubius de licentia actionis. Nego tamen, quòd si assumat principia reflexa certa, maneat practice dubius, immò eo ipso quòd ea assumit, sit recte practice certus de licentia actionis, & sic omittit dubium practicum directum de eadem: nam per novum principium superveniens, dictans nos posse contra dubium speculative de honestate, immò contra dubium directum practicum operari, certificatur intellectus de non peccato in ponendo actionem practice directè dubiam de licentia, aut in adherendo objecto speculative dubio de honestate.

Hæc, paucis mutatis, est communissima N. Doctorum mens cum P. Suar. P. Sanchez. C. Caiet. Herinex tom. 2. d. 4. num. 33. P. Moya tom. 1. quæ. 6. num. 31. M. Tapu. M. Passer. & aliis, quibus addo M. Mercor. quæ. 1. p. art. 13. quærit, an iudicium de objecto sit ejusdem rationis cum iudicio de operatione? & affirmat juxta ea, quæ deduxi art. 12. Addit tamen, quòd si iudicio particulari de operatione superveniat nova ratio, poterit iudicium de operatione esse certum; & de objecto esse incertum: ex gr. Dubito, an talis liquor sit aqua; & tamen non dubito honestam esse ministratorem in casu necessitatis, ne salus infirmi perdatetur. Hæc M. Mercor. Idem acutè, & saepe exponit Caram. in Apologem. Epist. 2. ex gr. Præcipiatur Thomistæ, ut defendat opinionem de resolutione usque ad materiam primam: ecce, si sermo sit de veritate objecti, formidare potest: si sermo sit de bonitate disputationis, scit se honestè agere eam defendendo. Similiter, an Deipara sit sine originali concepta: si sermo sit de veritate opinionis piæ affirmantis, formidat; nam potest non esse sine originali concepta: si de honestate actus, quòd eam defendit, scit se honestè operari. Ecce igitur quâ ratione cum incertitudine veritatis objecti iter certitudinis



titudo de honestate actionis; quod intelligere debent Adversarii, nisi confundere velint veritatem cum honestate.

N. 99. Hinc facile solvitur argumentum: Quoties intellectus est speculative dubius, est etiam practice dubius, si dubio speculativo non superveniat principium certum reflexum dictans, quod, non obstante dubia prohibitionem objecti, licitum sit operari, concedo antecedens; si superveniat, nego antecedens, & utramque consequentiam.

N. 100. Ad 1. confirm. omitto instantiam jam allatam *num. 93.* immo pro instantia contra eundem P. Elizald. adducere possum integrum ejus contra nostram sententiam volumen; quæro enim, an eam impugnet argumentis certis, & evidentibus, aut saltem probabilioribus? Si negat, ergo nostra de licito usu opinionis probabilis sententia, utpote impugnata argumentis nostro iudicio infirmioribus, quam nostra sint, erit vera. Si affirmat, quæro, quomodo fieri possit, ut ex minus probabili a se impugnato sequatur probabilis, aut evidens? Ut enim ex incerto non potest deduci certum, ita neque ex minus probabili deduci potest probabilis, aut evidens. Quare, nisi P. Eliz. dicere velit, totum suum volumen flocci pendendum esse, intelligere debet doctrinam traditam à nobis *n. 93.* immo hoc adeo evidens est, ut nullus, nisi supra opinionem alienam reflectat, eam impugnare possit, nec propriam suadere, nisi super eam reflectat.

N. 101. In forma nego antecedens, & explico; nam dubio speculativo de morali natura objecti, & dubio practico de morali natura electionis superaddi potest principium certum, ex quo inferatur dictamen evidens, quod non obstante utroque dubio licita sit electio, ut dixi *num. 95.* Hoc autem præter dicta, facile intelligitur, si intelligatur, quid sit conscientia directa, quid reflexa; & quantum inter se differant objecta utriusque. Conscientia directa est conscientia de ipso objecto, aut electione secundum se, & habet pro objecto remoto ipsum objectum, circa quod est electio voluntatis; & pro proximo ipsam ejus objecti electionem ut licitam, aut illicitam. Conscientia reflexa est conscientia de electione ut supponente actum conscientie directum; & habet pro objecto immediatè per actum reflexum attactum, tum ipsam electionem; tum ipsum actum conscientie directum proponentem eam electionem. Vel, ut brevius loquar, & juxta dicta de invincibili ignorantia, conscientia directa est conscientia de morali electione, ut est ipsa electio in se à parte rei,

Tom. III.

seu de electione specificativè sumptà: conscientia reflexa est conscientia de electione ut reduplicativè existente per ipsam conscientiam directam.

Jam verò ut conscientia speculative, aut N. practice directè incerta, & dubia fiat re- 102 flexè practice certa, assumendum est tamquam objectum conscientie reflexe ipsa conscientia directa; & reflectendo supra statum, quem objectum conscientie directæ habet in mente operantis, assumendum est aliud principium reflexum habens pro objecto ipsammet conscientiam directam, seu objectum ut existit in mente per ipsum actum conscientie directum; & inferendum ex his est, electionem talis objecti, ut hic, & nunc per conscientiam directam propositi, esse licitam. Ex. gr. dubito, an detur lex de jejunio; dubito, an electio venationis sit licita: assumo hoc utrumque dubium pro objecto conscientie reflexe, & utor hoc, aut simili principio: Lex, quæ non certò constat, certò non obligat, lex dubia de jejunio non certò constat, ergo lex dubia de jejunio, certò non obligat, ergo licet non jejunare. Similiter electio, quæ non certò constat esse venia, aut illicita, est licita, aut saltem permissa, (de quo principio fusissimè Caram. *lib. 4. Theol. Mor. Fund. à pag. 144.* ubi copiosè agit de possessione libertatis, quoties lex non est certa, à *n. 391.* in sua Dialysi) sed venatio, de cujus licentia dubito, est electio operationis, quam esse illicitam, aut vetitam non certò constat: ergo venatio, de cujus licentia dubito, est licita, aut saltem permissa.

Ecce in hoc utroque syllogismo patet N. doctrina à nobis tradita, quomodo, stante 103 dubio speculativo, aut dubio practico directo, seu stante conscientia speculative incerta de honestate objecti, aut practice directè incerta de honestate electionis, possit fieri practice certa, & evidens de non peccato. Similiter patet quàm facile deponatur dubium, seu conscientia practice dubia, nempe per iudicium certò prudens reflexum de licentia hic, & nunc actionis. Vel enim conscientia dubitat ex gravi ratione, vel ex levi? Si ex levi, resolvitur simili syllogismo: Quoties ratio dubitandi de existentia legis est levis, potest quis pro libito operari; vel quoties ratio dubitandi de malitia actionis est levis, ne scrupulis sine gravi fundamento cruciemur, potest quis eam actionem licitè exercere; sed ratio dubitandi hic, & nunc de existentia legis, aut malitia actionis est levis; ergo licet pro libito operari, & eam actionem ponere. Si

O ij autem



autem conscientia sit dubia ex gravi ratione, deponitur dubium ex principiis ante recentius, quod lex, quæ non certo constat existere, certo non obliget; & quod actio, quam esse veritam non certo constat, sit licita; quæ principia à ferè omnibus TT. admittuntur tamquam certa, & fundantur in possessione libertatis; iisque passim utuntur in materiâ de Lege, de Excommunicatione, de Censuris, & Votis dubiis.

N. Non immeror in trahendis aliis principiis, quibus conscientia practicè dubia deponitur, de quibus latè P. Moya *tom. 2. qu. 5. per totam*. In formâ nego antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: ex incerto, & dubio se habente subjectivè, seu per modum actus, non potest colligi certum, concedo antecedens; se habente per modum objecti ipsius actus reflexi, nego antecedens, & consequentiam in sensu dato. Ad id quod additur, nego præmissas, ex quibus deducitur dictamen conscientie reflexæ, nempe ipsa conclusio, esse incertas, nam, ut ostendi n. 95. sunt saltem moraliter evidentes.

N. Monco autem cum Herinex, & P. Suar. 105. & aliis, quod ut formetur iudicium practicum reflexum, debet prius ille, qui speculative dubitat de re, uti diligentia sufficienti, ut veritatem rei inveniat; aliàs si hanc omittat, ea ignorantia erit vincibilis; quod si adhibita sufficienti diligentia pro gravitate, aut levitate materie adhuc dubitet, tunc dubium veritatis erit invincibile. Idem

M. Tap. prorsus monet Illust. Tapia *tom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 9. n. 1. immò n. 12.* & sequentibus querit, quæ, & quanta diligentia adhibenda sit, ut tutò exerceamus actionem dubiam? & respondet, quod si facta diligentia dubium solvatur, teneamur operari partem tutam juxta legem inventam; si autem dubium perseveret, recurrendum ad possessionem, quâ præsentè cessat dubium practicum, & transit in merè speculativum, quod non impedit licentiam operationis. Quæ autem, & quanta adhibenda sit diligentia, ut dubium tollatur, aut ut cum eo tutè operemur? Respondet *num. 13.* quod certa regulâ pro omni actione, & multò minùs unica regulâ pro omni actione tradi non possit; sed negotium prudentialiter agendum est juxta arbitrium boni, & sapientis viri, quia non omnes actiones sunt æquales, nec ejusdem difficultatis, nec homo semper est æquè dispositus ad diligentiam. Possumus ergo proportionalem regulam in generali assignare; & hæc est, Quod dubitans attendat materie gravitatem, & difficulta-

tem, & per se, aut per alios quærat media pro veritatis inventionem: si autem non suppetant idonea, censendum est, sufficientem fecisse diligentiam: quod si dubiter, an adhibita sint omnia media pro tali diligentia juxta materie qualitatem, tunc consulat viros in eâ arte peritos, & prudentes, & juxta eorum consilium se regat; vel operando actionem, deponendo conscientiam dubiam per consilium alienum; vel utendo maiori diligentia, si ita consulant. Demum n. 14. recurrit ad possessionem, & ait diligenter videndum, pro quâ parte sit possessio: si pro præcepto, obediat illi; si pro libertate, operetur, quod vult.

Ad 2. confirm. nego utramque partem N. antecedentis. Ad 1. probationem, retorquero id prius argumentum utendo eadem formâ: P. Ea implicat, ut intellectus habeat evidentiam de objecto, de quo habet tantum probabilitatem; & implicat, ut intellectus habeat veritatem de objecto, quod tantum habet falsitatem; sicut autem hoc non tenet, ita nec id, quod contra nos urget. Immo sicut de objecto probabili ut probabili, seu de objecto probabilitate; & sicut de objecto falso ut falso, seu de objecto falsitate habere possum evidentiam, & veritatem; ita de dubitate licentie habere possum certitudinem licentie; quatenus id quod est directè dubium an liceat, est reflexè certum, quod liceat. In formâ distinguo antecedens: implicat, ut intellectus habeat principia certa reflexa de licentia electionis reduplicativè sumptæ, seu electionis ut dubitate illicitæ, nego antecedens; de licentia electionis specificativè sumptæ ut est in se, transeat antecedens, & nego consequentiam. Electio ut dubia de licentia est certo saltem permixta, quia est certum, quod electio, quam non certo constat esse illicitam, sit saltem permixta. Pater hoc allatis instantiis; potest enim objectum, quod directè tantum est probabile, esse evidens sumptum ut probabile: ita accidit in casu nostro, nam objectum, quod directè est dubie licitum, est certo reflexè licitum, aut permixtum; quatenus omne non certo verum est licitum, aut permixtum.

Ad 2. probat. concessâ maiori, nego *sup. N.* positum minoris; supponit enim, quod 107. idem sit objectum conscientie speculative, P. Ea aut practice directæ incertæ, ac est objectum conscientie reflexæ; quod est proprius falsum. Nam objectum conscientie speculative incertæ est ipsa legis existentia: objectum conscientie directæ practice incertæ est malitia electionis: objectum verò con-



conscientiæ practice reflexe est tum ipsa lex, tum actus conscientiæ dubitativus eam proponens; tum ipsa malitia electionis; tum actus conscientiæ directus practicus dubitativus hanc malitiam electionis proponens. Non enim dico, *legem non obligare*, sed dico, & est principium certum, *legem, de cuius existentia dubito, immo cuius existentiam prudenter negare possum, non obligare*. Similiter non dico, *actionem inhonestam esse licitam*; sed dico, & est principium certum, *actionem, de cuius inhonestate dubito, esse saltem permissam*: & multo magis est principium certum, *actionem, cuius inhonestatem prudenter negare possum, esse saltem permissam*.

N. 108. Nulla igitur in hoc repugnantia, quod intellectus dubitans directè de obligatione legis sit reflexe moraliter certus de ejus non obligatione; nulla quoque in hoc, quod intellectus per principia directæ practice incertus de honestate electionis sit reflexe practice certus de ejus licentiâ. Nec mihi opponatur, quomodo electio, de cuius honestate dubito, possit esse honesta. Non, inquam, opponatur; nam quæram à te, an difficilius sit, ut quod revera est in re inhonestum, sit honestum; an quod dubiè honestum sit honestum? Sicut igitur objectum in re inhonestum, & malum, si putetur invincibiliter honestum, est verè honestum, sive positivè, quatenus apparet conforme regulis morum; sive negativè, quatenus non apparet disforme, immò apparet non disforme iisdem regulis morum: ita talis actio dubia de honestate est reflexè honesta, conformitate cum principis reflexis morum. Utenim est certum morum principium, *Omne apparens invincibiliter honestum, non est saltem inhonestum*; immò per me est honestum, ut docui d. 7. ita etiam est certum morum principium, quod omnis actio dubia de honestate, sit saltem permissa.

N. 109. Dices compatibile non esse dubium speculative cum judicio practico de licentiâ. Nego antecedens; nam in materiâ omnium virtutum, juxta me, & plerosque T. T. & in materiâ Justitiæ, juxta P. Elizald. & omnes, cum dubio speculative num res sit mea, stat judicium practicum, quod licitè eam rem teneo propter possessionem: ergo propter libertatis possessionem cum dubio speculative de existentia legis, aut malitiâ objecti, & actionis stare potest judicium practicum de ejus licentiâ propter possessionem libertatis, cui licet omne, quod non constat esse verum.

N. 110. Patet hoc innumeris exemplis: ex. gr. Tom. III.

dubito speculative, num talis liquor sit aqua, & tamen si non detur alia aqua, & detur periculum imminens mortis, sum certus de honestate, aut licentiâ baptismationis. Dubito speculative num absolutio impertita homini sensibus destituto, qui tamen prius, dum erat sibi compos, vocari jussisset ad se Confessarium, num, inquam, sit valida; quod plerique negant apud Caram. lib. 4. in Dialectic. num. 396. & tamen certus sum de honestate, vel saltem de licentiâ absolutionis. Idem esto de aliis judicium. Non igitur impossibile est, ut vult P. Eliz. sed res facilis est, & satis obvia, quòd quis esse possit speculative incertus de veritate aquæ, valoris Baptismi, medicinæ, absolutionis, & similium; & tamen simul sit practice certus de honestate, vel saltem licentiâ baptismationis, absolutionis, & similium actionum. Ut autem conscientia sit recta, & certa, satis est certitudo de honestate; non autem necessaria est certitudo de veritate, ut dixi d. 18. sect. 5. nisi suspecti de Janfenismo esse velimus: etenim conscientia invincibiliter errans est recta saltem negativè, quatenus sine peccato, & licitè operatur, qui eam sequitur.

Quapropter M. Bartol. de Medina, vir N. fanè doctissimus, 1. 2. qu. 19. art. 6. pag. 176. fusè ostendit, & plures casus deducit, in quibus cum dubio speculative de veritate stat certitudo moralis de bonitate. Exemplificat in milite, qui est dubius de justitiâ belli, & tamen est certus se honestè operari obediendo Regi: in uxore, quæ potest esse dubia de valore matrimonii, & tamen potest honestè reddere debitum, immò petere, quia est in possessione matrimonii: in subdito, qui est speculative dubius de honestate rei præceptæ, & tamen est practice certus se licitè operari parendo Superiori. De quo etiam legi potest Caram. in Dialectic. à num. 533. qui num. 541. addit, quòd M. Medina doceat, non tantum licitum esse agere contra dubium speculative, sed etiam contra opinionem, immò scientiam evidentem; Judex enim contra propriam evidentiam damnare tenetur innocentem, si secundum allegata, & probata probetur nocens, ut optime ostendit S. Th. 2. 2. qu. 7. art. 2. sicut licitum est agere contra propriam opinionem. Ita M. Medina. Subdit Caram. rationem; quia Judex ait, esto sciam Petrum non esse reum, scio tamen esse bonum, seu esse civiliter verum (ita loquitur Caramuel.) me benè operari eum damnando. Moneo tamen plurimos T. T. cum totâ Scholâ Scotisticâ negare, O ij quòd



quod Iudex in causâ criminali stare teneatur allegatis, & probatis, si habeat evidentiâ oppositi; quia est contra legem naturæ damnare eum, quem evidenter scio esse innocentem.

## §. II.

*Quia ad dubium speculativum sequitur necessarium practicum. Ubi iterum de possessione libertatis.*

## SUMMARIUM.

*Arguitur. Quia speculativè dubius de licentiâ est de eâ practicè dubius, n. 112.*

*Et quia idem est dubitare de existentiâ legis, ac de malitiâ operationis, n. 113.*

*Dico ad dubium speculativum sequi regulariter practicum, nisi novum addatur principium, n. 114.*

*Aliquid esse certò vetitum est esse absolute illicitum, non verò aliquid esse dubiè vetitum, n. 116.*

*Dico quòd dubitare de lege idem est, ac dubitare de malitiâ actus, si non accedat aliud principium, n. 117.*

*Non licet operari cum dubio practico, eo non deposito, ib.*

*Paritas hominis dubitantis num detur precipitium, & reflexe judicantis non dari, nihil probat, immo olet Jansenismum, num. 118.*

*Existentiâ precipitii non pendet a notitiâ viatoris, ib.*

*Arguit Palanco, & P. Eliz. al. quia in dubio de malitiâ teneor non eligere, quia in dubio sequendum tutius, n. 120.*

*Hoc est preceptum Divinum, non purè Ecclesiasticum, ib.*

*Dico teneri in omni dubio tam speculativo, quam practico eligere tutius, si non adsint principia reflexa, per quæ deponatur; non ita si adsint, n. 121.*

*Hæc principia non opponuntur dicto precepto, ib.*

*Illi regule, Tutius eligendū, videtur opponi alia, Melior est conditio possidentis, n. 122.*

*Non dicit regula in probabilibus, sed in dubiis tutius eligendum, n. 123.*

*Qualiter dictæ regule conciliantur, ib.*

*Dubium juris, & facti, quid? ib.*

*Ea regula in dubiis videtur consilium. Doctores, n. 124.*

*Trahitur explicatio Doctorum circa eas regulas, a n. 123. ad 125.*

*Etsi daretur preceptum sequendi semper tutius, nego, quòd pars favens libertati sit minus tuta à peccato formali, n. 129.*

*Immo à peccato materiali, ait Caram. n. 130.*

*DD. tuentes eam regulam in dubiis tutius est semper consilium, nisi in casibus à lege scriptis, n. 131.*

*Juxta me in omni dubio practico sequendum semper est tutius; in omni speculativo melior est conditio possidentis, n. 132.*

*Similiter dico esse preceptum sequendi semper tutius in omni dubio, sive speculativo, sive practico, illis non depositis; non autem si depositis, n. 134.*

*Arguit P. Eliz. al. quia possessio libertatis, est de subiecto non supponente, nam sermo est de libertate morali, non de physica, n. 135.*

*Per me possessio libertatis est titulus sufficiens pro depositione omnis dubii practici in omni virtutum materiâ. DD. n. 136.*

*Et in omni dubio tutius sequendum, nisi deponatur; si autem deponatur, non est sequendum, n. 137.*

*Sicut ex libertate physica in materiâ iustitiæ confertur possessio libertatis morali, ita in alia, n. 138.*

*Homo ante omnem legem habet libertatis morali possessionem. Cur? ib. & n. 139. 140.*

*Interpretatio communissima facit evidentiam moralem, n. 141.*

**S**ecundum argumentum est; quia eo N. ipso quòd intellectus est speculativè incertus num tale objectum liceat, eo ipso est etiam practicè dubius, num ejus electio liceat; sed eo ipso quòd est practicè dubius num ejus electio liceat, eo ipso est practicè certus, quòd ea electio non sit licita: ergo eo ipso quòd intellectus est speculativè incertus num tale objectum liceat, eo ipso est practicè certus, quòd ejus objecti electio sit illicita: ergo implicat, ut sit practicè certus, quòd ea sit licita.

Confirmat; quia perinde est dubitare de N. existentiâ legis, ac dubitare de malitiâ operationis; malitia enim operationis constituitur per aliquam legem: ergo dubitare de prohibitionem objecti est formalissimè dubitare de licentiâ electionis; sed cum dubio practico de licentiâ operationis non est licitum agere; ergo cum dubio speculativo de prohibitionem objecti numquam erit licitum agere. Ita P. Eliz.

Respondeo certum esse, quòd ad dubium speculativum sequatur regulariter & N. per se dubium practicum, nisi novum superveniat principium dictans, nos posse contra dubium speculativum, immò contra practicum directum operari, ut dixi num. 97. Concedo itaque verum esse, quòd intellectus speculativè dubius, immò practicè dubius, nisi assumat alia principia certa,



certa, quibus deponat utrumque dubium, tum speculativum de existentia legis, aut honestate objecti, tum practicum directum de licentia actionis deponat; concedo, inquam, quod sit etiam practice directe dubius de licentia actionis, eo ipso quod dubius sit de honestate objecti. At nego, quod maneat practice dubius, si assumat principia certa reflexa; immo eo ipso quod hæc assumat, sit reflexe practice certus de licentia actionis; & sic amittit dubium practicum directum de eadem actione, num sit, vel non sit licita.

N. Dices aliquid esse prohibitum, est esse illicitum: ergo dubium num sit prohibitum, est dubium, num sit licitum; sed cum dubio, num sit licitum, non licet operari, ut dixi *sect. 2. §. 3. concl. 5.* contra P. Perez, & Pontium: ergo cum dubio speculativo, num tale objectum sit verum; aut cum dubio practico, num talis actio sit verita, aut mala, non licet operari.

N. Respondeo distinguendo antecedens: 116. Aliquid esse certo prohibitum, est esse absolute illicitum, concedo; aliquid esse dubie prohibitum, est esse illicitum, subdistinguo: si non accedat iudicium reflexum certificans, quod prohibitum, quæ non certo constat, certo non obliget, concedo; si accedat, nego maiorem. Ad reliqua patet.

N. Ad confirm. fateor, perinde esse dubitare, num detur lex, aut num objectum sit verum, ac dubitare, num operatio sit licita; immo ac certo scire ejus objecti electionem esse illicitam, nisi aliunde accedat hoc, aut simile principium reflexum certificans, quod *objectum dubie verum non sit illicitum*: etenim objectum esse absolute illicitum, est esse certo verum: ergo cum dubio directo, an objectum sit verum, optime coheret hoc iudicium reflexum certum, *Certo licet objectum, quod non est certum esse verum*: & concedo consequentiam. Ad tubiumptrum distingo minorem: cum dubio practico de licentia operationis non est licitum operari, eo dubio non deposito, concedo; eo dubio deposito per aliud iudicium certum practicum reflexum, nego minorem; & juxta hanc distinctionem concedo, & nego consequentiam.

N. Dices: Etsi cum dubio speculativo, an in hac via detur præceptum, componeretur iudicium reflexum moraliter evidens dictans non esse, hoc iudicium non facit præceptum ibi non esse, nec facit, quod homo non sit in illud casurus, si eam viam arripiat: ergo etsi dubio speculativo de existentia legis, aut malitia objecti superadda-

tur iudicium practicum reflexum moraliter certum dictans eam legem non obligare, hoc iudicium non facit, quod si lex existat, homo non sit moraliter peccaturus; & quod, si objectum sit malum, homo non sit electurus malum.

Sed contra; quia hæc, & similia argumenta mihi semper, & omni Catholico timenda sunt; probant enim, quod invincibilis ignorantia non excuset à peccato morali; eo modo, quo invincibilis ignorantia præcepti, si homo in illud cadat, non excusat à morte. In formâ concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est evidens: quia realis existentia præcepti non pender à notitiâ viatoris; adeo ut etsi viator certissime putaret non esse in viâ præceptum, non ideo hæc certa notitia facit non esse ibi præceptum, nec incursum mortem, qui in illud rueret: contra moralis obligatio ipsius legis pender à notitiâ operantis; nam lex non obligat moraliter, nisi moraliter existat per cognitionem operantis, nec sufficit, quod lex in re existat, ut moraliter obliget: ergo licet cum hoc iudicio moraliter evidenti, *Non datur præceptum*, possit quis in præceptum incurre; attamen cum hoc iudicio, non dico moraliter evidenti, sed certo probabili, ut nos docuimus, aut probabilissimo, ut Fides docet post tertiam ab Alexand. VIII. *Alex. damnatam*, cum hoc, inquam, iudicio, *Non datur lex*, non potest quis legem moraliter violare, quia cum iudicio moraliter evidenti, aut probabiliori, aut, ut nos docuimus, certo probabili de non lege, non stat iudicium certum, immo nec probabile de lege; & ut lex moraliter obliget, iudicari debet existens: ergo cum iudicio certo probabili de non lege, non stat moralis obligatio legis: ergo lex non potest moraliter violari. Vide quæ dixi *d. 16. sect. 2. & 3. & 4.* ubi ostendi, quod nisi lex sit certa, non tenemur eam sequi.

Tertium argumentum est; quia datur N. præceptum reflexum de eligendo tutiori 120. in omni dubio, ut ait Palanco *qu. 16. per Palanc. totam*: sed quoties dubitamus de malitia objecti, sumus in dubio, an sit malum, aut bonum: ergo tutius tunc est eligendum: sed tutius est non eligere illud objectum; nam non eligendo, nulli me periculo expono eligendi malum, si forte illud objectum est malum; eligendo autem, me expono periculo operandi contra legem, & eligendi malum: ergo in dubio de malitia objecti teneor non eligere objectum: ergo implicat, ut dentur principia reflexa, reddentia licitam



licitam electionem ejus objecti. Consequentia patet: quia hæc principia reflexa opponerentur illi principio reflexo, *Ne eligas objectum, quia tutius est non eligere, quam eligere*. Antecedens autem patet ex pluribus Juris Canonici locis, in quibus opponitur tenendum certum, & dimittendum incertum: hoc autem non est præceptum Ecclesiasticum, sed Divinum: nam Pontifex non facit novum jus, sed declarat præceptum Divinum, quod supponit: & ideo statuit, ut Sacerdos dubius de homicidio non celebret: & ipsa ratio naturalis suadet, quod ex duplici extremo, in quorum uno est, in alio nullum est peccandi periculum, eligendum sit illud, in quo nullum est: ergo à primo ad ultimum, cum nullum sit peccati periculum in non electione objecti de malitiâ speculative dubij, sit autem in electione ejusdem: consequenter teneor hoc non eligere: ergo implicat, ut possim sine peccato hoc eligere: ergo implicat, ut stante dubio speculativo de malitiâ objecti, possim fieri practicè certus de honestate electionis ejusdem objecti. Ita P. Eliz.

P. Eliz.  
N.

121.

Respondeo distinguendo maiorem: In omni dubio tam speculativo de naturâ objecti, quam pratico de licentiâ operationis, tutius est eligendum ex præcepto, si non adsint principia reflexa, per quæ dubium deponatur, concedo; si adsint, nego maiorem; & transmissâ minori, distinguo consequens: In dubio de prohibitione objecti tutius est eligendum, si non adsit principium reflexum, quo illud dubium deponatur, transeat consequentia; si adsit, nego consequentiam. Ad subsumptum, eo transmissâ, & primâ consequentiâ, nego secundam, nempe, quod implicet, ut dentur principia reflexa reddentia licitam electionem ejus objecti. Ad probationem hujus consequentiæ nego, quod principia reflexa opponantur præcepto eligendi tutius est, *Elige tutius, quoties non deponis per principia reflexa conscientiam dubiam*; non autem est: *Elige tutius, depositâ conscientia dubiâ per principia reflexa*. Hæc meo iudicio breviter quidem, & ni fallor, nervosè.

N.

122.

Quod si ostentationis gratiâ præter ea, quæ fufè, & sæpe supra dedi d. 11. sect. 4. & alibi de eâ juris regulâ, *In dubijs tutius est eligendum*, plura desiderantur, statim sese offert alia juris regulâ illi opposita, de quâ plura dedi d. 16. sect. 2. 3. & 4. nempe, *Melior est conditio possidentis*: & sicut aliqui ex primâ inferunt, dari præceptum eligendi semper in dubijs extremum tutius; ita alij ex alterâ

inferunt, numquam dari illud præceptum, quoties possessio stat in contrarium. Sed quoties dubitatur, num talis actio præcepta sit ab hac, aut aliâ quâcumque virtute vetita, toties datur jus certû libertatis, ejusque possessio, in quâ nascimur: ergo quoties dubitatur, num aliqua actio sit vetita, cum possessio stet pro libertate, non datur obligatio sequendi tutius.

Quapropter jure merito Doctores inquirunt quomodo duæ regulæ citatæ, *In dubijs tutius est eligendum* & *In dubijs melior est conditio possidentis*, sint conciliandæ. Dico in dubijs, nam quod inter probabilia non sit eligendum tutius, per nos certum est ex d. 10. probabilia autem sunt, quæ habent pro utraqûe parte gravia fundamenta; dubia sunt, quæ nullum, vel prolixum leve habent pro utraqûe parte contradictionis fundamentum; ex.gr. an in dubio, five juris, nempe an necne talis lex existat; five facti, an necne talis actio sit contra legem, eligenda sit pars tutior, seu, ut Neoterici passim loquuntur, pars favens legi contra libertatem, quatenus in eâ parte nullum est ne quidem peccati materialis periculum.

Scio plures velle tò *In dubijs tutius est eligendum*, esse tantum consilium. Addit Caram. in Dialecticâ n. 554. nil esse tutius, quam in omni dubio stare pro possessore. Addit P. Koning, d. 34. dub. 10. (pro quo Caram. postquam ejus speculationem pro sua non certitudine legit, eam tanti fecit, ut aliter n. 551. se in actionem gratiarum aliquas pro illo Missas recitari iussisset) scio, inquam, quod P. Koning. velit illud axioma intelligendum de dubio practico, non de speculativo.

Scio Joan. Sanch. d. 42. n. 13. velle eas duas regulas non esse inter se contrarias, et si hoc plures asserant, quin unam esse explanationem alterius, & se mutuo juvare, ita ut quoties adsit regulâ, *Melior est conditio possidentis*, toties adsit aliâ, *Tutior pars est eligenda*; qui enim favet possidenti, sequitur partem tutiorem, nam omnia jura volunt favendum esse possessori.

Scio M. Tapiam tom. 1. qu. 8. art. 9. docere, quod illæ duæ regulæ non repugnent inter se; hæc enim, *In dubijs melior est conditio possidentis*, loquitur de dubio speculativo; & in eo, *Melior est conditio possidentis*, & libertatis in omnium virtutum materiâ; hæc autem, *In dubijs tutius eligendum*, loquitur de dubio practico.

Scio M. Baronum 1. p. Theolog. Mor. c. 127. tra Caram. dicere, quod axioma, *Melior est conditio possidentis*, valeat tantum in foro M. lo-



judiciali, non in foro conscientiae: contra alii volunt, quod valeat tantum in materia justitiae, adeo ut in omni alia virtute sequendum sit semper tutius, nec proficit conditio possidentis.

N. Scio Fagnanum, & P. Elizald. senti-  
128. re, quod in omni materia cujuscumque vir-  
Fagnan. tutis melior sit conditio possidentis, dum-  
P. Eliz. modo dubitans sit in possessione suae liber-  
tatis moralis; non autem solius libertatis  
physicæ. Negant autem, quod quoties lex  
est dubia, homo sit in possessione suae liber-  
tatis moralis, & ideo volunt, quod in tali  
casu sequenda sit lex.

N. Scio quod P. Perez judicet dari præ-  
129. ceptum sequendi semper tutius; at negat,  
P. Perez quod nos quoque negavimus, cum P. Suar.  
quod pars favens libertati contra legem sit  
minus tuta; & quod pars favens legi con-  
tra libertatem sit tutior: etsi enim sequen-  
do partem faventem legi nullum sit pecca-  
ti materialis periculum; est tamen pericu-  
lum peccati formalis, quatenus tunc ope-  
rans supponit, se lege dubia teneri.

N. Scio, quod P. Terillus, & ante illum Ca-  
130. ram. opinetur, quod in parte favente liber-  
P. Teril. tati contra legem nullum sit periculum pec-  
Caram. cati materialis, quia implicat peccatum ma-  
teriale divinum à formali.

N. Scio plures aperte dicere, quod dicta  
131. regula, *In dubijs tutius sequendum*, sit tan-  
M. Pass. tum consilium, præterquam in casibus à  
D. Perez lege præscriptis. Sed de hoc legi possunt  
Illust. DD. à me citati d. 11. sect. 4. ubi fusi eo-  
rum mentem reruli; & præter hos lege ex  
S. Joan. Modernis M. Passer. D. Perez, Illustr. de  
Fuentes, & Raphaellem à S. Joan.

N. Mihi placet cum P. Moyà tom. 2. qu. 4. n.  
132. 8. & tom. 1. qu. 6. §. 5. per totum, ubi Do-  
P. Moy. ctorum verba plenè manu refert, & P. Te-  
rillo cum communi Theologorum dicere,  
quod in omni dubio speculativo melior sit  
conditio possidentis; in omni autem practi-  
co sequendum semper sit tutius: seu quo-  
ties conscientia est practice dubia, esse  
semper sequendum tutius; quoties autem est  
tantum speculative dubia de jure, aut de  
aliquo facto, esse tantum consilium. Ratio  
est; quia cum dubio practico numquam li-  
cet operari: ergo nisi illud deponatur, da-  
tur, stante dubio practico, præceptum se-  
quendi semper tutius: e contra cum dubio  
speculativo de legis existentia, quia sem-  
per adest judicium evidens practicum de  
possessione propriæ libertatis, & faciendi  
id, quod non certò constat esse vitium,  
consequenter tunc non datur præceptum, sed  
est purum consilium regula sequendi tutius.

Hæc explicatio, esto mihi placeat, at-  
N. tamen non placet ratio nisi bene intelliga-  
133. tur; nam in dubio practico datur præcep-  
tum non ponendi talem actionem, de qua  
dubito num sit licita: ergo datur præcep-  
tum sequendi tutius in dubio practico, nam  
tutius est non operari: e contra in dubio  
speculativo de existentia legis non datur  
præceptum omittendi talem actionem; im-  
mò illico nobis constat, tale præceptum non  
dari, cum sit evidens legem dubiam non  
obligare, quia sumus in possessione liber-  
tatis, nec jus dubium legis vincere posse  
jus certum libertatis. Quapropter licet ve-  
rum sit, quod non licet operari, stante  
conscientia speculative, aut practice du-  
bia, nisi reflexè deponatur; attamen eā-  
dem facilitate, quā se offert possessio liber-  
tatis excusans nos ab obligatione legis du-  
biæ, æquali difficultate non se offert nobis  
principium, quo conscientia practice dubia  
deponatur; immò quoad hoc statim se of-  
fert præceptum.

Quod si hæc explicatio non satisficiat, N.  
dicam esse semper obligationem sequendi  
134. tutius tam in dubio speculativo, quàm in  
practico, nisi utrumque deponatur. Si au-  
tem utrumque deponatur, dicam tunc nul-  
lam dari obligationem, sed stare possessio-  
nem libertatis pro quocumque extremo,  
quod prohibito voluerit, ut constat ex so-  
lutione allatâ n. 121. Ratio est; quia to-  
ties conscientia speculative dubia est pra-  
ctice dubia, quoties non adsunt principia  
certificantia de licentia operationis: ergo  
cum, quoties conscientia est practice du-  
bia, detur præceptum sequendi tutius, con-  
sequenter, quoties conscientia est specula-  
tive dubia, cum tunc sit etiam practice du-  
bia, nisi accedant principia reflexa, eo ip-  
so dabitur tunc præceptum sequendi tutius.  
Hæc est mea mens.

Quantum argumentum ex P. Elizald. N.  
lib. 3. qu. 7. & lib. 4. qu. 6. & qu. 13. est; 135.  
quia si possessio libertatis causam dubiam P. Eliz.  
reddit solutam, eo ipso solveret omne du-  
bium: ergo in nullo casu haberet locum  
regula de sequendo tutiori. Confirmat;  
quia possessio libertatis est de subiecto non  
supponente; cum enim quæstio non sit de  
possessione libertatis physicæ, sed moralis,  
nec homo hanc possessionem contra legem  
habeat, immerito ea supponitur.

Sed contra 1. quia, quod possessio liber-  
N. tatis sit titulus sufficiens deponendi omne  
136. dubium practicum in omni materia, ex-  
pressè tradidi, & probavi d. 11. sect. 4. & d.  
16. sect. 2. 3. & 4. ubi plurimos dedi Do-  
ctores,



P. Suar. Flores, quibus addo P. Suar. qui sententiam oppositam falsitatis notat; M. Mart. de Prado tom. 1. cap. 1. de Confc. qu. 9. n. 10. Caram. lib. 4. Theol. Fund. n. 25. qui plurimos citat, P. Moya tom. 1. tr. 1. qu. 6. n. 18. & tom. 2. tr. 1. qu. 5. §. 1.

N. 137. Contra 2. quia totum hoc argumentum est antiquissimum, & ante eum illud tradidit Philal. & à nobis solum d. 16. immò trahitur, & solvitur à P. Sanch. lib. 2. de Matrim. d. 4. n. 42. ait enim in omni dubio practico sequendum tutius, nisi deponatur, quia est evidens lex non operandi cum conscientia practice dubia; in omni autem dubio speculativo nunquam sequendum ex præcepto tutius; quia est evidens principium, quod lex non obliget, nisi certo constet. Ego autem dixi in omni dubio, sive speculativo, sive practico, esse præceptum sequendi tutius, nisi dubium deponatur; si autem deponatur, non esse præceptum. Addo esse præceptum, quoties tutius est possibile, nam sepe impossibile est, ut quilibet sequatur tutius, ut docui d. 10. & 11.

N. 138. Ad confirm. respondeo eandem doctrinam tradi à Philal. eamque rejeci disp. 16. instando manifestè in materia justitiæ. Vel enim sola possessio libertatis physice est titulus sufficiens retinendi rem dubiam, num sit mea, vel non? Si est; idem dicam de aliis virtutibus: si non est; ergo in materia justitiæ melior non est conditio possidentis. Si ergo ex libertate physica inferatur in materia justitiæ possessio libertatis moralis, cur non in materia aliarum virtutum? Addo evidens esse, quod homo prius sit homo, quam quod aliqua lege obligetur: sed de essentia hominis ut hominis est libertas moralis: ergo ante omnem legem habet homo pro priori possessionem libertatis moralis, quæ est subiectum, quod lege ligatur, adeoque est prius lege; omne enim subiectum est prius formæ.

N. 139. Hoc autem adeo certum est, ut ex solo Ecclesiastici cap. 15. apertè constet; ait enim: Deus ab initio condidit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit (nota tò adjecit) mandata, & præcepta sua: Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposui tibi ignem, & aquam, ad quod volueris porrigere manum tuam. Ecce asseritur, quod Deus condiderit prius hominem liberum, quam ei præceptum tulerit: ergo homo nascitur cum possessione physica libertatis moralis. Est autem hic textus adeo concludens pro libertate morali hominis, ut P. Ripa. Ripal. tom. 3. d. 8. n. 183. & 184. & d. 14. per totam dixerit, quod vel ipsi Hæretici,

etsi sint humanæ libertatis hostes, eam fieri cogantur. Plura P. Moya tom. 1. qu. 6. §. 5. n. 34. & tom. 2. qu. 5. & 6. dicens jure merito hoc argumentum esse antiquum.

Similiter addo tum ex Caram. in sua Dilexi de non certitudine num. 728. pag. milia 249. quod libertas moralis est ipsa libertas naturalis, ut obligabilis, & dirigibilis a præceptis: ergo nisi præcepta superveniant, latissime patet: ergo non tenemur probare, quod homo habeat libertatem moralem; sed Adversarii probare tenentur supervenisse præceptum aliquod, quod eam liget; quod nisi probent, inutiliter arguent.

Demum addo ex P. Carden. tom. 1. d. 12. N. cap. 4. & 5. quod interpretatio communissima faciat evidentiam moralem; nam in questionibus de significatione vocum sententia ferè omnium facit evidentiam. Rursus in questione facti, num existat præceptum, traditio, consuetudo, & similia, sententia omnium facit certitudinem: ergo cum ferè omnium sententia, & interpretatio sit, quod melior sit conditio possidentis in omni materia, eo ipso melior quoque erit conditio hominis possidentis libertatem, quoties dubium est de malitia objecti, aut actionis; atque adeo poterit deponere dubium, & eligere illud objectum, aut actionem, quatenus homo non tenetur vitare objectum dubie veritum, aut actionem dubie honestam; etenim per principium, quo deponit dubium, concipit certum dictamen, conscientia de non peccato in prosequendo tale objectum, & in ponendo eam actionem.

## §. III.

Quia ut sim certus de non peccato formali, debeo esse certus de non peccato materiali.

## SUMMARIUM.

Arguitur, quia si conscientia probabilis non esset, multò minus dubia, n. 142.

Dico, quod formido cadit supra veritatem, & licentiam ut est in re, non ut in mente, num. 143.

Arguit P. Eliz. quia nemo est certus de non peccato formali, nisi sit de non materiali, n. 145. Et quia nemo potest operari cum hoc iudicio, sive hoc sit, sive non sit licitum, volo operari, n. 146.

Et quia si non possum formare dictamen, quod opus non sit contra legem, nec quod non sit peccatum, n. 147.

Et quia malitia materialis, si sit voluntaria, transit in formalem, n. 148. 149. Nec mutuo, nec non mutuo convertuntur peccata.



rum materiale, & formale; adeoque ut quis sit certus de non peccato formali, non est necesse, ut sit certus de non materiali. Inductio, n. 150.

Et iudicia allata in objectione sunt misderanda, n. 151.

Regula remota mei actus est Dei lex; proxima est recta ratio applicans legem, n. 152.

Quando malitia materialis transeat in formalem, n. 153.

Debet esse voluntaria theologicè, non satis philosophicè, ib.

Debet esse certa, vel divisa à iudicio reflexo certo de non malitia formali, n. 154.

Arguit P. Elizald. quod nisi cognitio directa sit vera, nec reflexa, n. 155.

Dico tunc veritatem reflexa pendere à veritate directa, quando nil plus habet pro objecto reflexa ac directa; non verò quando plus habet, n. 156.

Bonitas artefacti non pendet purè à cognitione, sed à materia; at honestas formalis purè à dictamine, non ab objecto ut in se, n. 157.

Tunc tantum iudicium particulare continetur, & sequitur naturam iudicii universalis, quando particulare nil plus habet pro objecto, quam universale; non verò quando habet, n. 158. 159. 160.

Potest homo, manente dubio speculativo de licentia actionis secundum se, & objectivè sumptæ, esse certus de eius licentia, attentis aliis novis principiis, ib. & n. 161.

Exempla, ib.

N. 142. Quantum argumentum esse potest; quia iudicium probabile de licentia actionis, & de honestate rei est conjungibile cum formidine oppositi, adeoque ad bene operandum necessarium est iudicium excludens omnem oppositi formidinem: ergo si iudicium probabile non est satis, multò minùs conscientia dubia.

N. 143. Sed contra; quia, ut dixi, à veritate ad bonitatem illegitima est consequentia: esto igitur cum eo iudicio speculativo de bonitate rei, ut est in se, seu de veritate objecti, ut est in se, stet formido; attamen cum hoc iudicio practico, Licet omne id, quod mihi prudenter apparet honestum, nulla stat formido de peccato; immò certus sum, quod non peccem ponendo actionem, quæ speculative videtur prudenter probabiliter honesta. Quare esto de veritate rei, ex. gr. an actio sit honesta in se, nullam habeam certitudinem, sed tantum probabilitatem; habeo tamen certitudinem de honestate, ut mihi apparet, seu quod mihi appareat conformis regulis morum. Rursus habeo certitudi-

nem reflexam, quod bene operer eam actionem eliciendo, ductus ea regulà, quod licitum sit operari id, quod non conitat esse illicitum. Itaque formido cadit supra veritatem, aut licentiam ut est à parte rei; non autem supra licentiam ut est in mea mente. Sum enim practicè certus me licitè operari ponendo actionem, de quâ speculative formido, aut dubito, num sit licita; quia omne, quod non est certò speculative illicitum, est mihi certò practicè licitum, aut saltem permissum. Licet igitur incertus, aut dubius sim de honestate materiali actionis, aut objecti, tum tamen certus de honestate formali, aut saltem de non peccato formali actionis; quatenus qui eligit, quod prudenter apparet materialiter honestum, aut id, de quo dubitat num sit honestum, honestè formaliter, aut saltem sine formali peccato operatur; & qui eligit, quod prudenter apparet non esse materialiter illicitum, vel dubitat, num tale sit, licitè, aut saltem non illicitè, seu sine peccato formali operatur.

Dices fallam esse hanc propositionem, Id N. est licitum, quod omnibus pensatis videtur licitum; sicut falla est hæc, Id est rotundum, quod videtur rotundum. Sed contra: quia ejus propositionis sensus non est, id est licitum in se à parte rei, quod mihi videtur licitum; in hoc enim sensu est falla; sed sensus est, id est mihi licitum, quod ex certo gravi fundamento videtur licitum; & ex nullo fundamento videtur mihi certò illicitum.

Sextum argumentum est ex P. Elizald. N. lib. 3. qu. 6. §. 1. pag. mihi 154. quia nemo potest esse certus de non peccato formali, nisi P. Eliz. certus sit de non peccato materiali: sed quoties est directè incertum, & dubium num detur, vel non detur lex, nemo potest esse certus de non peccato materiali in tali operatione: ergo nemo tunc potest esse certus de non peccato formali in eadem operatione.

Confirmat 1. quia nemo sanæ mentis formare potest similia judicia: Sive hic contra-ctus re ipsa sit malus, & a Deo prohibitus, sive P. Eliz. non, ego illum faciendo non pecco: vel: Licet nesciam, an re ipsa operer contra Dei legem, scio tamen me non peccare: vel: Etsi hic contractus sit re ipsa contra Dei legem, ego tamen non pecco: sed si possumus operari, etsi non sciamus, an talis operatio sit contra Dei legem, possumus formare similia dictamina: ergo si hæc formare non possumus, ideo est, quia implicat, ut quis sit certus de non peccato formali, & simul sit incertus de peccato materiali.

Con-



N. Confirmat 2. quia si non teneor formare dictamen conscientiae de non peccato in opere a me ponendo, & quod illud non sit contra legem Dei, sequeretur, quod regula meae operationis non esset lex Dei; si enim est lex Dei, teneor juxta hanc operari, & de hac formare dictamen: ergo si non possum formare dictamen, quod opus non sit contra legem, neque potero formare dictamen de non peccato in eo opere.

N. Confirmat 3. quia quoties materialis malitia est voluntaria, toties transit in formalem, ut ex terminis est notum, ex celebri definitione peccati, quam dat S. August. sed in casu proposito, quo nescio, num mea actio sit, vel non sit contra Dei legem, malitia materialis est voluntaria, praevideo enim fortè esse contra Dei legem, & hoc non obstante volo eam violationem materiale: ergo in tali casu malitia materialis transit in formalem.

N. Confirmat 4. Eatenus invincibilis ignorantia excusat, quia illam habens non praevidet actum esse contra Dei legem; atque adeo materialis malitia tunc est prorsus involuntaria, & sic non transit in formalem: ergo cum in nostro casu materialis malitia sit voluntaria, transibit in formalem.

N. Respondeo negando maiorem, ut constat innumeris exemplis: nullus enim Sacerdos est certus logicè de suo Ordine, & quod non peccet materialiter actus Ordinis exercendo; non enim est certus de Ordinis Sacramento, & tamen est certus se non peccare formaliter exercendo eos actus. Idem dico de aliis sine fine. Ergo ut sim certus de non peccato formali, non est necesse, ut non sim dubius, seu sim certus de non materiali, & quod lex non existat. Ratio est; quia, ut saepe dixi, aliud est lex, aliud applicatio legis, & esse inter se separabilia, est certum: ergo possum peccare materialiter contra legem, quin peccem formaliter contra illam: ut enim materialiter peccem contra legem, satis est, ut lex à parte rei detur, etsi à me ignoretur; ut autem peccem formaliter contra legem, non satis est, immò nec necesse est, ut detur lex à parte rei, sed necessaria, & satis est notitia certa legis; lex enim per certam notitiam applicatur. Sicut ergo possum peccare formaliter contra legem, quin contra illam peccem materialiter; ut patet in illo, qui putat hodie dari legem jejunii, quae tamen non datur; ita possum peccare materialiter contra legem, quin peccem formaliter contra illam: ergo nec mutuo, nec non mutuo unum ex aliis inferitur, nempe ex peccato materiali con-

tra legem peccatum formale contra illam; aut vice versa ex peccato formali contra legem peccatum materiale contra illam. Adde supervenire posse principia certa reflexa, ex quibus inferatur iudicium certum reflexum de non peccato formali, etsi per iudicium directum incertum sim, vel stricte dubius sim, suspensio omni directo iudicio, num talis mea operatio sit, vel non sit materialiter contra legem.

Ad 1. confirm. contra est 1. quia est ab N. Adversario solvenda; nam ignorans invincibiliter legem aliquam, habere potest illud & esse iudicium, *Ego ignoro legem, si forte est, & tamen scio me non peccare*: ergo argumentum ab Adversario diluendum. Contra 2. quia, ut dixi d. 5. & 6. de ignorantia invincibili, sicut ea dictamina, *mentire, jurare*, & similia admittenda non sunt, quia ex sensu cuilibet obvio praesentunt malitiam, sed temperanda hoc modo sunt: *Supposito quod mendacium appareat tibi invincibiliter a Deo preceptum, mentire*; ita in casu nostro ea iudicia, ut jacent, praesentunt contemptum legis, & Dei, & produnt voluntatem paratam exequi eum contractum, si sit, si non sit contra Deum. Non igitur ea iudicia, ut jacent, admittimus, sed temperanda sunt hoc modo: Scio me non peccare ponendo contractum, quem ex fundamento certo probabili, seu prudenti puto licitum, & non contra legem Dei; etsi forte possit contra illam legem esse, quae tamen lex, seu veritas de ejus existentia me invincibiliter laet. In hoc iudicio nullum absurdum, sed omnia sana.

Ad 2. confirm. nego sequelam; dico N. enim, quod regula remota meae operationis sit lex Dei, si sit directa, si sit reflexa permissiva, praeceptiva, aut prohibitiva; regula proxima est recta ratio applicans illam Dei legem. Porro antequam operemur, teneor super omnia diligenter omnino impicere, an opus sit contra Dei legem; & si non appareat esse contra illam, teneor, aut saltem possum formare dictamen directum, quod illud opus non sit contra Dei legem. Quod si lex Dei directa non confert mihi, num detur, vel non, sed dubius sim, tunc ante operationem formandum in principis dictamen reflexum fundatum in principis reflexis, quod lex dubia non obliget; lex incerta non obliget; lex, cujus veritatis existentia certo probabiliter negari potest, non obliget; formandum, inquam, est dictamen de non peccato formali in tali operatione, ut substante iudicio directo de lege dubia.



N. 153. Ad 3. confirm. dico me plura dedisse d. 13. *sect. 2. per totam*, ubi ostendi quando malitia materialis transeat in formalem: etenim ut malitia materialis sit voluntaria theologice, seu sub ratione peccati, debet mihi certo constare, aut à me probabiliter, vel probabilius judicari quod in tali opere insit malitia materialis: sed quoties lex est dubia, nec certo, nec probabiliter hoc mihi constet: ergo ea malitia materialis, licet dubie cognita, seu apprehensa, non tamen est voluntaria theologice. Idem constat in scrupuloso qui apprehendit, & sepe judicat opus esse materialiter malum, & tamen illud exequens non peccat, quia ea apprehensio non est satis, immò contemnitur à judicio, vel directo, vel reflexo prudenti de non peccato formali. Addo, quod in nostro casu malitia materialis æquè lateat, ac pateat, nam dubito, an detur: ergo si quia patet, P. Elizal. infer esse voluntariam; quia latet, inferam ego esse involuntariam, ut reverà est; debet enim malitia materialis ita patere, ut certo prudenter nec judicem, nec oppositum judicare possim.

N. 154. Ad 4. confirm. retorqueo ex dictis ad primam; & patet solutio ex dictis ad tertiam. Ut enim malitia materialis transeat in formalem, non satis est si praevideatur, sed debet vel praevideri per notitiam certam; vel esse divisa ea materialis malitia apprehensio, divisa, inquam, à judicio certo reflexo de non malitia formali. Plurima de hoc dedi d. 13. *sect. 2. contra* Palanco.

N. 155. Septimum argumentum est ex P. Elizald. *lib. 3. qu. 6. §. 2. pag. 156.* ubi postquam plur. P. Eliz. ra dixit de malitia materiali, & formali, & plura dedit contra eos, qui refugiant ad judicia reflexa, circa finem ita arguit: Omnis veritas cognitionum reflexarum pendet à veritate cognitionum directarum; & veritas directarum pendet ab objectis earum; objecta enim sunt mensura actuum; & cognitiones reflexae resolvuntur per directas, non econtra directae per reflexas: ergo si cognitiones directae non sunt verae, neque reflexae erunt verae. Declarat autem suam doctrinam hoc, & similibus exemplis. Ut quis bene demonstrat, syllogizet, & rhetorizetur, non est satis, si per cognitionem reflexam dicat, Ego bene syllogizo; sed necesse est ipsum syllogismum directum esse rectum: ergo ut quis non peccet, non est satis, si per cognitionem reflexam judicet se non peccare formaliter, sed necesse est, ut per judicium directum judicet talem operationem non esse peccatum materiale:

Tom. III.

ergo nemo potest esse certior de peccato formali, quin sit de materiali.

N. 156. Respondeo tunc tantum veritatem reflexarum pendere à veritate directarum, quando reflexae affirmant directas esse veras; implicat enim ut cognitio reflexa affirmans directam esse veram sit vera, nisi cognitio directa sit vera, ut certum est. Quando tamen reflexae cognitiones aliud affirmant, quam veritatem directarum, possunt cognitiones reflexae esse verae, quin directae sint verae, ut etiam certum est: ita ego reflectens supra directam falsam, & dicendo eam esse falsam, dico verum; & tamen cognitio directa est falsa, ut latè dixi hic *sect. 2. & d. 19. sect. 2.* In casu nostro, qui judicat reflexe, se non peccare formaliter sequendo judicium directum de non peccato materiali in tali operatione, quod judicium directum potest esse falsum; non habet pro objecto sui judicii reflexi veritatem cognitionis directae, sed habet pro objecto affirmato, non esse peccatum formale operationem positam sub judicio directo de non peccato materiali; etsi tale judicium directum possit esse falsum: ergo potest cognitio reflexa esse vera, quin directa sit vera.

Ad exempla satis supra responsum est N.

d. 19. quod bonitas artium, & similium non pendeat purè à nostrà cognitione, sed à tali materià determinatà; unde putans se rectè disponere syllogismum, orationem, domum, aciem, si reverà non rectè disponat, non dabitur bonus syllogismus, bona oratio, nec domus, & exercitus bene dispositus: econtra honestas formalis nostrorum actuum pendet à nostro dictamine. Ex quo evidenter sequitur, latum esse discrimen inter cognitiones reflexas, quae serviunt pro formandà conscientia; aliasque reflexas, quae artibus, scientiis, & prudentiis particularibus famulantur: Si enim ego errem quoad artis objectum, hoc semper eodem modo se habet, etsi ego invincibiliter directe, aut reflexe judicarem, illud alio modo se habere: ergo bonitas objecti artefacti pendet immutabiliter à tali materià, & cognitione; quae materia, aut cognitio, si mutantur, etsi invincibiliter, non dabitur bonitas, nec objectum artis. Econtra honestas formalis actuum non pendet ab objecto ut est in se, sed ut est in meà cognitione; & pro varietate judicii dabitur, vel non dabitur ea honestas: ergo nulla paritas.

Octavum argumentum est ex P. D. Thyrso N. *disp. 7. n. 61. & 62.* Non licet operari cum dubio practico; ergo neque cum conscientia speculativè dubia, quia ex hac resultat

P

semper



semper dubium practicum. Confirmat; quia implicat, ut iudicium universale sit verum, ex. gr. hoc, *Omnis contractus speciei A, est illicitus*; & quod iudicium particulare, ex. gr. hoc, *Contractus A, speciei A, est licitus*, sit etiam verum; etenim vera essent ambo contradictoria; ergo cum dubium speculativum sit illud, quo quis dubitat de licentia contractus secundum se abstrahendo à circumstantiis; dubium practicum sit, quo quis dubitat de licentia contractus in his circumstantiis, implicat, ut quis illud resolvat negando licere; & hoc resolvat, affirmando licere.

- N. Resp. hoc à nobis solum d. 19. sect. 3.  
 159. & hic declaratum sect. 2. §. 1. ubi dixi tunc tantum iudicium particulare contineri, & sequi naturam iudicii universalis, quando particulare nil aliud prorsus considerat, quam quod à iudicio universali consideratur. Quod si aliud consideretur à iudicio particulari, tunc nec continetur sub iudicio universali, nec huius naturam sequitur. Cum ergo hoc iudicium particulare, *Contractus A, speciei A, licet*, non tantum consideret contractus naturam secundum se, seu objective sumpti, sed etiam consideret omnes dispositiones subiecti operantis; hinc hoc iudicium universale negativum, *Nullus contractus speciei A, licet*, potest esse verum; & simul esse verum hoc affirmativum particulare, *Contractus A, speciei A, licet homini*, vel invincibiliter putanti esse licitum, vel certo prudenter iudicanti non esse vetitum, vel assertenti, *Nullum, quod certo probabiliter negatur esse vetitum, est vetitum*, sicut d. 5. & 6. dixi de errore invincibili. Hoc enim iudicium universale negativum est verum, nullum mendacium est licitum; & tamen hoc iudicium particulare affirmativum potest simul esse verum; mendacium Petro invincibiliter iudicanti esse licitum, est licitum. In quo casu propositio universalis considerat mendacium pure objective, & secundum se; propositio autem particularis considerat mendacium subjective; seu ut est in mente hominis taliter iudicantis; ergo idem in nostro casu poterit quis universaliter iudicare, nullum contractum speciei A, esse licitum; & simul poterit in particulari iudicare contractum A, speciei A, esse sibi licitum, quatenus iudicat non esse vetitum, quod prudenter negat esse vetitum: in quo casu propositio universalis negat licentiam de omni contractu speciei A objective, & secundum se sumpto; propositio autem particularis affirmat licentiam contractus mihi iudicanti non esse vetitum,

quod non est certo vetitum: sed quod iudico certo probabiliter non vetitum, non est certo vetitum: ergo mihi certo probabiliter iudicanti contractum A, speciei A, non esse vetitum, non est vetitus. In forma, concessio antecedenti, nego consequentiam, ejusque probationem; nam persistente dubio speculativo supervenire potest principium, quo tollatur dubium practicum.

Ad confirm. patet, qualiter iudicium N. universale negativum, & iudicium particulare affirmativum possint simul esse vera ob novam dispositionem, & circumstantiam. Similiter patet, qualiter persistente dubio speculativo possit homo non esse practice dubius, immo esse practice certus de non peccato. Nam dubium speculativum est id, quo homo dubitat de actione secundum se praescindendo à circumstantiis ipsi actioni extraneis; dubium practicum est id, quo homo tunc nec iudicat eam actionem sibi licere, nec iudicat sibi non licere; sed potest homo nihil prorsus resolvens, an actio sit secundum se licita, iudicare, attentis omnibus suis principijs, & dispositionibus; iudicare, inquam, eam actionem sibi esse licitam, ex. gr. vel quia, quod non est certo illicitum, non est illicitum; vel quia in omni dubio possessio stat pro libertate; vel quia omne, quod certo probabiliter videtur licitum, est licitum: ergo potest homo, manente dubio speculativo de licentia actionis secundum se, seu objective sumptae, esse certus de ejusdem actionis licentia, attentis omnibus alijs principijs, cum quibus operatur: eo modo, quo manente dubio speculativo de licentia picture die festo secundum se, potest subditus, accedente Superioris praecepto, fieri practice certus de licentia picture sibi.

Idem novissime tradit recens Probabilista N. Raphael à S. Joanne, olim Generalis Ordinis Discalceatorum SS. Trinit. Redemptoris Captivorum in sua Crisi de Probabilitate sum. 9. dicens, quod omni operi humano accedere possint circumstantiae extravagantes, & alienae à naturā actus penè innumerabiles, & ideo tunc aliunde ferendum est iudicium ex qualitate, & naturā reliqua circumstantiarum, & subiecti; & non ex solā naturā actus objective sumpti. Hoc autem mihi manifestum est tam loquendo de actione in se bonā, aut indifferenti; quam de actione in se malā, aut vetitā. Etenim mendacium non licere est de Fide certum; & tamen, si accedat invincibilis error, ita ut mendacium putetur praeceptum, tunc de Fide est, quod mendacium non sit ei subiecto



subjecto illicitum. Similiter Sacri auditio- nem licere, est de Fide certum; & tamen si error accedat, quo invincibiliter putetur Sacrum esse vetitum, aut malum, tunc cer- tum profus est, quod ei subjecto sit illicitum. Si igitur nova dispositio operantis facit, ut illicitum illi sit opus ex se licitum; vel ut licitum sit ei opus ex se illicitum; cur nova dispositio accedens homini speculativè du- bio de actione secundum se, non faciet ut ille idem homo, attentis omnibus principiis, quæ tunc habet, sit practicè certus de li- centiâ actionis sibi ipsi, seu subjectivè sum- ptæ; etsi speculativè dubitet de licentiâ actionis objectivè sumptæ, seu an sibi se- cundum se liceat.

## S E C T I O IV.

Objectiones Fogarini contra easdem conclu- siones.

## §. I.

Argumenta Fogarini.

## S U M M A R I U M.

Quia implicat certitudo simul, & incertitudo de honestate objecti, n. 162.

Quia actus ex D. Thom. & Scoto sumit bonita- tem ex objecto, ib.

Et quia implicat, ut actus sit certò bonus, & ob- jectum non sit certò bonum, n. 163.

Et quia formidans de bonitate objecti formidat de bonitate actus, n. 164.

Et quia si omni opinioni probabili inest certitudo honestatis formalis, meret quoque opinioni re- nuerit probabili, n. 165.

Et quia M. Baro dicit esse prodigium ignoran- tia, & temeritatis dari certitudinem, cui nul- la objectiva respondeat, n. 166.

Confundit objectum in esse objecti, cum objecto in esse rei: quid utrumque, n. 167.

Actus sumit bonitatem ab objecto in esse objecti, non in esse rei, seu ut in mente, non ut est in re, ib. & n. 168.

Dubium speculativum, & practicum quid? n. 169.

Cum dubio speculativo de licentiâ objecti secun- dum se stat certitudo practica de ejus objecti dubie liciti electione, ib.

Objectum quid? materiale, & formale quid? n. 170.

Formale quod, & quo, quid? n. 171.

Ratio formalis sub quâ, quid? ib.

Objectum formale motivum quod debet neces- sario recognosci, non ita ratio formalis sub quâ, DD. ib.

Actus naturales, & supernaturales necessariò Tom. III.

differunt ex objecto formali movente ut quo- Incertum tamen, an differant ex movente n<sup>o</sup> quod. Inductio, n. 173.

DD. utriusque sententia affirmantis, & negan- tis essentialiter differre ex formali ut quod, n. 175.

Aliud quod actus habentes objecta formalia di- versa sint diversi; aliud ut sint diversi, quod ea habere debeant, n. 176.

Aliunde quàm ex formali quod differre possunt, ib. & 177. & 178.

Axioma, quod actus sumat speciem ab objecto, qualiter intelligendum, n. 179.

S. Thom. contra Fogarin. n. 180.

Immo Scotus, & Scotista, ib.

Fateor implicare, ut actus sit certò bonus, & ob- jectum ut est in mente non sit certò bonum, non tamen ut sit certò bonus, & objectum ut est in re non sit certò bonum, n. 181.

Quando quarimus, an stante dubio speculativo de bonitate objecti possit quis esse certus de ho- nestate formalis actus, sumimus objectum ut in re, non ut in mente, ib.

Bonitas materialis non constituit bonitatem for- malem actus. n. 182. 183.

Objectum ut est in re non semper specificat actum, sed ut in mente, n. 184.

Ut tenuis prudentia non est prudentia, ita nec tenuis probabilitas est solida probabilitas, n. 185.

Impugno dictum Baroni, n. 186.

Omni certitudini formali respondet objectiva, sive in re, sive in mente, non semper in re, num. 187.

**P**rimum argumentum est; quia impli- N. cat certitudo de honestate actus cum 162. formidine, seu incertitudine de honestate Fogar. objecti ejusdem actus: ergo implicat, ut quis operetur cum dubio speculativo. An- tecedens probat ex S. Thom. 1. 2. qu. 18. s. Tho. art. 2. docente, quod actus humanus sumat bonitatem ex objecto; ait enim: Dicendum, quod sicut dictum est, bonum, & malum actio- nis, sicut & ceterarum rerum attenditur ex ple- nitudine essendi, vel ex defectu ipsius: primum, quod ad plenitudinem essendi pertinere videtur, est id, quod dat rei speciem: sicut autem res naturalis habet speciem ea sua formâ, ita & actio habet speciem ex objecto; sicut & motus ex termino; & ideo sicut prima bonitas rei natu- ralis attenditur ex sua formâ, quæ dat speciem ei; ita & prima bonitas actus moralis attendi- tur ex objecto conveniente, unde & à quibus- dam vocatur bonum ex genere. Hæc S. D. Et qu. 19. art. 1. ait: Ad 3. dicendum, quod bo- num per rationem representatur voluntati, & objectum, & in quantum cadit sub ordine ra- tionis



tionis pertinet ad genus moris, & causat bonitatem moralem in actu voluntatis. Similiter Scotus in 2. dist. 7. E ait: Prima bonitas moralis competit voluntati ex hoc quod ipsa transit super obiectum conveniens tali actui secundum dictamen recte rationis: ergo certissimum est (ait Fogarinus d. 1. sect. 2. a num. 29. ex P. Valqu. 1. 2. d. 50. cap. 1.) quod actus sumat bonitatem ex obiecto: ergo eo ipso, quod quis est incertus de honestate obiecti, incertus erit de honestate actus.

N. 163. Fogar. Secundum ex eodem Fogarino num. 30. est; quia bonitas actus moralis sumitur, & pendet essentialiter à bonitate morali sui obiecti per rationem voluntati propositi, ex S. Thom. & Scoto: ergo implicat, ut in actu sit certa bonitas moralis sine certà bonitate morali obiecti. Consequentia probatur: Implicat ut res naturalis sit certò in tali specie, & certò sciatur, quod sit in eà specie ex. gr. hominis, si non sit certum illam rem habere formam talis speciei ex. gr. hominis: ergo implicat, ut actus sit certò bonus, & certò cognoscatur, quod sit bonus, nisi certum sit, quod actus ille habeat id, à quo tamquam à formà essentialiter pendet sua bonitas; sed hoc est bonitas obiecti per rationem representata, à quà tamquam à formà attenditur bonitas moralis actus, ait S. Thom. ergo implicat, ut actus sit certò bonus, & obiectum non sit certò bonum.

N. 164. Fogar. Confirmat num. 31. Omnis, qui formidat dari constitutiva alicuius, ex. gr. tres lineas, necessariò formidare debet de constituto, ex. gr. an detur triangulus: sed unum constitutivum bonitatis formalis, nempe actus, est bonitas obiecti: ergo si formidem de bonitate obiecti, necessariò, formidabo de bonitate formali actus: ergo implicat certitudo honestatis formalis sine certitudine honestatis obiectivæ, & materialis.

N. 165. Fogar. Caram. Tertium est; quia si in opinione probabilis adest certitudo honestatis formalis, ut docet Caram. in Apologem. num. 104. & in Dialecti p. 2. n. 304. 308. 346. quem Fogarinus impugnatur, sequitur, quod etiam in opinione probabilis quantumvis tenui, dummodo à probabilitatis finibus non exeat, erit certitudo honestatis formalis: ergo confusus huic tenui probabilitati erit certus, quod non peccet, & quod prudenter agat; sed hoc ultimum consequens damnatur ab

Inn. XI. Innoc. XI. ergo & primum consequens; etenim ab hoc sequitur ultimum: Prima consequentia probatur; quia *omnis probabilis* complectitur etiam tenuem probabilitatem, sicut omnis albedo continet etiam

tenuem albedinem, ex. gr. ut unum: ergo si in omni opinione probabilis est certitudo honestatis formalis, ut vult Caramel; ex quoque inerit omni probabilis quantumvis tenui, dummodo à probabilitatis finibus non exeat.

Concludit dicendo suam conclusionem N. esse adeo certam, ut in ejus probatione non sit amplius immorandum; etenim recte M. Fogar. Vinc. Baro d. 2. sect. 2. examine 3. epist. ad huc Caram. §. 3. recte dixit: *Id nobis prodigium ignorantia est, aut temeritatis, dari certitudinem, cui nulla obiectiva respondeat.* Alioquin non satis apparet, cur Harenci non habuissent notitiam certam de suis hereticis obiectivis, præcisè sistendo in suo privato spiritu, inquit Bona Spes in Apologem. pag. 119. Hac Fogarinus.

Sed contra; quia in his argumentis confunditur obiectum in esse obiecti, & obiectum in esse rei. Obiectum in esse obiecti est obiectum ipsum ut est in mente, live deinde cognitio illud proponens sit logicè vera, & logicè recta, seu repræsentet obiectum ut est in re; ita ut, ita sit in mente, ut est in re; & ita sit in re, ut est in mente; live sit logicè falsa, seu repræsentet obiectum alter ac obiectum est in re. Obiectum in esse rei, est obiectum ipsum prout est in re à parte rei, præcendendo à cognitione illud repræsentante. Jam quando dicitur, quod actus humanus sumat bonitatem ab obiecto, si sensus sit, quod sumat ab obiecto in esse obiecti, verum dicit: & ideo nos latè d. 5. & 6. docuimus, quod actus tendens in obiectum in se malum, propositum tamen invincibiliter ut non malum, non sit formaliter malus; immò docuimus, quod actus tendens in obiectum in se malum, propositum tamen invincibiliter, ut in re honestum, sit formaliter honestus. Si sensus sit, quod actus humanus necessariò sumat bonitatem ab obiecto in esse rei, seu ut est in re, est prorsus falsum; aliàs nec invincibilis error malitiæ materialis excusaret à malitià formali electionem sub eo errore positam, quod est contra fidem; nec invincibilis error, quo obiectum in se malum repræsentatur ut in se, seu materialiter honestum, honestaret formaliter actionem sub eodem errore positam; quod etiam, juxta me, est falsum.

Porro quia arguens hæc duo confundit, N. ideo contra nos arguit; & putat, quod quia nos dicimus, posse aliquem esse certum de honestate formali actus, quin sit certus de honestate obiecti ejusdem actus, putat, inquam, nos dicere, posse aliquem esse certum de



de honestate formali actus, quin sit certus de honestate objecti ejusdem actus, sumpti in esse objecti, & non in esse rei; quod est certo falsum. Quod dicimus est, quod aliquis possit esse certus de formali honestate actus ob principium superveniens actui, quin certus sit de honestate objecti sumpti in esse rei, seu ut est a parte rei; non vero sumpti in esse objecti, seu ut propositi per cognitionem, & ut sigillati omnibus circumstantiis, quibus sigillatur actus.

N. 169. Explico, & sumo doctrinam communem, cui quoque adheret Fogar. d. 1. sect. 2. n. 7. dicens: Dubium aliud est speculativum, aliud practicum. Illud est, quando intellectus non valet se determinare ad ferendum iudicium de re in communi secundum se accepta; ex. gr. ad determinatè iudicandum, quod comestio octo unciarum in refectioe serotinà diei jejunii in obligato ad jejunium sit peccatum, an non sit peccatum. Dubium practicum est suspensio iudicii circa utramque partem contradictionis habita in ipso operante in actuali exercitio ex. gr. refectiois sumente octo uncias. Hæc Fogarinus. Ecce dubium speculativum est suspensio omnis iudicii circa objectum in communi: dubium practicum est suspensio omnis iudicii circa ejus objecti electionem. Quæro modò, an dubitanti speculative, num octo unciarum refectio in collatione vespertinà sit licita obligato ad jejunium, possit eidem ad jejunium obligato, & de eà quantitate dubitanti supervenire principium, quo non tantum tollatur dubium practicum, sed quo certificetur de licentià sumendi octo uncias? Si non potest, arguam oppositum experientiã tum omnium idiotarum, tum omnium subditorum; quibus utrisque, superaddito Prelati, aut docti Confessarii consilio, sit certa licentiã sumendi octo uncias, etsi jejunio teneantur. Si potest, ut certè potest, inferam: Ergo jejunio obligatus potest esse speculative dubius, num sit peccatum, elus octo unciarum in collatione vespertinà; & simul esse practice certus de licito usu octo unciarum in collatione vespertinà. Si ergo nulla est repugnantia, immò testis est experientia, quod cum dubio speculativo de licentiã objecti secundum se stare possit practica certitudo de licitã electione objecti dubie liciti; cur non etiam ob principium superveniens possit quis esse speculative dubius de honestate objecti secundum se sumpti; & tamen simul esse practice certus de formali honestate actus tendentis in illud obiectum?

Tom. III.

In formã ad 1. respondeo nihil ex S. Th. N. & ex Scoto contra nos, immò uterque nobis militat; ut autem hoc facile constet, & ut ab æquivocis liberemur, sciendum 1. quod objectum strictè sumptum sit id tantum, quod ab actu vitali attingitur: si actu attingatur, est objectum actu; si possit attingi, dicitur objectum in potentiã; atque adeo ratio objecti strictè sumpta, quatenus venit id, quod actu est objectum, est pura denominatio extrinseca ab actu tendente in illud. Objectum materiale est id, quod non propter se, sed propter aliud attingitur. Objectum formale est id, quod propter se, & ratione illius aliud attingitur. Solent autem objectum formale ab aliquibus vocari ratio formalis quæ; vel objectum formale quo.

Sciendum 2. objectum formale subdividi in formale quod, & est id, quod propter se attingitur; & in formale quo, seu rationem formalem sub quâ, & est ratio communis singulis actibus talis potentiæ, sub quâ objectum formale ab eâ potentiã attingitur: ex. gr. albedo est objectum formale quod, quia à potentiã visivâ attingitur propter se; quia verò albedo attingitur ab oculo sub ratione coloris, quæ est ratio communis, sub quâ omnis actus visionis tendit, ideo ratio coloris dicitur ratio formalis sub quâ. Nè verò multiplicitate relativorum quod, quæ, quo, quâ, mens Lectorum confundatur, dico me per objectum formale motivum ut quod unice intelligere id, quod propter se attingitur, & propter illud alia: per objectum autem formale movens ut quo non intelligere nisi illud, quo mediante applicatur objectum formale quod, ad hoc ut moveat. Etenim ut objectum formale quod me moveat ad actum, debet illud esse expressè præcognitum, & debet esse applicatum potentiæ, quæ debet tendere in illud. Ita nisi bonitas sanitatis expressè præcognoscatur, & meæ voluntati per cognitionem applicetur, non poterit voluntas nec sanitatem propter se, nec medicinam propter sanitatem amare: & nisi albedo per species impressas sui applicetur oculo, & ab oculo videatur, non poterit oculus eam propter se, & parietem propter eam attingere.

Sciendum 3. quod sicut de ratione objecti formalis motivi quod est, ut sit necessarium expressè præcognitum, & applicatum; ita de ratione objecti formalis moventis ut quo, seu de ratione illius, quo mediante applicatur objectum formale quod, non est necesse, nec ut præcognoscatur, nec ut attingatur ab actu attingente motivum formale

P ij



male quod. Ita species impressæ visivæ sunt id, quo mediante albedo applicatur oculo; species impressæ spirituales sunt id, quo motivum formale ut quod apprehensionis applicatur eidem; apprehensio est id, quo motivum formale quod applicatur intellectui, ut judicare possit; cognitio est id, quo bonitas objecti, quæ est motivum formale quod voluntatis, applicatur voluntati: & tamen, ut docui in Animasticâ cum communi, quam sequitur C. Caiet. M. Ferrar. M. Joan. à S. Thom. Pontius, & alii ex nostris contra P. Lynceum, P. Hurtado, P. Maturum, & plures Thomistas, nec species impressæ visivæ à visione, nec species spirituales ab apprehensione, nec apprehensio ab actu judicii, nec cognitio ab actu voluntatis attinguntur, sed purè à visione, ab apprehensione, à judicio, à volitione attingitur ipsum motivum formale ut quod.

C. Caiet.  
M. Ferr.  
M. Joan.  
à S. Th.  
Pontius  
P. Lynceus  
P. Hurt.  
P. Matur.

N. Sciendum 4. quàm certum apud omnes est, quod actus supernaturales, & naturales necessario, & essentialiter differant inter se ex objecto formali movente ut quo, tam incertum apud T. T. est, quod essentialiter differant ex objecto formali movente ut quod. Ratio primi est; quia motivum quo non est nisi id, quo mediante motivum formale quod applicatur potentia; nam objectum non movet, nisi per aliquid sui sit præfens in animâ: sed quod applicat motivum ut quod ad actum supernaturalem, debet esse supernaturale: ergo objectum formale movens ut quo actus supernaturalis debet esse aliquid supernaturale. Minor patet, tum inductione, tum ex Tract. de Gratiâ. Inductione, quia sicut apprehensio applicans motivum ut quod intellectui in ordine ad actum judicii, & judicium applicans motivum ut quod voluntati in ordine ad actum amoris, debent esse spiritualia, quia actus judicii, & voluntatis sunt spirituales: rursus sicut species impressa applicans motivum quod intellectui in ordine ad apprehensionem debet esse spiritualis, quia apprehensio est actus spiritualis: ita etiam id, quod applicat intellectui, & voluntati motivum quod in ordine ad actus supernaturales, debet esse quid supernaturale.

N. Ex Tract. de Gratiâ; quia de Fide est, quod primus supernaturalis motus animæ est in nobis sine nobis, non quidem sine nobis cooperantibus, sed sine nobis liberè cooperantibus: Deus enim est, qui excitat in nobis eas, quas vocant, illustrationes, & inspirationes Spiritus S. quæ sunt supernaturales, (nec sunt nisi apprehensiones, &

N.  
174.

actus voluntatis indeliberati supernaturales) infundendo species supernaturales, per quas objectum motivum quod applicatur intellectui, ut erumpat in apprehensionem supernaturalem, & per hanc idem objectum motivum applicatur voluntati in ordine ad actum supernaturalem: ergo certum est, quod applicativum motivi quod actus supernaturalis debet esse supernaturale.

Altera pars, quod æquè incertum apud T. T. fit, an necne actus supernaturales, & naturales differant essentialiter, & semper ex objecto formali movente ut quod, patet ex contentione Doctorum. Etenim pro affirmativâ stant Caiet. 1. 2. qu. 65. art. 4. P. Joan. cum Junioribus Thomistis, quibus consentit P. Suar. lib. 3. de Gratiâ cap. 11. P. Vasquez. 1. 2. d. 86. num. 3. P. Ruiz. d. 46. de Prædestinati. sect. 5. C. Pallav. lib. 2. de Gratiâ cap. 3. & lib. 4. de Charit. cap. 16. P. Ant. Perez. d. 3. de Virtutibus Theolog. cap. 5. & alii. Pro negativâ pugnant Scotus, Mastrus in 3. d. 6. qu. 7. Pont. P. Ripald. d. 45. de Ente per totam, C. de Lugo d. 9. de Fide, P. Ovied. contr. ult. de Anima pu. 4. & 1. 2. tr. 7. contr. 2. n. 23. P. Requens 1. 2. d. 11. sect. 5. P. Arriag. d. 14. sect. 5. & plures alii. Patet 2. ex rationibus sanè robustis, quibus utraque sententia movetur; at quia robustiores nobis visæ sunt stantes pro opinione negante, ideo hanc in Tract. de Inimicus Theolog. tecti sumus. Equidem S. Thom. in 1. dist. 17. qu. 1. art. 4. expressè ait, quod cum ad idem objectum terminetur, tum potentia ponens actum naturalem, tum habitus causans actum supernaturalem, modo discerni non potest, quinam actus sit naturalis, quinam supernaturalis: ergo S. Thom. supponit potentiam naturalem, & habitum supernaturalem; actum naturalem, & actum supernaturalem terminari ad idem objectum; & ideo quia ad idem objectum terminantur, infert nos ignorare, quandomam naturaliter, quandomam supernaturaliter operemur. Si autè actus naturalis, & actus supernaturalis essentialiter terminarentur ad diversum motivum, nempe naturalis ad motivum naturale, supernaturalis ad supernaturale, facile sciremus, quando operaremur naturaliter, quando supernaturaliter, cum quilibet facile discernat motivum, à quo moveretur ad operandum, præcipuè, si motiva genere differant, ut motivum naturale, & supernaturale differunt.

Confirmo 1. quia, ut rectè P. Ripald. 176. sect. 8. Pont. n. 18. Mastr. n. 225. aliud est, quod actus, & habitus tendentes in objectum formale speciei diversæ sunt speciei diversæ; aliud



aliud quod eo ipso, quod diversi sunt, tendant in objecta formalia specie diversa: illud est verum, hoc falsum: etenim etsi in idem formale objectum tendant, adhuc esse possunt specie diversi: vel quia sunt à potentiâ diversa, quo modo intellectio humana, & Angelica in idem motivum tendentes: vel quia habent diversum tendendi modum, etsi illi actus ab eadem potentiâ procedant, quo modo apprehensio, & iudicium; amor efficax, & inefficax; notitia intuitiva, & abstractiva: ergo etsi actus naturalis, & actus supernaturalis habeant idem motivum formale quod, adhuc differre possunt, tum quia naturalis est à solâ potentiâ naturali, e contra supernaturalis est à potentiâ supernaturaliter elevatâ; tum quia applicativum objecti formalis quod respectu actus naturalis est purè naturale; e contra applicativum objecti formalis quod respectu actus supernaturalis est semper quid supernaturale: ergo objectum formale quod non est necessario adæquatum specificativum diversorum actuum, sed inadæquatum, cum aliunde differre possint.

N. Confirmitur 2. quia actus longè magis specificantur à principio, quàm ab objecto; quid enim est *specificari*, nisi sumere speciem? Ergo cum actus plus pendeat à principio, nam pendent ab intrinseco, tamquam effectus à causâ, quàm pendeat ab objecto, à quo extrinsecè tantum pendent, eo ipso actus plus à principio, quàm ab objecto specificantur.

N. Confirmitur 3. tum ex S. Thom. 1. 2. qu. 178. 12. art. 1. dicente, tres affectus versari circa idem bonum movens voluntatem, nempe simplicem complacentiam, intentionem, & fruitionem; tum ex Arist. 5. Physic. cap. 3. dicente, motus deferre non tantum ex termino ad quem, sed etiam ex diverso modo tendendi in eundem terminum; tum ex Scotus in 3. dist. 14. qu. 1. qui idem docet: ergo esto ex diversitate objecti formalis inferatur necessario diversitas actuum; attamen ex unitate objecti formalis non inferatur necessario unitas specifica actuum.

N. Hęc ad ubertatem dicenda duxi, ut pateret, quàm frigidè contra nos trahatur axioma, quod objectum det speciem actui; etenim actus suam speciem præcipuè sumit à principio, eamque etiam sumere potest ex diverso tendendi modo: ergo si objectum formale quod det speciem actui, non tamen indispensabiliter eam dat; nam actus verus, & falsus tendunt in idem objectum, & tamen specie differunt; immò, juxta plures, actus naturalis, & supernaturalis ten-

dere possunt in idem motivum formale quod, & tamen ratione principii naturalis, & supernaturalis differunt specie: ergo etsi S. Thom. dicat, quod actus sumat speciem ab objecto, non tamen negat, quod possit eam aliunde haurire. Accedit quod S. Th. ad summum dicat, quod prima bonitas, id est primaria bonitas actus moralis, attendatur ex objecto conveniente; ex hoc autem non inferitur, quod per accidens, & secundariò non possit aliunde eam habere: immò etsi verum sit, quod prima bonitas actus moralis attendatur ex objecto conveniente; adhuc sub lite erit, an hæc convenientia debeat esse logica cum objecto ut est in re; an ethica cum objecto ut est in mente, conformiter ad morum regulas.

Addo quod S. Thom. evidenter stet contra argumentum, nam ait, quod bonum, & objectum, prout representatur voluntati, causat bonitatem moralem in actu voluntatis: ergo distinguit bonum, & objectum in esse rei, à bono, & objecto in esse objecti; seu bonum ut est in re, à bono ut est in mente; & objectum ut est in re, ab objecto ut est in mente: & ait, quod id, quod causat bonitatem moralem in actu voluntatis, non sit bonum ut est in re, nec objectum ut est in re, sed bonum, & objectum ut sunt in mente: ergo potest quis esse incertus de honestate objecti ut est in re, & esse certus de honestate formali actus; immò & objecti, ut est in mente variimodè circumstantiati. Idem prorsus dicendum de Scotus; nam eo ipso quod dicit, quod prima bonitas moralis sumatur ex convenientiâ actus, & objecti cum dictamine rectæ rationis; eo ipso tò rectè intelligi potest vel logicè, vel ethicè, ut sæpe diximus. Hinc fateor me non capere, quomodo Fogarinus assumat tamquam primum principium, quod objectum det speciem actui, ita ut eam aliunde sumere non possit, cum oppositum tribui soleat ipsi Scotus, ait Mastr. in 3. d. 6. num. 213. & Pontius: etenim Scotus in 3. dist. 27. qu. un. art. 2. docet, quod dilectio, quâ Deus propter se diligitur, sive sit naturalis, sive supernaturalis, habeat idem objectum formale, nempe bonitatem Dei, quâ in se bonus est: ergo actus naturalis, & supernaturalis habere possunt idem objectum formale quod. Demum etsi detur, quod objectum det essentialiter speciem actui, nil inde contra nos; non enim ex hoc sequitur, quod objectum ut est in re, sed quod objectum ut est in mente, det speciem actui: ergo esse potero certus de honestate formali actus, & objecti ut est in mente, quin sim certus de honestate



honestate materiali actus, & objecti, ut sunt in re.

N. 181. Ad 2. concessio antec. distinguo consequens: Implicat, ut in actu sit certa bonitas moralis sine certa bonitate morali objecti ut est in re, nego; sine certa morali bonitate objecti in esse objecti, concedo consequentiam. Ad probationem, concessio antecedenti, & consequentiā, & minori subsumptā, distinguo ultimum consequens: Implicat, ut actus sit certo bonus, & objectum ut est in mente, non sit certo bonum, concedo consequentiam; & objectum ut est in re non sit certo bonum, nego consequentiam. Ecce iterum confunditur objectum ut est in re cum objecto ut est in mente. Quod nos dicimus est, quod possit actus esse non malus, etsi objectum ut est in re sit malum: rursus, quod possit actus esse formaliter honestus, etsi objectum, ut est in re, non sit honestum: non autem dicimus, quod possit actus esse non malus, quamvis objectum ut est in mente sit malum; & quod possit actus esse formaliter honestus, quamvis objectum ut est in mente, seu ut a mente proponitur, non proponatur ut honestum. Transire autem ab esse, quod objectum habet in re, ad inferendum, quod simile esse habeat actus, est prorsus falsum; aliās actus positus sub errore invincibili, quod objectum in re non sit malum, cum tamen in re sit malum, erit malus: ergo licet actus habeat simile esse, quale habet objectum, ut est in mente, non tamen quale objectum habet in re: ergo potest actus esse in se formaliter, vel non malus, vel honestus, quamvis objectum, ut est in re, sit malum, vel non sit honestum: ergo actus non sumit speciem ab objecto, ut est in re. Porro dum querimus, an stante dubio speculativo de bonitate objecti, possit quis esse certus de honestate formali actus, sumimus objectum ut est in re; non ut est in mente: si enim objectum proponatur ut bonum, etsi in re sit malum, actus erit bonus; si proponatur ut malum, etsi in re sit bonum, actus erit malus.

N. 182. Ad confirm. concessā maiori, distinguo minorem: Unum ex constitutivis formalis bonitatis actus est bonitas objecti, ut est in re, nego minorem; ut est in mente, concedo minorem: & distinguo consequens: Si formidem de bonitate objecti ut est in re, necessario formidabo de formali bonitate actus, nego consequentiam; de bonitate objecti ut est in mente, concedo consequentiam. Sanē qui ex Superioris consilio profectur objectum, de quo dubitat, an in re

sit malum, neque formidat de honestate formali suae electionis, neque formidat de bonitate objecti ut substantis precepto Superioris, etsi formidet de bonitate objecti secundum se praescindendo à Superioris precepto. Ita accidit in casu nostro: Ergo dubito ex.gr. speculativē, an detur lex vetana die festo picturam; & tamen ex principio reflexo mihi certo, quod lex prudenter negata non obliget, sum practice certus de licitā electione pingendi. Ecce pictura secundum se, num licita sit, est mihi incertum; eadem autem pictura ut substantis principio certo reflexo, quod pictura prudenter negata ut illicita, non est vetita, eadem, inquam, pictura aliter sumpta ac est in re, (sumitur enim cum novis circumstantiis) est mihi licita.

Ecce, dum pingo, quod specificat honestam picturę electionem, non est pictura i84 secundum se, seu ut est in re, & ut practica à novā circumstantiā, & principio superaddito, sed est pictura ut substantis huic iudicio mihi prudenti, quod nulla res à me prudenter negata, ut illicita, sit vetita; pictura ut est in meā mente est objectum prudenter negatum ut illicitum: ergo pictura ut est in meā mente, est objectum prudenter negatum tamquam vetitum. Ecce, inquam, quod objectum specificans meam honestam formaliter pingendi electionem non est pictura in esse rei, seu purē objectivē, & materialiter sumpta, & practica à circumstantiis, & iudicio mentalem proponente ut non vetitam; sed est pictura ut substantis iudicio certo probabili, aut probabiliori de ejus non prohibitione; aut ut substantis huic principio reflexo mihi certo, quod nullum, quod certo prudenter negatur vetitum, est formaliter vetitum; etsi in re possit esse vetitum.

Non debet igitur Adversarius transire N. ab objecto ut est in re, quod non semper, i85 ut est in re, specificat actum, ad objectum ut est in mente, quod semper specificat actum: ergo sicut possum esse incertus de objecto ut est in re, num sit bonum, & simul esse certus de eodem objecto ut substantis iudicio certo prudenti proponenti illud ut bonum, esse, inquam, certus, quod sit bonum; ita possum esse incertus de objecto ut est in re; & simul esse certus de formali honestate actus; quatenus certus sum, quod objectum, in quod actus tendit, ut substantis meo iudicio prudenti de ejus bonitate, sit bonum.

Ad 3. nego antec. ejusque probationem; N. non enim tenuis probabilitas est certo solida i86 proba-



probabilitas, sicut tenuis prudentia non est prudentia, ut dixi d. 18. Adde paritatem albedinis esse extra rem; albedo enim, etsi in uno gradu, est vera albedo; non enim essentia albedinis, sed quantitas albedinis componitur ex gradibus: contra probabilitas conflatur vel ex pluribus rationibus, vel ex una æquivalente pluribus; quæ rationes simul sumptæ, si non constituent motum certo solidum, & prudens tum absolute, tum respectivè, non dabunt opinionem necessariam probabilitatem.

N. 186. Ad Epiphonemia, quod Fogarinus trahit ex M. Baro, nempe ignorantie prodigium esse, dari certitudinem, cui nulla respondeat objectiva; respondeo 1. quærendo, an omne, quod moraliter certum apparet, sit in re certum; ita ut certitudini formali morali respondeat certitudo objectiva? Si affirmat, contra est; nam mihi ex. gr. moraliter certum est, quod hic homo sit filius Petri; quod sit ejus hæres; quod sit reus; quod sit baptizatus, aut ordinatus; & tamen hæc omnia possunt esse in re falsa: ergo potest aliquid videri moraliter certum, quin à parte rei detur certitudo in objecto asserto. Si negat; ergo non est ignorantie prodigium, quin est vera sapientia asserere, quod non omni certitudini formali correspondeat certitudo objectiva, seu in re.

N. 187. Respondeo 2. omni certitudini formali respondere certitudinem objectivam, sive in esse rei, sive in esse objecti; id est, sive à parte rei existentem, sive à me conceptam, ut à parte rei existentem. Hinc si mihi sit moraliter certum hunc hominem esse filium Petri, etsi in re non sit; attamen concipio non solum tamquam verum, sed tamquam certum, quod sit filius Petri; unde meo actui formali moraliter certo respondet, non quidem certitudo filiationis realis, sed certitudo falso concepta, & apprehensa existere in tali objecto, seu certitudo filiationis hujus hominis respectu Petri. Ecce talis certitudo objectiva non datur à parte rei, sed datur tantum in apprehensione, adeoque non existit in re, sed in mente; & ea certitudo objectiva existit tantum in esse objecti, non in esse rei, nam in re non est. Plura contra hunc insignem Scotistam dabo disp. 28.

## §. II.

*Solutiones, quas Fogarinus nostris argumentis exhibet.*

## S U M M A R I U M.

*Qualiter intelligendum, quod nequeat dari certitudo honestatis formalis actus sine materiali honestate, num. 188. 189. 190. 191. 192.*

*Solutio Fogarini ad argumentum ex Imm. Conceptione, a n. 193. ad 196.*

*Ejus contradictio, n. 197.*

*Qualiter bonitas actus pendeat à bonitate objecti, n. 198.*

*Etsi questio de Conceptione sit speculativa, potest reduci ad moralem, n. 199.*

*Fogarinus consentit nobiscum, n. 200.*

*Ostendo, n. 201.*

*Objectum actus formaliter honesti, stante dubio de honestate objectivâ, non est objectum ut antea, sed ut novis affectum circumstantiis, ibid.*

*Solutiones Fogarini ad argumentum ex Imm. ac.*

*Conceptione non sunt ad rem, n. 202.*

*Sicut immunitas Deipare ab omni labe, etsi non sit certa, actus tamen habens eam pro objecto est certo formaliter honestus; ita in aliis casibus, n. 203.*

*Inductio plurium actuum, qui sunt certo formaliter honesti, esto eorum objectum non sit certum, n. 204.*

*Materialis honestas non pendet à meâ cognitione, pendet formalis, n. 205.*

*Certitudini formali non correspondet necessariò certitudo objectivâ nisi objecti ut est in mente, n. 206.*

*Si implicat honestas formalis in actu sine honestate in objecto, implicabit quoque malitia formalis in actu sine materiali in objecto, num. 207.*

U T verò ad oculum pateat, quod Fogarinus tandem in nostram iocunditatem veniat, quam tamen negasse visus est, audiendus est, quid nostris argumentis respondet.

Opponit sibi 1. Certitudo honestatis distinguitur à Theologis in formalem, & objectivam: ergo dari potest certitudo formalis sine objectivâ. Respondet, concessio antecedenti, negando consequentiam; ut enim distinguantur, non est necesse, ut sint mutuo separabiles, ita ut dari possit certitudo formalis sine objectivâ, & objectiva sine formali; sed satis ut dari possit certitudo objectiva sine formali, non econtra formalis sine objectivâ: eo modo, quo anima distingui-



tingitur realiter ab homine, sine quo esse potest; nec tamen homo esse potest sine anima, quia per hanc constituitur: ergo cum honestas formalis actus constituitur per objectivam, implicat, ut detur honestas formalis sine objectivâ. Hæc Fogarinus.

N. Sed contra 1. quia Theologi certitudinem honestatis dividunt in duas species, nempe in formalem, & in objectivam; de ratione autem bonæ divisionis est, ut una species non includat aliam: ergo sicut objectiva non includit formalem, ut fatetur Fogarinus; ita nec formalis objectivam.

N. Contra 2. quia concedere volo, quod certitudo honestatis formalis, seu certitudo actus formaliter honesti dari nequeat sine objectivâ honestate, seu sine materiali honestate; attamen satis est, ut hæc honestas materialis, seu objectiva, sive falsò, sive verè existat in re; non autem necesse est, ut verè existat in re, ad hoc ut actus sit formaliter honestus: ergo licet verum sit, quod dari non possit actus certò formaliter honestus sine certâ materiali, seu objectivâ honestate; objectiva, inquam, sive in re, sive in mente; fallum tamen est, quod dari non possit actus certò formaliter honestus sine certâ objectivâ, seu materiali honestate, quæ in re verè existat.

N. Porro dum querimus, an dari possit certitudo de honestate formalis actus cum incertitudine de honestate objecti ejusdem actus, non querimus, an dari possit actus sine objecto; hoc enim implicat: sed querimus, an quis possit esse certus de honestate formalis actus, absque eo quod certus sit de honestate objecti ejusdem actus; objecti, inquam, sumpti in esse rei, seu ut in re existit? Et hoc affirmamus: nullatenus autem queritur, an quis possit esse certus de formalis honestate actus, absque eo quod certus sit de honestate objecti ejusdem actus; objecti, inquam, sumpti in esse objecti, seu ut est in mente? Nam dicimus omni actui formaliter certo respondere objectum certum in esse objecti, quatenus illud proponitur ut certum, etsi in re possit ita non esse. Omnia autem quæ dicit, & respondet Fogarinus, non aliud intendunt, quàm quod cuique actui certò respondeat objectum certum, sive in esse rei, sive in esse objecti; non autem probat, ut probandum esset, quod correspondere debeat objectum certum in re.

N. Opponit sibi 2. num. 34. quod hic actus, *Deipara est sine labe concepta*, est incertò bonus, & honestus, adeo ut qui eum negant bonum, aut dubitant, an sit bonus, dam-

nentur ab Alexand. VII. & tamen ejus objectum est tantum probabiliter honestum: ergo dari potest certitudo de honestate formalis actus cum incertitudine de honestate materiali objecti. Sed contra, inquit Fogarinus; quia si hæc instantia teneret, formalis honestas actus non penderet ab honestate objecti, quod est contra S. Thom. & Scotum, & dari posset certò constitutum sine certo constituyente.

Deinde respondet 1. cum M. Baro d. 2. N. sect. 1. art. 3. §. 2. agi in præsentia de rebus moralibus, non de speculativis, qualis est questio, an *Deipara* sit sine labe concepta: ergo exemplum non est ad rem.

Respondet 2. num. 36. cum Bonâ Spejin N. Apologem. retorto pag. 118. n. 27. dicitur: 195. guendo antecedens: Actus iste, *Deipara est sine labe concepta*, est certo bonus, prout ille actus præcisè fertur in illud objectum, ut præcisum ab omni aliâ circumstantiâ, negat; cum enim objectum præcisè sumptum non sit certò honestum, nec actus in illud sic tendens potest esse certò honestus, quia honestas actus pendet ab honestate objecti, & ab eo, quod forsan non est, nequit certo procedere id, quod certò est: prout ille actus tendit in illud objectum talibus circumstantiis affectum, scilicet, quia *juravi, me piam sententiam defensorum, & Ecclesiam ut ut concedat, quod sentiam alterentur, jube tamen, ut vel doceam, vel loquar cum Doctore Subtili*, concedit antecedens; at hoc modo objectum non minus est certò honestum, quàm actus sit certò honestus, ut testatur (inquit Fogarinus) Caram. n. 84. in Apologem. dicens eam propositionem, *Deipara est sine labe concepta*, pronuntiare sine formidine formalis, quia *juravi piam sententiam*.

Respondet 3. num. 37. quod actus, quo dico, *Deipara est sine labe concepta*, si constituitur 196. deretur præcisè ut representativus sui objecti nudè, & secundum se sumpti, non sit certò honestus; sit autem, si sumatur ut connotans legem non tantum permittentem, sed consulentem ipsum actum, à quâ lege sumitur honestas moralis, & objectiva: & distinguit minorem: objectum dicti actus est probabiliter tantum honestum ut præcisum à lege consulente, concedit; ut connotans legem consulentem talem actum, negat. Ratio est; quia licet non sit metaphysicè verum, nec supernaturaliter certum, quod objectum sit certò honestum, adhuc tamen est certò honestum, quia certò connotat legem saltem consulentem, à quâ sumitur bonitas honestatis. Denum ait, quod talis actus, seu cultus dicatur ob-



objectivè honestus, quia est objectum actus interni voluntatis ipsi imperantis, cui formalem bonitatem honestatis communicat.

N. 197. Sed contra 1. quia evidenter retorqueo: Si enim objectum huius actus, *Deipara est sine labe concepta*, est probabiliter tantum honestum ut præcisum à lege talem cultum consulente; ut autem connotat legem eum cultum consulentem est certò honestum, sequitur 1. quòd licitus erit usus opinionis certò probabilis; actus enim ut connotans opinionem probabilem eum actum consulentem erit certò honestus; ut docent Probabilistæ; hoc autem negatur à Fogarino; ergo sibi contradicit. Sequitur 2. quòd eo ipso quòd objectum sumatur, seu cultus datus Deiparæ sine labe conceptæ, ut substantiæ legi eum cultum consulenti; sequitur, inquam, quòd objectum non sumatur ut est in re, sed ut est in mente; sumitur enim ut substantiæ iudicio reflexo proponenti legem eum cultum consulentem.

N. 198. Fogar. Contra 2. quia jam declaratum est qualiter, & quo sensu formalis bonitas actus pendeat à bonitate objecti. Hoc unicè rogo Adversarium, ut mihi dicat, cur actus possit esse vitalis, quin objectum sit vitale; cur possit esse supernaturalis, quin objectum sit supernaturale; cur possit esse accidens, quin objectum sit accidens; cur possit esse verus, etsi ejus objectum sit in se falsum; cur autem non possit actus esse certò honestus, quin objectum sit certò honestum. Sicut ergo actus non constituitur in suo esse supernaturali, vitali, accidentalì, vero, per objectum supernaturale, vitale, accidentale, verum; ita etiam non necessariò constituitur in suo esse honesto per objectum honestum; nec in suo esse certò honesto per objectum certò honestum. Declaret hoc Adversarius.

N. 199. Contra 3. quia, ut alibi offendi, etsi hæc propositio, *Deipara est sine labe concepta*, sit speculativa, attamen non inde inferitur, quòd pertinere non possit ad materiam moralem, & ex eà sequi propositio moralis dicentis tamquam licitum, aut illicitum aliquem actum: ex hoc enim quòd iudico speculativè veram hanc propositionem, *Deipara est sine labe concepta*, honestum iudico colere hanc sine labe conceptionem, & ob illam laudare Deum: ergo ea propositio non est extra rem, sed ad rem. Addo, quòd huic propositioni, *Deipara est sine labe concepta*, contingere potest, quòd aliis contrariis, unis affirmantibus, aliis negantibus, esse de Fide: Sicut autem si aliquam opinionem speculativam inter T. F. controversam

iudico esse de Fide, teneor eam credere; eaque speculativa est objectum propositum à Fidei præcepto, tamquam objectum credendum, & sit objectum praxis; ita in nostro casu, etsi sit speculativa in se, potest tamen esse objectum praxis, seu præcepti fidei obligantis eam credere; ergo ea propositio ex multiplici titulo est ad rem.

Contra 4. quia secunda, & tertia responsio (recidunt enim in idem, ut fatetur Fogarinus num. 37.) vel non sunt ad rem, vel si sunt ad rem, dicunt, quòd nos dicimus. Quòd autem dicant, quòd nos dicimus, si sunt ad rem, patet; quia responsio est, quòd iste actus, *Deipara est sine labe concepta*, sit certò honestus, non quatenus præcisè fertur in objectum ut præcisum ab omni alià circumstantià, sed quatenus fertur in objectum ut affectum juramento defendendi piam sententiam, vel saltem hanc non impugnandi; objectum autem ita affectum est certò honestum. Sed hoc ipsum est quòd nos dicimus; dicimus enim actum esse posse certò honestum, quin qui eum actum elicit, sit certus de honestate objecti secundum se: numquam autem dicimus, quin quis sit certus de honestate objecti novis circumstantiis affecti; ergo si responsio est ad rem, dicit quòd nos: ergo Fogarinus immeritò negat posse aliquem esse certum de honestate formali sui actus, quin certus sit de honestate objecti secundum se.

Quòd si dicatur, Fogarinum hoc non negare; sed unicè negare, posse aliquem esse certum de honestate formali sui actus, quin certus sit de honestate objecti ejusdem actus; fateor hoc tantum negare; at si hoc tantum negat, eo ipso non opponitur Caramueli, & torrenti Doctorum, & nobis asserentibus posse aliquem esse certum de honestate formali sui actus, quin certus sit, immò sit dubius de honestate objecti secundum se. Quæstio enim est, an aliquis possit esse certus de honestate formali sui actus, stante dubio speculativo de honestate objecti secundum se? Hoc autem asserimus; ita tamen ut objectum actus certò formaliter honesti tunc non sit purum, & nudum objectum ut erat antea, sed sit objectum, ut novis circumstantiis affectum. Explico. Dubito speculativè, an pictura die festo liceat; eo ipso tunc, nisi aliquid aliud accedat, dubito etiam practicè, an liceat electio imperans eam picturam. Accedat præceptum; ecce tunc certus sum de licentià electionis imperantis picturam: hæc autem electio certò formaliter honesta, quatenus imperata, non habet pro objecto picturam secundum se,

N. 200. Fogar.

N. 201. Fogar. Caram.



se, sed picturam ut imperatam. Totum autem hoc, quod electio imperans picturam, quatenus imperata, sit certo honesta; & quod objectum ejus electionis, seu pictura, quatenus praecepta, sit objectum certo honestum; totum, inquam, hoc optimè stat cum hoc asserto, quod quis possit esse certus de formali honestate electionis imperantis picturam, quin certus sit de honestate picturae secundum se: ergo etsi detur, quod quoties aliquis est certus de formali honestate sui actus, sit etiam certus de materiali honestate objecti ejusdem actus, non inde fit, quod quoties quis est certus de formali honestate sui actus, sit quoque certus de materiali honestate objecti ejusdem actus, sumpto objecto secundum se, & ut præciso à novis circumstantiis.

N. 202. Quod verò neutra responsio sit ad rem, (hæc enim erat altera pars disjuncti nostrae replicæ) patet 1. quia hic actus, *Deipara est sine labe concepta*, quem suppono certo honestum, non habet pro objecto juramentum, aut dictamen Ecclesiae permittens, vel consulens, ut quis immunem ab omni labe Conceptionem defendat, & vetans, ne quis tueatur oppositum: etsi enim Ecclesia hoc consulat, aut aliquis ad hoc ipsum juramento obstringere se possit; attamen ille actus non habet hoc pro objecto; immò antequam quis ad hoc ipsum juramento se obstringat, cognoscere debet honestatem actus, ad quem juramento se obstringere intendit; sed ille actus habet pro objecto à se affirmato ipsam *Deipara sine labe Conceptionem*: ergo responsio non est ad rem.

N. 203. Patet 2. quia do, quod ille actus habeat pro objecto defensionem piae sententiæ ut firmatam juramento, & ut ab Ecclesia consultam; adhuc contra est; quia ille actus, *Deipara est sine labe concepta*, est de Fide certo honestus, nec tamen objectum ab eo affirmatum est de Fide certo honestum, etsi ejus motivum sit certo honestum: objectum enim ab eo affirmatum est immunitas à labe in *Deipara*; quæ immunitas non est certa de Fide, & est quid purè speculativum: ergo etsi detur, quod objectum motivum dicti actus sit certo de Fide honestum, non inde fit, quod sit certo de Fide honestum objectum materiale ab eo actu affirmatum.

N. 204. Patet 3. quia actus, quo quis colit eum, quem invincibiliter putat suum patrem, qui tamen non est; & actus, quo Judex absolvit hominem, quem invincibiliter putat innocentem, qui tamen non est; & actus, quo quis adorat Christum D. in Hostia pu-

blico cultui exposita, & putata invincibiliter consecrata, cum tamen non sit, sunt certo evidenter honesti; & tamen nulli eorum est certum, & evidens ipsum objectum materiale per dictos actus contractatum; nam Petro non est evidens hunc esse suum patrem, etsi illi evidens sit, se rectè operari obediendo ei, quem putat invincibiliter patrem: Judici non est evidens hunc hominem esse innocentem, etsi illi evidens sit se equam dicere sententiam absolvens eum, quem invincibiliter putat innocentem: Fidei non est evidens in Hostia publico cultui exposita latere Christum D. & esse consecratam; etsi illi evidens sit, gerere religiosè eam adorando: ergo nulla prorsus est consequentia à certà honestate formali actus ad certam honestatem materiale objecti ejusdem actus.

Ratio à priori est; quia materialis honestas actus, & objecti non pendet à nostra intentione, sed ab ipso objecto ut est in re; & ideo si putem objectum esse in re honestum, non ideo erit in re honestum; vel si putem esse in re inhonestum, non ideo erit in re inhonestum: e contra si invincibiliter putem actum esse formaliter honestum, aut formaliter inhonestum, actus talis erit: ergo à certà honestate, aut inhonestate formali actus nulla est prorsus consequentia ad certam materiale honestatem, aut inhonestatem objecti ejusdem actus; nam potest objectum aliter esse in re, ac putatur; actus autem moralis ex fundamento solido conceptus non potest aliter esse moraliter, ac putatur. Addo etiam, quod honestas objectiva, seu materialis ipsius objecti idem est, ac honestas verè existens in ipso objecto: sicut autem essentia objecti in suo esse materiali non pendet à meâ mente, ita nec honestas materialis ipsius objecti pendet à meâ mente.

Confirmo: quia ipse Fogarinus num. 29. N. expressè concedit, quod actus possit esse certo malus, quin objectum sit certo malum: ergo certitudini formali non correspondet semper certitudo objectiva; adeoque omnia sua argumenta à se solvenda sunt. Immo, ergo etiam poterit actus esse certo bonus, quin objectum sit certo bonum; vel si actus non potest esse certo bonus, quin objectum sit certo bonum, neque actus poterit esse certo malus, quin objectum sit certo malum. Antecedens conceditur à Fogarino, & est de Fide; qui enim hodie putaret vetitum esse carnis esum, qui tamen non est vetitus, certus est, quod carnes edendo peccabit formaliter, nec tamen cer-



SECTIO V.

An sola non certitudo malitiæ, aut legis vetantis satis sit ad conscientie securitatem, & certitudinem honestatis actus?

§. I.

Status questionis, & ratio dubitandi.

SUMMARIUM.

Queritur, an pura non certitudo malitiæ satis sit, ut quis sit certus de non peccato formali? n. 208.

Caramuel sentit securitatem oriri à solâ non certitudine opinionis oppositæ, n. 209.

Exponitur ejus sententia, ejusque ratio, n. 210.

Possessio libertatis est juxta me titulus sufficiens deponendi conscientiam speculative, & præcticè dubiam, n. 211.

**L** Atè docui d. 18. sect. 4. quòd ut sine peccato formali, aut cum formali honestate operemur necessarium sit aliquod judicium certum, seu moralis saltem certitudo de non peccato formali, aut de formali honestate actus; hanc porro certitudinē inesse cuique opinioni certò probabili præcticè docui d. 18. sect. 8. adeo ut quælibet opinio certò probabilis præcticè sit per se ipsam formaliter, & intransitive regula proxima, & immediata operationis. Tandem disp. præsentis docui, quomodo strnte conscientia speculative, aut præcticè dubia haberi possit certitudo de non peccato, aut de honestate formali operationis per nova superaddita principia. Modò discutiendum, an ipsa pura non certitudo malitiæ, aut legis vetantis actionem satis sit, ut quis sit certus de non peccato formali, aut de honestate actus; adeo ut per hoc præcisè, quòd malitia, aut lex vetans non sit certa, certus sim me operando non peccare?

Caramuel sapissimè in suis *quatuor Theologicæ Mor. Fund. libris*, sed præcipuè lib. 4. in *Dialecticæ de Non-Certitudine*, latissimè probabat neque certitudinem, neque probabilitatem, neque equalem, aut minorem probabilitatem esse rationem formalem securitatis conscientie; adeo ut totam rationem formalem securitatis conscientie oriri dicat à solâ non certitudine opinionis oppositæ, ita ut eo ipso quòd opinio opposita non sit mihi certa, eo ipso mea sit mihi satis, ut tuto operer; & ex eo præcisè quia actio A, non est mihi certò vetita, sit mihi licita, ut discurret n. 336.

Probat; quia ratio formalis est, quâ posita datur effectus formalis, & quâ sublata aufer-

N. 207.

tus est, quòd esus, seu objectum sit certò malum. Consequentia probatur, tum quia non minùs bonitas, quàm malitia actus sumitur ab objecto; & non minùs implicat, ut detur actus malus sine suis constitutivis, quàm bonus sine suis; ergo si unum, è constitutivis bonitatis moralis actus est bonitas materialis objecti ejusdem actus, ut ait Fogarinus ex S. Thom. & Scoto; unum quoque è constitutivis moralis malitiæ actus erit malitia materialis objecti ejusdem actus. Tum quia etsi verum sit axioma Divi Dionysii, *Malum ex quolibet defectu, bonum ex integrâ causâ*; & quòd minùs requiratur, ut actus sit formaliter malus, quàm ut sit formaliter bonus; hoc non probat, quòd dari poterit actus moraliter malus sine malitiâ materiali objecti ejusdem actus, si dari non potest actus moraliter bonus sine bonitate materiali objecti ejusdem actus; etenim ut minùs requiratur ad malitiam moralem actus, quàm ad bonitatem moralem actus, satis est, ut aliquid aliud deficiat, non autem necesse est, ut deficiat malitia materialis in objecto ejusdem actus moraliter mali: ergo inconsequenter negatur, aut affirmatur unum sine alio. De cætero dicam, quòd dari poterit actus formaliter moraliter malus sine omni prorsus libertate; quia minùs requiritur ad actum formaliter moraliter malum, quàm ad actum formaliter moraliter bonum. Tum quia omnes solutiones, quas nostris argumentis dat, quibus contendimus dari posse certitudinem de honestate formali actus, quin detur certitudo de materiali honestate objecti ejusdem actus, probant, quòd dari non poterit certitudo de formali malitia actus, quin detur certitudo de materiali malitiâ objecti ejusdem actus, ut patet consideranti, & applicanti easdem responsiones, quibus quis contendere possit repugnare certitudinem de formali malitiâ actus, non datâ certitudine de materiali malitiâ objecti ejusdem actus. Sicut autem hoc merito à Fogarino negatur; ita & à nobis merito negatur repugnare, ut detur certitudo de formali honestate actus, non datâ certitudine de materiali honestate objecti ejusdem actus.



aufertur: sed sine certitudine veritatis propriæ sententiæ A, immo sine probabilioritate, aut probabilitate veritatis propriæ sententiæ A, datur securitas conscientiæ: ergo nec certitudo, nec probabilioritas, nec probabilitas veritatis sententiæ A, est ratio formalis, quæ reddit conscientiam securam operando juxta sententiam A. Minorem probat; quia securitas conscientiæ dari potest præsentente solâ probabilioritate, aut probabilitate veritatis sententiæ A: ergo certitudo veritatis sententiæ A, non est ratio formalis assecurans conscientiam. Similiter eadem securitas conscientiæ haberi potest solâ præsentente certitudine veritatis sententiæ A: ergo nec probabilioritas, nec probabilitas veritatis sententiæ A, est ratio formalis assecurans conscientiam. Cum ergo securitas conscientiæ haberi possit tum absente certitudine, & solâ præsentente probabilioritate, aut probabilitate veritatis sententiæ A; tum præsentente certitudine, & absente omni probabilioritate, & probabilitate veritatis sententiæ A; tum præsentente solâ probabilitate, & absente omni probabilioritate, aut certitudine veritatis sententiæ A, restat, ait n. 338. quod securitas oriatur, & sit formaliter ipsa non certitudo opinionis B, oppositæ; ita ut ratio formalis, cur actio A, licet, sit, quia non est certum; quod sit illicita in se, vel sit verita ab aliquâ lege. Hæc est summa rationum, quibus Illust. Caram. ductus fuit ad ita operandum.

N. 211. Hoc ipsum confirmari potest ex doctrinâ, quam nos sæpius tradidimus, nempe quod libertatis possessio sit titulus sufficiens deponendi conscientiam non tantum speculative dubiam de existentia legis, aut honestate objecti, quatenus lex, quæ certò non constat, nec certò obligat; sed etiam conscientiam practicè dubiam de honestate operationis, quatenus inhonestas, quæ certò non constat, nec certò obligat ad sui omissionem. Ut enim quia liberi nascimur, possessio libertatis est titulus sufficiens ad deponendam conscientiam de existentia legis, aut de honestate operationis, speculative dubiam; ita eadem libertatis possessio erit titulus sufficiens pro deponenda conscientia practicè dubia de malitiâ operationis: etenim jus certum libertatisvinci non potest à lege dubia, aut à malitiâ dubia; & in pari causâ, si extrema quoad reliqua sint æqualia, melior est conditio possidentis: ergo sicut quoties honestas, & inhonestas objecti est dubia, melior est conditio hominis possidentis libertatem; ita quoties honestas, & inhonestas operationis erit dubia,

melior quoque erit conditio hominis possidentis libertatem; ut legi potest in eodem Caram. rom. 4. Theol. Mor. Fund. in Epist. De possessionis regulâ à pag. 341. uberrime, ubi ad plurimos singulares casus delendum, nempe temporis, irregularitatis, legis, homicidii, voti, legitimatis, excommunicationis, & similibus; de quibus potest sepe aliquod dubium oriri.

Cum ergo tota nostra doctrina de possessione libertatis, & nostrum principium, quod nulla lex obliget certò, nisi sit certa, videantur prorsus coincidere cum doctrinâ Caramuelis, quod sola non certitudo legis, aut malitiæ objecti sit securitas conscientiæ regula; quid enim est dicere, lex nisi sit certa, non obligat, quam dicere, non certitudo legis non obligat? eo ipso vel nobis renuntiandum erit nostræ doctrinæ, si Caramuelis sententiam rejicimus; vel si nostræ doctrinæ non renuntiamus, neque à nobis rejici poterit doctrina Caramuelis.

§. II.

Mea mens.

## SUMMARIUM.

Dico, quod ne quis formaliter peccet, non satis est sola non certitudo de malitiâ actus, & objecti, n. 213.

Quia necessarium iudicium aliquod certum, n. 214.

Quia pura non certitudo non est iudicium certum de non peccato, ibid.

Caramuel æquivoce loquitur, n. 215, 216.

Sicut per hoc quod unum extremum sit probabile non fit, ut oppositum sit etiam tale, ita per hoc quod unum non sit mihi certum, non ita aliud est mihi certum, n. 217.

Et quia repugnat, ut quis prudenter operetur sine motivo prudenti, n. 218.

Pura non certitudo non est motivum prudenti, ibid.

Quia quis simul erit certus de peccato formali, & de non peccato formali, n. 219, 220.

Quia neutra opinio potest esse mihi probabilior, atque adeo utraque licita, & tunc de utraque habeo certitudinem, n. 221.

Quia potest tradi ratio assecurans conscientiam præcendendo à non certitudine oppositi, num. 222.

Quia operans ex tenui probabilitate operatur ex non certitudine, & tamen peccat ex Inno. n. 223.

Quia necessarium saltem iudicium certum de probabilitate opinionis, n. 224.

Non certitudo opinionis B. non est probabilitas opinio-



opinionis A quam sequi volo, n. 225.

Quia peccat operans cum conscientia dubia, & tamen habet non certitudinem peccati, num. 226.

quam, ipsum securus sum de non peccato formali sequens meam: sed simul addere debebat, quod si non certitudini veritatis sententia opposita accedat certa mea libertatis possessio, securus ero ab omni formali peccato sequens meam.

Contra 2. quia, ut docui d. 4. per hoc N. quod ex duobus extremis contradictoriis, 217. extremum B non sit mihi probabile, non ideo extremum A est mihi probabile; potest enim neutrum extremum esse mihi probabile: ergo à pari per hoc quod extremum B non sit mihi certum, non ideo extremum A erit mihi certum; potest enim neutrum extremum esse mihi certum: ergo multo minus per hoc quod extremum B non sit mihi certum, inferri potest, quod extremum A sit mihi probabile, immò esse mihi certò licitum: ergo sola non certitudo de veritate extremi B oppositi non potest esse ratio certificans veritatem, adeoque licentiam, & honestatem extremi A, seu objecti A oppositi.

Probatur 2. quia implicat, ut homo prudenter operetur absque eo quod aliquo prudenti motivo moveatur: sed sola non certitudo non est motivum prudens: ergo sola non certitudo non est motivum sufficiens ad prudenter operandum, adeoque ad sine peccato formali, aut honestè formaliter agendum. Minor probatur, tum quia pura non certitudo est pura negatio; sed pura negatio ad summum esse potest motivum ad non imprudenter, non autem ad prudenter operandum: ergo. Tum quia quoties utraque opinio est certò probabilis, immò quoties neutra est probabilis, datur pro utraque parte non certitudo; adeoque si non certitudo legis vetantis est ratio assecurans conscientiam de non peccato formali contra legem; etiam non certitudo legis permittentis erit quoque ratio assecurans conscientiam de peccato formali contra legem permittentem: ergo sola non certitudo legis, aut malitiæ (nisi addatur principium de certà libertatis possessione) non potest esse ratio certificans conscientiam de non peccato formali.

Confirmo 1. quia quoties lex vetans non N. est certa, sed dubia, eo ipso etiam lex eam 219. operationem permittens erit dubia: & quoties inhonestas non est certa, certa quoque non erit honestas: ergo si non certitudo inhonestatis est ratio determinans, & certificans conscientiam de honestate; eo ipso non certitudo honestatis erit ratio determinans, & certificans conscientiam de inhonestate: ergo simul, & semel erit quis certus de

Q ij de

N. 213. Verum nisi crasse hallucinor, puto ferendam non esse Caramelis sententiam; atque adeo dico, quod ut quis sine peccato formali, aut formaliter honestè operetur, non satis sit pura, & sola non certitudo de existentia legis, aut de malitià objecti, & operationis; sed præterea, ut docui disp. 18. sect. 4. necessarium sit aliquod certum de non peccato formali, aut de honestate formali iudicium, quod sit regula proxima, & immediata operationis eliciendæ, ut dixi d. 19.

N. 214. Probatur 1. ex textu Apostoli sæpius ponderato, *Omne, quod non est ex fide, est peccatum*: ergo ne quis formaliter peccet, aut ut quis formaliter honestè operetur, non satis est non certitudo de existentia legis, vel de malitià objecti, & operationis eliciendæ, sed præterea necessarium est aliquod iudicium certum, sive directum, quo iudicem saltem certò probabiliter legem non dari, aut talem operationem, & objectum non esse illicitum; sive reflexum, quo iudicem non esse illicitum id, quod non certò directè iudicare possum esse illicitum. Qualiter enim pura non certitudo legis, aut malitiæ objecti, & operationis dirigat me ad non peccatum formale, aut ad honestam formaliter operationem, & certificeet meam conscientiam de non peccato formali? cum ipsa pura non certitudo legis, aut malitiæ objecti, & operationis non sit ex se iudicium, nec sit bona fides, seu certa de non peccato formali, aut de formali honestate persuasio; quæ tamen ex Apostolo, & communi Theologorum sensu est prorsus necessaria, ne formaliter peccet.

N. 215. Scio, quod Caram. n. 350. dicat plurimos in sue conclusionis intelligentiâ hallucinari, putantes nullam à se requiri rationem positivam, cum tamen unice neget non requiri specialem; etenim requiritur ratio positiva generalis, nempe quod possessio sit proxima libertate, quoties non constat certò moraliter lex, aut malitià objecti, & operationis.

N. 216. Sed contra 1. quia si plures hallucinantur, eo ipso Caram. non bene loquitur, dum docet, quod ratio assecurans conscientiam sit sola non certitudo sententiæ oppositæ: ita ut ex duabus sententiis inter se oppositis, per hoc ipsum quod veritas sententiæ, quæ opponitur meæ, non est certa, per hoc, in-

Tom. III.



de non peccato formali, ponendo operationē A; & de peccato formali, ponendo eandem operationem A. Consequētia probatur; quia, juxta Caram. non certitudo de inhonestate certificat conscientiam de honestate, seu de non peccato formali: ergo non certitudo de honestate certificabit conscientiam de inhonestate, seu de peccato formali; sed habens non certitudinem de inhonestate habet simul (nisi aliquid addatur) non certitudinem de honestate: ergo operans cum eā utraq̃ue non certitudine tum inhonestatis, tum honestatis, non peccabit simul formaliter, & peccabit simul formaliter: non peccabit formaliter, quia non certitudo peccati formalis, seu inhonestatis est certitudo de non peccato formali; peccabit formaliter, quia non certitudo honestatis, seu non peccati formalis est certitudo de peccato formali.

N. 220. Confirmo 2. quia dari debet aliqua ratio, cur non certitudo peccati formalis sit certitudo de non peccato formali; non certitudo autem non peccati formalis non sit certitudo de peccato formali; & cur valeat consequentia, non datur certitudo de peccato formali, ergo datur certitudo de non peccato formali; e contra non valeat, non datur certitudo de non peccato formali, ergo datur certitudo de peccato formali. Ratio autem alia non esse potest, quā quia prater puram non certitudinem legis, aut peccati formalis necessarium est aliquod principium, quo certificetur conscientia de non peccato formali; eo ipso quod non datur certitudo peccati formalis; principium autem est certa libertatis possessio, quoties lex non est certa: ergo pura non certitudo peccati formalis non est satis ad non peccandum formaliter.

N. 221. Confirmo 3. quia sepe accidit, ut neutra contradictoria sit certo solide probabilis; in quo casu pro utraq̃ue parte contradictio- nis adest non certitudo, immo non probabilitas; & tamen tunc neutram licite amplecti possum, quatenus nullum adest prudens pro neutra parte motivum: ergo sola non certitudo peccati non est ratio certificans conscientiam de non peccato, adeoque non valet, non sum certus de peccato, ergo sum certus de non peccato; quia ex hoc antecedenti, nisi addatur principium aliquod certum de non peccato, inferri non potest certitudo de non peccato; nullū enim consequens affirmativum sequi potest ad antecedens purē negativum: sed pura non certitudo peccati est antecedens purē negativum: ergo ex purā non certitudine peccati sequi non potest hoc consequens possi-

rium, nempe certitudo non peccati: ergo aliquod certum principium necessarium est, ex quo ea certitudo non peccati infatur.

Probatur 3. quia ex unā parte independenter à non certitudine oppositi assignari potest ratio formalis communis non tantum judicio speculative certo, sed etiam speculative probabiliori, aut minùs probabili de veritate, & honestate; independentē, inquam, à non certitudine oppositi assignari potest ratio formalis assecurans conscientiam de non peccato: ex aliā parte, ut ostendi, pura non certitudo oppositi non potest esse ratio formalis certificans conscientiam de non peccato in extremo, quod sequitur: ergo inaniter recurritur ad non certitudinem oppositi. Prima pars probatur; quia ratio formalis assecurans conscientiam de non peccato formali, aut de honestate formalis operationis, communis omni judicio practico speculative certo, aut probabiliori, aut probabili de veritate sui, & de honestate objecti, & actionis est ipsa prudentia insita cuique judicio practico certo speculative probabiliori, aut probabiliori, ut dixi d. 18. *sect. 8.* ergo.

Probatur 4. ex Fogarino d. 2. *sect. 1. n. 3.* N. Operans ex tenui probabilitate non tantum non operatur honeste, quin inhoneste operatur; damnatur enim ab Innoc. XI. quod tanquam ad prudenter operandum satis sit tenuis probabilitas: sed operans ex tenui probabilitate operatur ex non certitudine: ergo operans ex purā non certitudine operatur inhoneste. Si igitur tenuis probabilitas extremi A, quæ est quid plus quā pura non certitudo extremi B, non est satis, ut licite sequatur extremum A; qualiter pura non certitudo extremi B satis erit, ut licite sequatur extremum A?

Probatur 5. quia, ut docui d. 18. *sect. 3.* N. *fusi*, ut quis sine peccato formali operetur, necesse saltem est judicium certum de opinionis, quā quis sequitur, probabilitate, adeo ut satis non sit judicium purē probabile, aut probabilius de opinionis probabilitate: ergo ut quis licite sequatur opinionem A, multò minùs satis erit pura non certitudo opinionis B. Consequētia probatur; quia pura non certitudo opinionis B non est probabilitas opinionis A, & multò minùs est certitudo probabilitatis opinionis A: per hoc enim, quod opinio B non sit certa, non fit, quod opinio A sit probabilis; & multò minùs fit, quod opinio A sit certo probabilis: potest enim neutra contradictoria, vel una tantum esse proba-



bilis; nec per hoc quod una sit probabilis, sequitur, quod ejus contradictoria sit etiam probabilis, ut docui d. 4. ergo si ut quis licite sequatur opinionem A, non satis est probabilis probabilitas opinionis A; multo minus, ut quis licite sequatur opinionem A, satis erit pura non certitudo opinionis B oppositæ.

N. Ratio à priori est; quia non certitudo opinionis B oppositæ, neque est probabilitas opinionis A, neque est certitudo probabilitatis opinionis A: ergo per hoc quod opinio B non sit mihi certa, non sequitur, quod opinio A sit mihi probabilis; & multo minus sequitur, quod opinio A sit mihi certo probabilis; sed ex dictis d. 18. sect. 3. nullam sequi possum opinionem, nisi ejus probabilitas sit mihi certa: ergo cum probabilitas opinionis A non fiat mihi certa per puram non certitudinem opinionis B, eo ipso pura non certitudo opinionis B nequit esse ratio, ne quidem probabiliter, tantum abest certo allecurans conscientiam de non peccato formali in opinando, & operando juxta opinionem A.

N. Probatur 6. quia, ut hâc disput. docui, operans cum conscientia dubia peccat, peccat: sed operans cum conscientia dubia peccati habet non certitudinem peccati; nec enim judicat certo esse peccatum opus, de quo dubitat num sit peccatum: ergo operans cum pura non certitudine peccati peccat formaliter: ergo tantum abest, ut pura non certitudo peccati certificet conscientiam de non peccato formali, quin sequens puram non certitudinem peccati peccat formaliter.

§. III.

Diluitur ratio dubitandi allata §. 1.

SUMMARIUM.

Quid sit de essentia alicujus, & undenam cognoscatur? Hæc duo sunt inter se valde diversa, n. 227.

Quæ regula communiter tradatur ut constitutum à non constitutivo formali discernatur? Ibid.

Ea regula deficit, ibid.

Qualiter exponenda ut teneat, ib.

DD. negantes usum ex hypothese impossibili, n. 228.

Est utilis, n. 229.

Inductio plurimorum T.T. qui eam usi sunt, n. 230.

Scotus, ibid.

Aristoteles, n. 231.

S. Bonav. ibid.

Alii Antiqui, ibid.

Tom. III.

Philosophi, & T.T. moderni, n. 232.

Idem P. Perez, Card. Pallav. & P. Esparz. qui eam impugnant, eam utuntur, n. 233.

Qualiter DD. explicent eam regulam, & quæ cantantur, n. 234.

Impugno duplicem allatam regulam C. Pallavicini, n. 235. 236.

Nostri regulam pro absolutis, quam pro relativis tenet, n. 237.

Concretum sumi potest, vel pure denominativè, vel quidditativè, ib.

Sensus propositionis exclusiva quinam sit? num. 238.

Obiectio, n. 239.

Solutio, n. 240.

Obiectio includit contradictionem, ib. & n. 241.

Et si nec certitudo, nec probabilitas, nec probabilitas sit determinate necessaria, aliqua tamen ex illis vage sumpta est necessaria ad licitum opinionis usum, n. 242.

Necessaria quidem est non certitudo opinionis oppositæ, at tamen non satis, sed etiam requiritur, ut opinio, quam sequi volo, sit saltem certo probabilis, n. 243. 244.

Mea doctrina valde diversa à doctrinâ Caram. n. 245.

Quid requiratur ne formaliter peccem sequendo aliquam opinionem? n. 246.

Quid dicat Caramuel, & quid nos? n. 247.

248.

Non satis juxta me non certitudo legis, sed præterea judicium aliquod certum, ib.

Sufficiunt principia generalia, quæ tamen, ut licita sint, præsupponunt usum diligentia necessaria pro veritate, ib.

Impugno Caramuelem distinguentem veritatem practicam ab honestate, nisi per illam intelligat judicium, per hanc, volitionem, n. 249.

Fogarini argumenta contra hoc nostrum principium, Lex, quæ non est certa, non obligat, n. 250.

Intelligi debet de lege, quæ non est certa ex ignorantia inculpabili, non vero ex culpabili, n. 251.

Multò minus lex obligat, si potest prudenter negari, ib.

Rationes purè probabiles stantes pro lege non vincunt certam possessionem libertatis, num. 252.

253.

Sola certitudo legis tollit certam possessionem libertatis ab eâ, ib.

DD. negantes, quod melior sit conditio possidentis in omnium virtutum materia, n. 254.

Fogarini inconsequentia, n. 255. 256.

R Espondeo 1. necessarium mihi esse ex professo exponere rem valde universalem. Aliud est quid sit de essentia alicujus, n. 227.

Q. iij

jus,



jus, & facile dicitur esse id, quod est de quidditate illius: aliud undenam cognoscere possum hoc esse, aut non esse de essentia alicujus rei: quo modo aliud est quid sit homo; aliud undenam discernere possum, an hoc sit homo. Argumentum in presenti tangit regulam discretivam constitutivi formalis, & intrinseci à non constitutivo intrinseci. Communiter autem hæc regula traditur. Id est de essentia, quo solo sublato, & manentibus, sive per possibile, sive per impossibile omnibus aliis, non manet totum. Dixi, *manentibus sive per possibile, sive per impossibile omnibus aliis*. Ex quo sequitur, quod valde manca sit regula allata in argumento, quo dicitur, illud est ratio formalis, quo posito datur effectus formalis; & quo sublato aufertur; nisi enim aliquid addatur tum ex ea parte, quæ est negativa, tum ex ea, quæ est affirmativa, ea regula deficit, ut docui in *Physicâ*, & in *Tract. de Sacram.* an intentio Ministri sit de essentia Sacramenti, ut primus omnium ex professo examinavit, & affirmavit C. de Lugo *disp. 2. P. Arria. sect. 7.* quem secutus est P. Arriaga *d. 3. à n. C. Pallav. 19. P. Espar. qu. 6. C. Pallav. num. 48. P. Bernal. d. 3. à n. 162. P. Haunoldus à n. 768.* & nos cum illis. Deficit igitur regula in objectione adducta; tum quia sublata præcisè vel unâ physicâ conditione, ex. gr. ubicatione conservativa hominis, non datur homo; nec tamen actio, aut ubicatione est ratio formalis, ne quidem partialis constitutiva hominis in suo esse physico: ergo dicta regula, quâ parte est negativa, nisi ita explicetur: illud non est ratio formalis, quo præcisè sive per possibile, sive per impossibile sublato, datur effectus formalis; nisi, inquam, ita explicetur, est falsa. Similiter est falsa, quâ parte est affirmativa, nisi ita explicetur: illud est ratio formalis partialis, aut totalis, quo præcisè, sive per possibile, sive per impossibile posito, & sublatis sive per possibile, sive per impossibile, seu præcisè mentaliter aliis, datur effectus formalis.

N. Scio regulam à me allatam non placere negantibus usum hypothesis impossibilis valere; putant enim cum P. Perez *d. 5. de Scientiâ Dei à n. 9.* ex quâlibet sequi temper ambo contradictoria, cumque arguendi modum esse valde difficilem, & parum utilem ait C. Pallavic. *hic cap. 29.* immo non placere nisi levioribus ingeniis, & superficialiter doctis contendit P. Esparz. *quest. 36. de Deo*; & ad summum tunc adhiberi, quando hypothesis est incerta saltem vel ex parte defendentis, vel ex parte arguentis.

At ego fasè ostendi in *Physicâ in Tract. à N. Negationibus*, 1. esse valde utilem: ut enim separatio realis unius objecti ab alio facit ut clarius unum ab alio objecto discernatur; & unio unius cum alio inservit, ut clarius appareat oppositio, vel connexio objectorum inter se; ita separatio intentionalis, seu facta per intellectum præcipientem unum identificatum ab alio facit, ut clarius discernatur una essentia ab alia; & ut sciatur quid sequatur formaliter, quid realiter tantum.

Ostendi 2. inductione, talem modum placuisse viris profunde doctis; & quidem quando hypothesis tam apud defendentem, quam apud arguentem est evidenter impossibilis; dedi autem ibidem plurimos ex primoribus Theologis, Antiquis, & Modernis, quibus addo Scotum in 1. *dist. 3. qu. 5. n. 2.* qui arguit contra definitionem vestigi, quam dat S. Th. & utitur hypothesis impossibilis, ait enim: *Si tantum esset possibile unum animal in universo adhuc ejus vestigium non esset ejus imago*; & Pontius ibid. *n. 121.* Rursus Scotus in 1. *dist. 5. qu. 2. n. 17.* ut explicet, quomodo essentia, & relatio personarum constituant, sine eo, quod alterum sit potentiale, alterum actuale, utitur exemplis impossibilibus. Similiter idem Scotus in 1. *dist. 7. qu. 1. n. 2.* impugnans D. Thomam asserentem essentiam esse id, quo Pater generat, ait, *quid si per se sit Deitas, quod per se generabit; id est, si sine Personis esset, generaret.*

Idem habet Arist. *lib. 7. Top. cap. 1.* ubi N. ait: *Quare supposito aliquo sive vero sive falso, nihil enim refert si alterum &c.* Et lib. 1. *Metaph. cap. 6.* ait: *Bonum est, quod omnia appetent, si haberent intellectum.* Idem S. Bonav. citatus à Pontio in *Curia disp. 27. n. 36.* arguens fidem nostram certiorum esse, quia Fidelis debet potius esse paratus ad negandas alias veritates naturales; hæc autem hypothesis est impossibilis; verum enim numquam negari potest. Idem Henric. *quod. 2. Vap. lib. 5. qu. 1.* citatus à P. Vasqu. *disp. 118. in Gabriel. 1. p. n. 1.* dicens: Licet possibiles non essent plures creature realiter distincte, adhuc intellectus Dei, & Beatorum distinguere in Deo plura attributa. Idem Gabriel in 1. *dist. 2. qu. 1. lit. H.* idem Ocham. *ibid. lit. L.* cum tamen ibi contra nullum argueret: utitur enim hypothesis impossibili præcisè, ut explicet distinctionem attributorum inter se. Idem Aureolus in *Prol. art. 5. pag. 65.* probans syllogismum non esse subiectum adæquatum Logicæ, ait enim, *Dato per impossibile, quod nullus syllogismus esset possibilis, adhuc scibilitas decem dicibilium incompletorum &c. esset scibilitas logicalis*; & paulo post ait:



ait: Confirmatur, quia si per hypothesim tollatur ratio subjectiva ab aliqua scientia, non remanet illa scientia, nec secundum partem, nec secundum totum. Idem habet Caiet. 2. 2. q. 2. art. 8. §. quoad 2. ubi utitur contra Scot. hypothesi impossibili, ait enim: Si Deus esset unus suppositiviter, sicut est unus essentialiter &c: utitur autem per se, hoc enim Scotus negat.

M. Naz. Idem M. Naz. 1. p. qu. 2. art. 7. contr. 2. §. confirmatur 2. & quamvis §. Posterior est, ante argumenta, & solutiones dicat, ex hypothesi impossibili plerumque sequi contradictoria, eo ipso quod dicit plerumque, concedit implicitè aliquando non sequi. Idem habet Maurusius Hybernus commentans Scotum in 1. dist. 1. qu. 2. num. 6. ubi utitur hypothesi impossibili; ait enim: Quandoque aliquid est à se tale, erit tale, si per impossibile, quodlibet aliud non esset. Idem Rubionus in 1. dist. 8. qu. 3. art. 1. & Maltr. ex eo in 1. sent. disp. 2. n. 47. qui dicunt, Si per impossibile Deitas non esset sapientia; & iterum in 1. disp. 6. n. 231. Aureolus in 1. dist. 8. pag. 291. col. 1. §. Ad propositum; Durandus in 1. dist. 2. qu. 3. num. 15. Smising. in 3. de Deo d. 1. n. 6. & tr. 2. d. 1. n. 46. Demum ex Antiquis Philosophis utitur hypothesi impossibili Avicenna cap. 3. in 4. Met. ait enim: Si Doctor artis posset revelare id, quod est in animâ, alio modo, (id est, sine verbis) superfederet à verbis. Ecce inductione Theologorum Antiquorum, immò & Philosophorum, quam utilis, & frequens sit usus arguendi ex hypothesi impossibili.

N. Quod si Modernos citare vellem, nullus esset scribendi finis; ne verò fidei meæ aliquid detrahi possit, ecce tibi aliquos ex Philosophis, & Theologis Modernis. P. Fonseca in 2. Met. cap. 3. qu. 1. sect. 6. in fine ait: Sublatis huiusmodi relationibus, adhuc in subjectis est unitas; eadem utitur in lib. 2. Met. cap. 2. qu. 5. sect. 5. §. Quod si quis obiciat. P. Arriaga d. 2. Logica n. 79. & n. 86. P. Cattaneus disp. 1. qu. 3. n. 8. & d. 2. qu. 1. n. 30. querens, an necessarium sit ad cognitionem practicam, ut opus fiat liberè libertate contradictionis, hæc habet: Secundo, quia Deus etiam si necessariò, & sine libertate contradictionis produceret mundum, adhuc haberet cognitionem practicam mundi, idato quòd in eà hypothesi operaretur per intellectum, & voluntatem eo modo, quo in præfenti operatur ut Author naturæ. Pontius disp. 1. Logica n. 109. in additione contra Maltr. utitur hypothesi impossibili, ait enim: Quamvis nullus intellectus esset possibilis, unum album esset; idem habet d. 2. Logica n. 3. & n. 23. & 45. M. Joan. à

S. Thom. qu. 1. Logica art. 3. circa finem ait: Si non daretur dirigibilitas artificiosa, & realis ipsorum actuum, non daretur Logica; eadem iterum utitur in 3. p. disp. 1. art. 2. n. 39. M. Gonet. tom. 3. disp. 3. num. 72. Complutenses disp. 2. Log. num. 11. dicunt: Pariet dicitur vilus, et si nullus esset possibilis intellectus. P. Molina 1. p. qu. 1. art. 4. disp. 1. ad finem ait: Esto Deus ageret ex necessitate naturæ, adhuc ageret per intellectum, & voluntatem. P. Hurt. disp. 6. Met. sect. 4. §. 135. eà utitur; & §. 200. & explicat clarè disp. 4. Met. §. 32. quo sensu adhibenda sit. P. Izquier. disp. 13. in Pharon. 325. ait, modum arguendi ex hypothesi impossibili esse utilissimum, & utilissimum ad indagandas rerum essentias; quod idem ait M. Gonet. tom. 3. d. 3. de Essentiâ Beatitudinis n. 114. & 108. & d. 2. n. 48. & 42. ait, esse modum investigandi essentialia. P. Lynceus lib. 2. Met. tr. 2. num. 42. Calagur. d. 6. Log. n. 24. Spinula d. 6. Log. n. 11. P. Ovied. contr. 3. Met. pu. 1. num. 13. & contr. 4. pu. 8. n. 49. Del Monaco p. 4. Met. d. 2. sect. 2. P. Maurus. tom. 2. de Deo qu. 83. n. 8. & de Act. Hum. qu. 3. n. 20. & de Fide qu. 6. n. 3. C. de Lug. d. 1. de Fide n. 83. & tom. 1. de Just. d. 1. n. 58. C. Aguir. tom. 2. in S. Ansel. d. 93. sect. 1. agit de hoc arguendi modo; & suadet ex Arist. & eo passim utitur, ut constat ex tom. 3. in S. Ansel. sect. 2. n. 13.

Sed quid plura? Idem P. Perez d. 2. de Deo cap. 1. n. 12. explicat locutionem externam Dei, & utitur hypothesi impossibili; ait enim: Si per impossibile ista signa nos fallerent, Deus mentiretur: & tr. 1. de Just. n. 24. & d. 5. de Incarn. cap. 8. n. 4. & tr. 3. de Iustificatione impii d. 3. cap. 4. C. Pallav. n. 24. utitur hypothesi impossibili. Ipse C. Pallav. 1. 2. d. 1. qu. 1. art. 3. ut explicet differentiam inter bonum honestum secundum naturam, & honestum secundum legem, utitur hypothesi impossibili: & cap. 3. de Incarn. eadem utitur ut explicet proportionem intrinsecam meriti cum præmio; ait enim: Ita ut si Deus non esset Dominus omnium, & vellet emere nostra merita, iustum pretium solveret, dando, quod dat: immò in Tract. de Sacram. eodem capite, quo ejus usum rejicit, eadem utitur n. 32. ait enim loquens de cognitione affirmativâ abstractivâ, quòd si esset intuitiva, videret illud in se. Demum ipse P. Espaz. qu. 14. de Fide art. 2. & 3. ut explicet differentiam causæ à conditione utitur hypothesi impossibili; & qu. 6. de Sacram. quærens differentiam constitutivi à non constitutivo, utitur regulâ relatâ; & eam bis exponit per hypo-

M. Joan.  
à S. Th.  
M. Gonet.  
Compl.  
P. Mol.  
P. Hurt.  
P. Izquier.  
P. J. ync.  
Calagur.  
Spinula.  
P. Ovied.  
Del  
Monac.  
P. Maur.  
C. de  
Lugo  
C. Aguir.  
Auit.

N.  
233.  
P. Perez

P. Espaz



hypothese[m] impossibile[m]. Ergo immerito dicitur, quod non valeat usus arguendi ex hypothese[m] impossibili, & quod non placeat nisi levioribus ingeniis, & superficialiter doctis: puto enim ferè omnes à me citatos fuisse apprimè doctos.

N. Verum quidquid sit de valido arguendi usu ex hypothese[m] impossibili, certum mihi est, ejus regulæ Authores, quæ constitutivum à non constitutivo discernitur, esse P. Elparz. de Sacram. qu. 6. ar. 1. & art. 4. P. Arriag. de Sacram. d. 3. an. 19. C. de Lugo l. c. P. Haunoldum *ibid.* eamque approbat P. Dicastillo n. 352. P. Rhodes, & alii plures. Porro ejus Authores non intelligunt eam nisi in sensu præcisivo, id est, quo præcisè per intellectum sublatum; ita ut sensus sit, id est de essentia, quo præcisè non intellecto, intellectus tamen omnibus aliis, non intelligitur totus. Hanc autem regulam pro discernendo constitutivo à non constitutivo rei puto esse optimam, immò evidentem, ut etiam omnes citati Authores contendunt. Ratio est; quia implicat, ut intelligantur omnia constitutiva totius, & non intelligatur totum, cum totum non sit, nisi omnes partes: ergo si præcisè non intellecto A, intellectus tamen omnibus aliis, non intelligitur totum, est evidens A esse de intellectu totius. Confirmo: Vel præcisè non intellecto A, intelligitur totum, vel non? Si intelligitur; ergo A non est de essentia; implicat enim, ut intelligatur totum, & non intelligantur omnes ejus partes: si non intelligitur totum; ergo A est de essentia. Consequentia est evidens: si A non est de essentia, deberet posse intelligi totum sine A; sed non potest intelligi totum sine A: ergo A est de essentia: ergo evidens est, id esse de essentia, quo præcisè non intellecto, non intelligitur totum.

N. Laudat hanc regulam C. Pallav. de Sacram. n. 29. ut optimam pro absolutis, non tamen pro revelatis: nam non intellecto uno essentialiter connexo cum alio, non intelligitur aliud, nec tamen illud est de essentia hujus: ex gr. non intellecto Deo, non intelligitur visio Dei, nec creatura; similiter non intellecto termino vel objecto, non intelligitur actio, & actus: rursus non intellecto æterno Patre, non intelligitur Filius: nec tamen Deus est pars creature, aut visionis; nec objectum pars actus; nec terminus pars actionis; nec Pater pars Filii. Quare n. 32. hanc duplicem tradit: Id est pars intrinseca alicujus objecti, in quod voluntas eodem actu tendit, quo in objectum: Id est pars intrinseca alicujus, quod imme-

diatè in se ipso affirmatur; quod autem ratione alterius, id non est pars.

At antequam ostendam nostram regulam esse etiam evidentem pro relativis, impugno duplicem allatam regulam. Primo, quia esto daretur idem esse constitutivum, ac quod immediate affirmatur; id non esse, quod non affirmatur immediate; non ideo C. Pallavic. tradit regulam discretivam constitutivi à non constitutivo; æquè enim mihi ignotum est quid affirmetur immediate, quid mediatè: ergo licet tunc affirmatur immediate explicet illud esse de essentia, non tamen dat regulam discretivam essentia à non essentia, quin confunditur quid sit essentia cum regulà discretivà essentia à non essentia. Secundo, idem evenit, dum ait, illud esse extrinsecum, quod est terminus; quis enim hoc ignorat? at hoc non est dare regulam discretivam extrinseci ab intrinseco. Tertio, quia si id, quod amatur eodem actu, est constitutivum, sequitur, quod si Deus, & creatura eodem actu amantur, creatura erunt de essentia Dei: ergo utraque allata C. Pallavicini regula est insufficientis, & falsa.

Quod autem nostra optima sit etiam pro relativis, siue sint, siue non sint essentialiter connexa, puto me ad evidentiam ostensurum, si duo acutè penetrerent. Primum est, quod cum relativum sit concretum, eo ipso sumi potest, vel purè denominativè, seu id quod dicitur relativum; & tunc venit solum subjectum denominatum, & præscinditur à formà denominante: vel quidditativè, ut relativum est; & tunc venit etiam forma; venit enim subjectum ut denominatum; ergo venit forma, & subjectum. Cum ergo visio Dei, licet sit grammaticaliter substantivum, sit tamen philosophice adjectivum, est enim relativum, & idem est visio Dei, ac visio Divina, derivata à Deo ut formà denominante; ut enim visio denominat Deum visum, ita Deus denominat visionem Divinam: consequenter visio Dei sumi potest vel purè denominativè, & non constituitur per Deum, sed per solam visionem; vel quidditativè, & constituitur etiam per Deum, ut formam denominantem.

Alterum est, quem sensum habeant propositiones exclusivæ, ita dictæ, quia per particulas exclusivas tantum, solum, præcisè, & similes, excluditur omne aliud subjectum à participatione talis prædicati. Sciendum autem est, quod omnis propositio exclusiva reducitur à Dialecticis ad exponibiles, ita dictam, quia eget expositione: sic ut autem omnis exponibilis exponitur per pro-



propositionem compositam, ita etiam omnis exclusiva. Porro exclusiva duplex est, alia est propositio affirmativa de signo exclusivo, & de copulâ; alia est affirmativa de signo exclusivo, & negativa de copulâ; utraque autem diverso modo exponitur. Affirmativa de signo exclusivo, & de copulâ est, quæ affirmat omne aliud subiectum excludi à participatione talis prædicati, excepto eo, cui particula exclusiva adhæret: ex. gr. *tantum Petrus currit*, exponitur per copulativam, cujus prima pars affirmat prædicatum de subiecto; secunda pars negat idem prædicatum de omni alio subiecto, hoc modo: Petrus currit, & nihil distinctum à Petro currit. Affirmativa de signo exclusivo, & negativa de copulâ exponitur per compositam, cujus prima pars negat illud prædicatum de subiecto, altera pars affirmat idem de omni alio subiecto: ex. gr. *tantum Petrus non currit*, exponitur, Petrus non currit, & omne distinctum à Petro currit.

N. 239. Dices: Sæpe deficit essentia, sublato præcisè aliquo extrinseco, sive sit causa, sive conditio, sive quid indispensabiliter connexum; ita sublato præcisè Deo, deficit visio Dei, & omnis creatura: ergo falsum est, id esse de essentia, quo præcisè deficiente deficit essentia; vel quod idem est, falsum est id esse de essentia, quo præcisè non intellecto, non intelligitur essentia.

N. 240. Respondeo hanc propositionem, Essentia deficit deficiente præcisè conditiones vel essentia non intelligitur non intellecto præcisè aliquo extrinseco, includere apertam contradictionem, adeoque negandam ut falsum. Pater; quia ea propositio ex parte subiecti affirmat deficere essentiam, ait enim, *Deficit essentia*; ex parte prædicati negat deficere essentiam, ait enim, *Deficit præcisè quid extrinsecum*; quæ propositio est exclusiva; ergo exponibilis per hanc compositam, *Deficit quid extrinsecum, & nihil aliud deficit*; sed dicere, *Non deficit nisi quid extrinsecum*, opponitur contradictoriè huic, *Deficit essentia*; ergo hæc propositio, *Deficit essentia, deficiente præcisè aliquo extrinseco*, (sive hoc sit conditio, sive causa, sive aliud) includit apertam contradictionem.

N. 241. Ex hoc patet falli qui dicunt, *Non intelligit præcisè Deo, non intelligitur visio*, cum enim sit exclusiva, exponitur, *Solus Deus non intelligitur, & omne distinctum à Deo intelligitur*; sed visio est distincta à Deo; ergo non intellecto præcisè Deo, visio intelligitur; ergo ea propositio, non intellecto præcisè Deo, non intelligitur visio, idem negat, & affirmat; etenim quatenus dicit, non intelligi-

tur præcisè Deus, affirmat intelligi visio- nem: quatenus dicit, non intelligitur visio, negat eam intelligi; ergo idem negat, & affirmat.

Respondeo 2. ad idem argumentum allatum §. 1. transmissâ maiori, negando minorem; etsi enim concedam, quod ut licitè sequar opinionem A, nec certitudo, nec certa probabilitas, nec certa probabilitas opinionis A sit determinatè necessaria; aliqua tamen ex illis est necessaria, nempe vel certitudo, vel certa probabilitas, vel certa probabilitas opinionis A; vel saltem aliquod principium reflexum. Rursus esto ut sequar opinionem A, necessaria omnino sit non certitudo opinionis B; attamen ut licitè sequar opinionem A, non satis est pura non certitudo opinionis B, quia, ut sæpius dixi, exponens quid sit probabile, & probabilitas, ad probabilitatem requiritur ratio gravis, & solida relativè, & absolutè; adeo ut, ut aliquid sit certò prudenter probabile, non satis est, ut ejus oppositum non sit certum, sed præterea requiritur, ut pro se habeat rationem certò gravem absolutè, & relativè: etenim pura non certitudo oppositi requiritur tamquam negatio impedimenti; ratio autem certò gravis requiritur tamquam formale constitutivum opinionis certò probabilis.

Quare qui ex purâ non certitudine veritatis opinionis B oppositæ infert probabilitatem opinionis A, ita arguit, ac qui ex negatione catenæ inferret potentiam locomotivam: sicut ergo, ut ego de uno ad alium locum moveri possim, necessaria quidem est non catena, tamquam negatio impedimenti; attamen non satis est, sed præterea necessaria est potentia vitalis locomotiva: ita accidit in præsentī: etsi enim ut prudenter opiner, & operer juxta opinionem A, necessaria sit ipsa non certitudo veritatis opinionis B oppositæ, tamquam negatio impedimenti tolerantis probabilitatem ab opinione A; attamen non satis est, sed præterea necessarium est, ut vel ipsa opinio A nitatur rationi certò absolutè, & relativè gravi; vel adsit aliquod principium generale reflexum certificans conscientiam quod hic, & nunc liceat sequi opinionem A: ergo pura non certitudo de veritate opinionis B oppositæ non satis est, ut prudenter opiner, & operer juxta opinionem A.

Addo argumentum aliter peccare ex eo N. quia nulla sive certitudo, sive probabilitas, sive probabilitas de veritate opinionis A, & de honestate objecti, & operationis sit in singulari, & determinatè necessaria, ut licitè opiner,



opiner, & operer juxta opinionem A, hinc inferre, quod vel nulla ex illis sit indeterminatè necessaria; aliqua enim ex illis est indeterminatè necessaria; eo modo quo licet nullus oculus sit in singulari necessarius ad videndum, aliquis tamen vagè sumptus est necessarius: vel saltem quod non sit necessarium principium reflexum certificans conscientiam de non peccato in sequendo opinionem A.

N. 245. Ad aliud respondeo nostram doctrinam plurimum differre à doctrinā Caramuelis: Nos enim volumus necessarium esse judicium aliquod sive directum de veritate opinionis, & de honestate, aut non malitiā objecti, & operationis; sive reflexum de certā probabilitate veritatis opinionis, & non malitiæ objecti, & operationis; sive aliquod principium genericum ab hoc judicio directo, & reflexo distinctum, ad hoc, ut sine peccato formali, aut ut formaliter honestè operemur: non autem volumus satis esse solam non certitudinem opinionis oppositæ divisam ab omni dicto judicio. Si enim sola non certitudo veritatis opinionis B oppositæ satis esset ad licitè opinandum, & operandum juxta opinionem A, sequeretur, quod liceret sequi opinionem tenuiter, immò dubiè probabilem, dubio non deposito, immò nullo modo probabilem; nam cum his omnibus stat non certitudo opinionum oppositarum: per hoc enim quod opinio B opposita non sit certa, non sit quoddam opinio A sit certò probabilis; sed nullum ex his licet; ergo sola non certitudo veritatis opinionis B oppositæ non satis est, ut licitè sequar, & operer juxta opinionem A.

N. 246. E contra Caram. solā, & purā non certitudinem veritatis opinionis B. contentus est, ut licitè opiner, & operer juxta opinionem A. Quare non certitudo opinionis B oppositæ, esto faciat, ne sim obligatus sequi opinionem B, non tamen facit, ut certus sim me non peccare formaliter opinando, & operando juxta opinionem A; ad hoc enim non satis est pura non certitudo veritatis opinionis B, sed ulterius requiritur, vel judicium directum probabile, aut probabilius de veritate opinionis A, vel judicium reflexum de certā probabilitate, aut probabilitate veritatis opinionis A; vel hoc utroque suspensio, requiritur principium aliquod morum reflexum, quo certus fiam me non peccare formaliter opinando, & operando juxta opinionem A. Principium autem esse potest aliquod ex his, *Licitus est usus cujusvis certò probabilis, opinio A est talis, ergo ejus usus licet: Lex qua non est*

*certa, non obligat, lex asserta ab opinione B non est certa, ergo non obligat: Lex certò probabiliter negata non obligat, sed lex asserta ab opinione B negatur certò probabiliter ab opinione A, ergo non obligat.*

Dices: Si ut certus sim de non peccato formali satis est, quod gaudeam hoc principio, *Lex qua non est certa non obligat*, sequitur, quod sola non certitudo legis satis sit, ut sine peccato formali operer; & quod sola non certitudo legis certificet meam conscientiam de non peccato formali; sed hoc ipsum docet Caramuel; ergo nos tandem in ejus doctrinam incidimus.

Respondeo duo doceri à Caramuele. N. primum, quod sola non certitudo legis faciat ne sim obligatus sequi legem; alterum, quod sola non certitudo veritatis opinionis B oppositæ faciat, ut licitè sequamur opinionem A. Primum nos docemus cum S. Thom. quem dedi d. 11. n. 119. & S. Anton. & hoc sæpius probavi, præcipue d. 11. sect. 4. & alibi. Alterum negamus ob dicta. Quod autem ex primo non necessario inferatur alterum, patet; quia nos in primo casu semper statuimus principium, aut judicium aliquod certum, quo conscientia certificetur de non peccato formali; præsertim cum ipsa non certitudo legis, quod non obliget sequi legem, resolvatur in possessionem libertatis, in qua nati sumus: contra in altero casu nego unice, quod veritas opinionis B sit certa: ex hoc autem præcise inferri potest, quod non teneat sequi opinionem B. Quod autem licitè sequi possim opinionem A, non inferitur ex purā non certitudine opinionis B; nam potest opinio B non esse certa; & simul non esse probabilis opinio A: ergo vel debet accedere principium reflexum, quo de non peccato certificetur sequendo opinionem A; quatenus licitè sequi possim omne quod non est certò vetitum, sed quod asserit opinio A, non est certò vetitum, ergo &c. vel debet accedere judicium reflexum de certā probabilitate veritatis opinionis A; aut judicium certò probabile directum de veritate opinionis A; & de honestate, aut saltem non inhonestate objecti ab eo judicio certò probabiliter asserti; & actus ab eodem judicio certò probabiliter directi, & regulati. Ratio omnium est; quia sine bonā fide non licet operari. Quare reverè puto, quod Caramuel etsi diversimodè loquatur, attamen non velit nisi, quod omnes docemus, nempe requiri judicium certum de non peccato, ne formaliter peccemus; & ad hoc sufficere princi-



principia generalia, qualia sunt, *Licet omne assertum licitum à viro mihi prudenti: Licet omne certo probabile: Licet omne non certo veritum, & multo magis, si prudenter negetur esse veritum.* Porro hæc principia, ut liceant, præsupponunt semper utrum sufficientis diligentia pro veritatis, & viri prudentis inventionem; non autem quod pro omni opinione, ut eam licite lequar, requirantur rationes particulares illius, ut tandem Caram. se explicat.

N. 249. Caram. Fogar. Omittit reliqua argumenta Caramuelis distinguuntis, immerito tamen, veritatem practicam ab honestate, nisi per veritatem intelligat iudicium; & per honestatem intelligat volitionem; eaque fuscè refert, & refellit Fogarinus d. 2. qui tamen non tantum impugnât doctrinam Caram. quam nos præfati sect. impugnâvimus, sed præterea aliam, quam nos sæpe propugnâvimus, videlicet, quod lex non certa, non certo obliget. Ne verò aliquid à nobis omisum videatur, solve duxi, quæ sunt contra me.

N. 250. Fogar. Arguit itaque 1. Fogarinus n. 33. Ignorans vincibiliter legem peccat formaliter, si contra eam operetur; sed ignorans vincibiliter legem non est certus de lege: ergo qui non est certus de lege, potest peccare formaliter: ergo falsum est nostrum principium, quod ne quis peccet, satis sit non certitudo legis, seu hoc principium, *Lex que non est certa, non obligat.*

N. 251. Respondeo, quod non certitudo legis inclusa in vincibili legis ignorantia, sit non certitudo culpabilis, & voluntaria. Nemo autem nostrum stans pro hoc principio, *Lex, que non est certa, non obligat*, intelligit, quæ non est certa ex culpa, & ignorantia voluntaria, & liberâ; sed quæ non est certa post necessarium, & inculpabile de existentia legis examen: & ita sæpe explicuimus, qualiter non certitudo legis satis sit ad non peccandum formaliter. Diximus autem solam non certitudinem, quæ post præmissum terium, & debitum pro legis existentia examen habetur, excludere a peccato formali. Similiter sæpe explicuimus, qualiter verum sit, quod lex non certa non certo obliget. Diximus autem non obligare, non tantum, si ejus existentia non sit certa, sed multo minus obligare, si præterea ejus existentia prudenter negetur, aut negari possit, ut accidit, quoties opinio negans legem est certo probabilis.

N. 252. Fogar. Arguit 2. n. 42. Quoties opinio stans pro existentia legis habet pro se rationes certo probabiles, eo ipso possessio libertatis à lege

non est certa; ergo tunc non licebit, sequi opinionem oppositam nixus certo principio de possessione libertatis à lege.

Sed contra; quia rationes probabiles suæ N. 253. Fogar. dentes veritatem opinionis affirmantis legem, eo ipso quod sunt pure probabiles, eo ipso non tollunt certam possessionem libertatis à lege; nullum enim incertum potest vincere certum: sed omnis ratio, etsi certo probabilis, est incerta; ergo vincere non potest jus certum libertatis, in quâ nascimur. Quod verò iterum num. 48. Fogarinus repetit, nempe quod probabilitas legis veritatis sit probabilitas, quod non detur libertas à lege, nec possessio libertatis à lege, sæpe à nobis solutum, & negatum est. Si enim, juxta Fogarinum, per hoc, quod sit probabilis opinio B, non sit, quod opinio A contradictoria illi sit probabilis, multo minus probabilitas, quod detur lex, faciet, quod sit probabile non dari libertatem à lege; imò etsi hoc faceret, non tamen facere potest, ne detur certitudo possessionis libertatis à lege; certitudo enim libertatis à lege, & possessionis libertatis à lege, unice tollitur per certitudinem legis. Abstineo à reliquis à me fuscè solutis. Vide quæ dixi, ubi solvi hoc ipsum in terminis dicendo, quod certa possessio libertatis non tollatur per probabilitatem.

Arguit 3. à n. 131. quia nec metaphysicè, nec physicè, nec moraliter certum est, quod in dubiis melior sit conditio possidentis in omnium virtutum materia; ergo per hoc principium haberi non potest certitudo conscientie de non peccato. Antecedens probat: quia P. Vasqu. 1. 2. d. 66. cap. 7. n. 41. & d. 65. cap. 3. num. 13. M. Mercor. P. Azor, Pagnan. P. Scild. & alii non tantum negant esse certum, quin asserunt esse falsum, quod valeat in omnium virtutum materia: immò adhuc dato, quod esset verum, non est certum quod valeat etiam extra casus justitiæ, seu ubique: si enim certum esset, quod etiam extra casus justitiæ valeret, esset improbabile, quod non valeret extra casus justitiæ; sed hoc dici non potest, quia plus quàm duodecim Authores asserunt non valere extra materiam justitiæ; ergo &c.

Sed contra 1. quia sive ea regula etiam N. 255. extra casus justitiæ sit certa, sive non sit certa, nobis tamen saltem est longè probabilior; ergo satis est ad certo excludendum omne peccatum formale; hoc enim excluditur per omne iudicium certo prudens de non peccato formali, quale per nos est dicta regula. Accedit quod si Fogarino quælibet ejus



ejus opinio particularis est ei certa, cur ea regula non possit nobis esse moraliter certa, cum eam tueantur ferè omnes DD.

N. 256. *Fogat* Contra 2. quia ignoro quomodo Fogarinus utatur hoc argumento, nempe quod ea regula etiam extra materiam justitiæ ideo certa non sit, quia alias opposita sententiæ negans valere extra materiam justitiæ esset improbabilis; hanc autem opinionem docent 12. Doctores. Ignoro, inquam, quomodo hoc argumento utatur: etenim si hoc juxta eundem tenet, eo ipso infringit, quidquid toto suo opere docet, nempe quod non satis sit ne quidem probabilioritas opinionis, sed semper requiratur certitudo saltem mo-

ralis de speculativâ veritate cujusvis opinionis, quam quis sequitur. Infringit autem, tum quia contra hanc ejus sententiam itant ferè omnes DD. ergo non est ei certa; ergo non sequitur certum: tum quia qualibet opinio inter TT. hinc inde controversa, & incerta habet contra se plures, ejusque opposita non est dicenda improbabilis: ergo vix aliqua opinio particularis, quam Fogarinus sequitur, potest esse certa, atque adeo vix aliqua, ad quam obligat, potest esse certa; obligabit igitur ad impossibile. Demum quod axioma valeat ubique, sæpius ostendi *disp. 11. & disp. 16.*



TRA.